This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Digitized by Google

Digitized by Google

21

14
II

Digitized by Google

21

14

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VETERUM ALIQUOT SCRIPTORUM

Qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum latuerant,


SPICILEGIUM.

Tomus Decimus-tertius.

Prodeunt nunc primùm in lucem

Operâ & ſtudio DOMNI LUCÆ ACHERII *è Congregatione S. Mauri Monachi Benedictini.*

Bibliotheca Angelica



PARISIIS,
Apud Viduam EDMUNDI MARTINI, viâ Jacobæa, ſub aureo Sole, & Sacrificio Abelis.

CIↃ. IↃC. LXXVII.

Cum Privilegio Regis & Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI.

IN duodecimo Spicilegii nostri volumine metas figere, nec ulteriùs progredi animus erat. Verùm me ad tertium-decimum edendum, ut mensura esset plena & supereffluens, amici sæpiusculè adhortati sunt: quò nimirum Indices omnium Tomorum generales contexendi occasionem haberem, quos tantopere exoptarunt non modò nostrates Galli, sed in Italia aliisque regionibus viri docti bene multi. De Indicibus singillatim infrà dicemus.

Habes hîc igitur, erudite Lector, Synodum Atrebatensem, librum de vita hæreticorum, Dialogos Anselmi Havelbergensis, Miscellanea quædam, Martyrologium Gellonense, Historiam Abbatiæ Condomensis, & tres omnium Voluminum Indices generales.

I. Synodus Atrebatensis.

I. Synodus Atrebatensis ab Gerardo Cameracensi simul & Atrebatensi Episcopo est celebrata: his quippe temporibus uniti perseverabant Episcopatus illi duo. Istius unionis causam atque

Digitized by Google

diuturnitatem referre nostri non est instituti : si quis id nosse voluerit, adeat Baldericum Noviomensem Episcopum in Chronico, præsertim cap. 5. lib. 1. Spicilegii nostri Tomum 3. p. 123. & seq. ac to. 5. p. 539. & seq. & to. 12. p. 450. & seq.

Quam ob causam convocaverit Synodum Gerardus, indicatur, cùm in ipsius epistola ad R. Episcopum, (Reginaldum Leodiensem conjicio) tum maximè in Synodi præfatiuncula, his verbis: *Ubi* (in Sede Atrebatensi) *cùm de Ecclesiasticis functionibus satis pro opportunitate temporis tractaret,* (Episcopus) *relatum est ei, quosdam de Italiæ finibus eò loci advenisse, qui quamdam nova hæreseos sectam introducentes, Evangelicæ atque Apostolicæ sanctionis disciplinam pervertere tentabant, & quamdam justitiam præferentes, hac sola justificari homines asserebant, nullumque in Ecclesia aliud esse Sacramentum, per quod ad salutem pervenire potuissent.* Ipsa in Synodo ante se hæreticos sisti, & quam profiterentur doctrinam, palam aperire compellit: *Illi referunt Gundulfi cujusdam ab Italiæ partibus viri, & ab eo Evangelicis mandatis & Apostolicis informatos, nullamque præter hanc Scripturam se recipere. . . . Baptismatis mysterium penitus abhorrere, Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum respuere, negare lapsis pœnitentiam post professionem proficere, Ecclesiam adnullare, legitima connubia adnihilare, nullum in sanctis Confessoribus donum virtutis spectare, præter Apostolos & Martyres neminem debere venerari.*

Hæc præcipua sunt hæreseon illarum capita, quibus accedunt alia quædam.

Eximius porro Pontifex divinas Scripturas quàm

Digitized by Google

altè hauſerit, rebus theologicis quàm eruditus fuerit, & quanto zelo pro Domo Dei, hoc eſt, Eccleſia Catholica arſerit, oppoſueritque ſeſe fortiter hæreſibus; videbis, Lector, Synodum iſtam ſi evolvere per otium liceat. Quali diſciplina imbutus à pueritiâ fuerit Gerardus, & quantum deinceps profecerit; deſcribit Baldericus Epiſcopus Noviomenſis in Chronico Cameracenſi lib. 3. cap. 1. *Hunc* (Gerardum) *in pueritia Albero Remenſium Archiepiſcopus pro conſanguinitate, ſed & pro prædiis, quæ ex parte matris in ipſa terra habebat, hereditario jure tenendis, permiſſione parentum abduxit, & ſub regula canonica degentem familiariter educavit. Sub cujus liberali eruditione, & normam Eccleſiaſticæ religionis & mundanæ diſciplinam ſatis viderat honeſtatis, &c. Sacris Canonum ſanctionibus plurimùm ſe addictum oſtendit: qui etſi honorabiliùs coram regia pompa & Lotharienſi ſolertia ſciret ſe ordinandum, tamen à nullo quidem, niſi à Metropolitano Remenſi Archiepiſcopo ſe ordinatum iri velle reſpondit: Quippe ſatis providè ac competenter cauſam conſiderans, ne fortè videlicet eò etiam ipſe conſuetudini Sedis Metropolitanæ contraire videretur, &c.*

Legenda Gerardi epiſtola ad Leodienſis Eccleſiæ Archidiaconos, ubi ejus vigor Epiſcopalis, Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudium ardens, itemque ex jugi Conciliorum ſanctorumque Patrum lectione comparata elucet doctrina, ibid. cap. 29. & cap. ſeq. Adalberonem Epiſcopum Laudunenſem ſimoniaca labe infectum graviter reprehendit, eaque de re ad Archiepiſcopum Remenſem perſcribit cap. 30. Alias ſcripſit epiſtolas, quæ ad diſcipli-

Digitized by Google

nam Ecclesiasticam spectant. Pluribus interfuit Synodis ac Conciliis in diversis regionibus celebratis, quemadmodum refert Baldericus suprà laudatus.

At miror quòd diligentissimum Scriptorem hæc quam edimus, Synodus latuerit, omnesque Auctores, quod sciam, qui de Belgicis rebus tum Ecclesiasticis, tum sæcularibus, scripsere; quandoquidem percelebris Synodus exstitit apud Atrebates Cameracensesve. Gerardi Atrebat. sive Cameracensis Episcopi obitus memoratur in Necrologio MS. Abbatiæ S. Benigni Divionensis.

Atque ut ad hæreses illa in Synodo damnatas nostra reflectatur oratio: notanda præcipuè ea est, quæ veritatem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia negat: nam doctissimè ab Episcopo refutati, pravo dogmate deposito, hæretici redeunt ad Catholicam fidem, sicut habet Synodus in fine cap. *de Corpore & Sanguine Domini*, ad hunc modum: *At illi gravitate verborum* (Episcopi) *& cælestium virtute magnalium stupefacti, vultibusque demissis, quamdam pœnitudinis similitudinem præferentes, & ex alto suspirantes, gemitum unà dederunt, dicentes, nihil hîc se nisi divinum audire, & quod se mutos & elingues faceret: corruentesque in terram tunsis pectoribus culpam fatentur, &c.* Deinde peracta Synodo singillatim suis hæresibus enumeratis, hisque damnatis, resipiscunt Gundulfiani, atque veram & Catholicam fidem profitentur.

Vide, Lector, ea in Synodo, quæ an. 1025. instituta fuit, multo ante Concilium Vercellense anni

Digitized by Google

1053. phanaticum errorem Novatorum quorumdam Berengarii ſectatorum, qui panis & vini transſubſtantiationem in Corpus & Sanguinem Chriſti, dum ſacrum myſterium à Sacerdotibus peragitur in altari, & ibi reale ac ſubſtantiale Chriſti Domini Corpus adeſſe operante Spiritu ſancto credere perhorreſcunt, ac pernegant more Catharorum, ut infrà mox advertes. De his hactenus.

II. Vita hæreticorum, ſive hæreſis Catharorum.

II. Subſequitur Synodum Atrebatenſem Vita hæreticorum, ſive *Hæreſis Catharorum, quam patefecit Bonacurſus, qui quondam fuit Magiſter illorum Mediolani, coram populo*. Iſtius hæreſis horrenda prorſus dogmata, immo inſanientium hominum deliramenta exhibet Bonacurſus, confutatque tum ex divinis Scripturis, tum ex Patrum placitis, pag. 63. & ſeqq.

At verò Cathari ea tempeſtate exorti, vel redivivi, longè diverſi ſunt à vetuſtis illis Catharis ſeu Novatianis, qui Galieni Imp. & Stephani Papæ I. temporibus emerſere: quod noſſe poteris, Lector, ſi antiquam cum recentiori conferas hæreſim. Catharorum Mediolani Eccleſiam oppugnantium fit mentio in Italia ſacra auctore Ughello, ubi de Galdino Mediolanenſi Archiepiſcopo agitur: *Ceterum Galdinus cùm Eccleſiam ſuam divino auxilio ferè ad priſtinum reduxiſſet decorem, &c. plenuſque charitate redivivam hæreſim Catharorum impugnaviſſet*, &c. Hæc Ughellus ad an. 1173. Sed nihil prorſus de Bonacurſo, qui forſitan paulò pòſt vivebat.

Meminit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad an. 1163. quorumdam Catharorum, quos Eck-

bertus Abbas S. Florini refutare conatus est Coloniæ, *ita ut penitus contradicere non valerent, &c. Sed cùm in suo proposito pertinacissimè persisterent, ab Ecclesia prorsus ejecti sunt, & in manus laïcorum traditi, qui eos extra urbem educentes, ignibus tradiderunt, &c. Adversus Catharos istos S. Hildegardis, per Spiritum sanctum inspirata, ad Canonicos majoris Ecclesiæ Moguntinæ scripsit epistolam, &c. Cataphrygi sive Cathari eò dicti*, ait Trithemius, *quòd se mundos & solos Christianos esse dicebant.*

Catharorum nefandissimas hæreses postea anno 1216. amplexati sunt Albigenses, qui Comitatum Tolosanum ac plurimas Galliæ urbes veneno suo inficere cœperunt, & veluti amentes debacchari.

III. Dialogi tres Anselmi Havelbergens. Episcopi.

III. Nunc ad Dialogos tres Anselmi Havelbergensis Episcopi accedamus. Est autem *Havelburgum* (Havelburg) *urbs Germaniæ in Marchia Brandeburgensi, Episcopatus sub Archiepiscopo Magdeburgensi.* Ita Philippus Ferrarius in Lexico Geographico. Eo in loco Anselmus claruit omni genere litteraturæ, tum divinæ, tum humanæ, atque SS. Patrum scriptis non mediocriter imbutus, tempore Lotharii II. Imp. cujus exstitit Apocrisiarius, ac Legatus Constantinopolim missus ad Græcorum Imperatorem, ubi à Græcis sapientioribus Episcopis provocatus, celebrem Conventum institui curavit, in quo de controversiis Græcos inter & Latinos fortiter, summa tamen cum modestia, ultro citroque disputatum est: quod Eugenio Papæ III. narrat ipsemet Anselmus, his verbis: *Ego aliquandò magni Lotharii Romanorum Imp. Augusti Legatus fui in Constantinopolim,* &

& ibidem aliquam moram faciens, multas super hujusmodi doctrina & ritu collationes & quæstiones, modò in privatis, modò in publicis tam Latinorum quàm Græcorum conventibus habui, placuit sanctitati vestræ & præcipiendo rogare, & rogando præcipere, quatenus ea quæ vel ego ibi dixerim, vel ab illis dicta audierim & exceperim, in unum colligerem, & quasi Antycimenon, *id est, librum contrapositorum sub Dialogo conscriberem.* Et paucis interjectis : *Conservavi autem, quantum memoria subministrabat, tenorem Dialogi, quem cum venerabili ac doctissimo Archiepiscopo Nicomediæ Nechite in publico Conventu apud urbem Constantinopolitanam habui. Fuit autem idem Archiepiscopus Nechites præcipuus inter duodecim didascalos*, &c. *Præmisi autem librum de una forma credendi & multiformitate vivendi à tempore Abel justi usque ad novissimum electum, multis quorumdam Fratrum precibus coactus, &c.*

Et quàm submissè de se ipse senserit, argumento sunt hæc quæ subjicit verba : *Sanè quicumque hæc legerit, sciat me ea scripsisse, non tam ut quemquam docerem, aut quid ego didicerim, ut ostentarem, quàm ut Apostolicæ beatitudinis sancto mandato obedirem, &c. siquid imperitia scribendo peccat, id injuncta & humiliter impleta obedientia excusat.*

Deinde in secundo Dialogorum libro agit de processione sancti Spiritus à Patre simul & à Filio, quod negant Græci. Quî verò incœpta sit disputatio, ostendit, & præsentes qui aderant viros tam Latinos quàm Græcos commemorat initio capitis 1. lib. 2. ad hunc modum : *Cùm essem constitutus in urbe regia, & crebrò varias à Græcis quæstiones susciperem, & itidem alias illis proponerem, placuit Imperatori*

* seu Calo-Johanni.

Karlojohanni, placuit etiam Patriarchæ civitatis N. viro religioso, ut publicus Conventus fieret: & statuta est dies, ut in audientia omnium ea sonarent, quæ hinc & inde dicerentur. Convenientibus itaque quamplurimis sapientibus in vico, qui dicitur Pisanorum, juxta Ecclesiam Hagiæ Irenæ, quæ lingua Latina sanctæ Pacis nuncupatur, mense Aprili, &c. positisque silentiariis, qui omnia, quæ hinc inde dicerentur, fideliter exciperent & scripto mandarent: universa multitudo quæ ad audiendum avida convenerat, conticuit. Aderant quoque non pauci Latini, inter quos fuerunt tres viri sapientes, in utraque lingua periti & litterarum doctissimi; Jacobus nomine, Veneticus natione; Burgundio nomine, Pisanus natione; tertius inter alios præcipuus Græcarum & Latinarum litterarum doctrinâ apud utramque gentem clarissimus, Moyses nomine, Italus natione, ex civitate Pergamo: iste ab universis electus est, ut utrimque fidus interpres esset. Cunctis itaque ordinatis, &c.*

In libro 3. tractat de diverso Eucharistiæ ritu Græcorum & Latinorum, nempe de azymo & fermentato, deque Romanæ Ecclesiæ auctoritate & prærogativa: & hæc ultima collatio in sanctæ Sophiæ Basilica habita est *in præsentia sapientum Græcorum*, uti refert Anselmus cap. 1. ejusdem libri: Qui eruditis responsionibus ac vi rationum diluit Græcorum objectiones, atque Latinam fortiter propugnavit Ecclesiam, ac demum ita eos devicit & exarmavit, ut adduxerit Nicomediensem Archiepiscopum ad petendum generale Concilium, quo schisma aboleretur, & utraque Ecclesia conciliaretur. Sic habet Havelbergensis Episcopus cap. ult. cujus verba Lectori haud erunt, opinor, inju-

Digitized by Google

cunda. Nechites loquitur: *Summo studio, sicut suprà dixi, elaborandum esset, ut generale Concilium congruo loco & tempore fieret, ubi universa quæ nos & vos ab eodem ritu dissociant, in unam reducta concordiam firmarentur, & tam Græci quàm Latini unus populus sub uno Domino* JESU CHRISTO, *in una fide, in uno Sacramentorum ritu efficeretur.* Postremò Ansel. Havelbergensis totam disceptationem omniaque colloquia finivit Nechitæ respondens: *Tu qui generale Concilium desideras, videtur quòd id quod Catholicum est, intendas: ideoque & ego Concilium universale futurum exopto, ubi tua sapientia, tua maturitas, tua discretio, &c. in facie totius Ecclesiæ ad salutem & doctrinam omnium possit elucescere, &c.* Universi clamantes dixerunt *Doxasi to Theo*, quod est, *Gloria sit Deo, &c. Calos dialogos*, quod est, *bonus dualis sermo. Holographi, olographi*, quod est, *totum scribatur, totum scribatur.*

Missus fuit Anselmus ab Eugenio Papa ad Conradum Regem Romanorum, tunc temporis in Longobardia degentem: *Quosdam de Fratribus nostris* (infit Eugenius) *postquàm te ad Longobardiæ partes incolumem pervenisse accepimus, sicut per venerabiles Fratres nostros Artuvicum Bremensem Archiepiscopum & Anselmum Havelburgensem Episcopum tibi significavimus, ad tuam serenitatem duximus destinandos, ut affectum & benevolentiam, quam erga te gerimus, tibi exponerent, &c.* Litteras Eugenii refert Otto Frising. in Frid. lib. 1. c. 61. Item lib. 2. c. 4. Conventioni Fridericum Imp. inter & Eugenium Papam subscripsit Anselmus cum pluribus Episcopis.

Tria porro opera superiùs relata, videlicet *Synodus Atrebatensis* ab Gerardo habita: *Vita hæretico-*

Digitized by Google

rum, ſive Catharorum hæreſes, quas Bonacurſus exhibet confutatque, & *Anſelmi Havelbergenſis Dialogos tres*, è tenebris & pulvere vindicavit vir religioſiſſimus ac doctiſſimus Domnus Jacobus Lannoyus Aſceta & Preſbyter Abbatiæ Ciſtercienſis, ex MSS. Codicibus ejuſdem Monaſterii, & ad me tranſmiſit. Præterea cum eiſdem ſcriptis Codicibus diligenter quantùm potuimus, apographa contulimus.

IV. Miſcellanea Epiſtolarum, &c.

IV. In Miſcellaneis inſeruimus præter Epiſtolas & Diplomata, fundationes Eccleſiarum & Monaſteriorum, teſtamenta, contractus matrimoniales, & alia id genus, quorum ſeriem accuratam videbis in Elencho proximè ſequenti.

Notanda in his eſt Præfatio S. Hieronymi ad librum qui *Comes* appellatur, omnibus quas vidi editionibus haud præfixa. Hunc autem librum Hieronymi verum eſſe fetum contendunt Pamelius in Prolegomenis ad to. 2. Liturgicôn, ac noviſſimè Cardinalis Johan. Bona feliciſſimæ memoriæ, in egregio opere de rebus Liturgicis lib. 2. cap. 6. ante medium. Non heic repeto, quæ viri eruditiſſimi hac de re ſcripſere. An verò illius quam edidi, præfationis ſit auctor Hieronymus, Lectori judicandum relinquo.

De Juliani Pomerii in tres libros de vita contemplativa (qui perperam S. Proſpero adſcribuntur) prologo ſecundo nihil obſervo. Lege illi præpoſitam Epigraphen. Et hæc pauca de Miſcellaneis.

V. Martyrologium Gellonenſe.

V. Martyrologium Gellonenſe, ſive Monaſterii S. Guillelmi de Deſerto, O. B. Diœceſis Lutevenſis, pervetuſtum, ineunte ſcilicet ſæculo nono, anno circiter 804. conſcriptum exſtat in fine libri Sacra-

Digitized by Google

mentorum ex Gelasiano ac Gregoriano compositi, ab Albino Alcuino, uti refert Hariulfus in Chronici Centulensis seu S. Richarii O. B. libro 3. p. 485. Tomi 4. Spicilegii, Catalogum texens librorum qui tum visebantur eo in Monasterio, hisce verbis: *Missalis Gregorianus & Gelasianus, modernis temporibus ab Albino mixtim & inordinatè compositi*. Librum istum à nobis ipsi communicatum discutiet atque elucidabit vir clarissimus. . . . de Voisin, qui multa ex eo excerpsit, atque in Opere suo insigni, quod prope diem editurus est, de Missæ traditione, inseruit; fortean librum aliquando integrum dabimus in lucem, atque idcirco plura de eo præfari supersedemus, ne præfationis limites prætergredi videamur.

Porro Martyrologium Gellonense contulimus cum Martyrologio Hieronymiano, San-Remigiano MS. & aliis, ac variis lectionibus excerptis ex duobus manu exaratis Martyrologiis antiquis, uno Monasterii S. Galli in Helvetia, altero Anonymi, quæ V. Cl. Stephanus Balusius manu sua descripsit, & nobis perhumaniter suo more concessit.

VI. Historia Abbatiæ Condomensis.

VI. Ultimo loco hujusce Tomi XIII. proferimus historiam Abbatiæ Condomensis, nunc Episcopatus, hactenus ineditam, auctore Monacho anonymo. Ejus verò historiæ exordia sic falsis narrationibus fœdata erant & conspurcata, ut ea expungere necessarium duxerimus, ne Lector eruditus insulsis ejusmodi initiis offensus, cetera ejusdem historiæ, quæ profutura esse existimavimus, respueret. Videsis Præmonitum in fronte historiæ appositum. A pluribus verò Auctoribus contex-

Digitized by Google

tam esse hanc historiam varius demonstrat stilus: initio siquidem non ita rudis ac barbarus apparet scriptor narrationis, quæ post medium pinguiori Minerva descripta est. Codicem MS. misit V. Cl. Ant. Dandinus Altesertæ.

VII. Indices tres generales.

VII. Præter Indicem hujusce Voluminis XIII. tres subjecimus omnium Tomorum generales, quod jam præfati sumus. Intenderamus primò duos tantummodò texere, alterum nempe ordine litterarum ac Chronologico, alterum rerum & verborum: verùm nos convenere amici nonnulli in rebus antiquis multùm versati, atque tertium postularunt Indicem serie sæculorum & annorum contextum, ut faciliori negotio quocumque in sæculo quæ edidimus, vetusta monumenta reperiri possent. Id lubenter præstitimus, an feliciter, necne, tuum erit, Lector, perpendere ac judicare.

Indicibus varias lectiones subdidimus, nempe Consultationum, *Zacchæi & Apollonii*, quas diligentissimè collegit noster eruditus Claudius Estiennot ex MS. Cod. S. Martialis Lemovicensis. Itemque varias lectiones Chronici Nangiacensis ejusque Continuatoris è scripto Codice Cisterciensi subministravit D. Jacobus de Lannoy suprà laudatus. Ac demum varias lectiones ex MS. Cod. olim Laudunensis Ecclesiæ Cathedralis, nunc Patrum Carmelitarum Discalceatorum apud Clarummontem in Arvernia, eruit noster Petrus Sauret vir eruditus; quas cùm noster itidem Claudius Estiennot ad me seriùs transmiserit, eas ante Zacchæi & Guillelmi Nangiaci lectiones varias collocare nequivi.

Præterea hîc admonitum Lectorem velim, jam

Digitized by Google

inde ab uno anno ad aures meas pervenisse rumusculos quorumdam amicorum utique eruditorum, graviter ferentium, quòd quædam suppresserim edendo gesta Guillelmi Majoris Episcopi Andegavensis: ob eam scilicet, ut putant, causam, quòd Monachis incommoda visa sunt. Hujusmodi rumusculos dissimulare equidem proposueram; at ex familiarioribus amicis quidam mihi suaserunt, ut mentem meam scripto aperirem, ne si hæ susurrationes invalescerent, in suspicionem adduceretur bona fides, quam in edendis antiquis Spicilegii mei monumentis adhibere conatus sum. Neque verò diffiteor me quasdam chartas, quæ in calce libri de gestis Guillelmi Majoris reperiebantur in Autographo, prætermisisse, non eo animo, ut Monachis faverem, sed quòd parvi momenti videbantur, immo etiam aliquam labem inurerent memoriæ Guillelmi Episcopi, qui alioquin de Ecclesia optimè meritus, passus est infamem Archidiaconorum Transligerensium Bernardi & Gallardi avaritiam, ut in alia diœcesi ab Andegavensi longissimè dissita degentes, annuos sui beneficii redditus perciperent, cura licèt animarum ipsis incumberet: quod sanè citra ecclesiasticæ disciplinæ corruptelam admissum esse nemo dixerit. Præterea ut verè dicam, post varias id genus chartas inde jam exceptas summopere gravabar, quæ supererant describere, cùm nihil utilitatis reipublicæ litterariæ præ se conferre, quin & oneri fore existimarem. Verùm ut quorumdam expostulationibus faciam satis, omissas chartas illas post indices & varias lectiones in calce reperies, Lector erudite, ex quo sinceritatem atque ingenuitatem, spero, agnosces

Digitized by Google

meam: eas autem noster Jacobus Duchemin, Theologiam Andegavis in Monasterio SS. Sergii & Bacchi prælegens suis sodalibus, describi curavit ex Codice scripto, quem singulari benevolentia illustrissimus Andegavensis Episcopus utendum concessit. Is est Codex, unde gesta Guillelmi Majoris à me accepta ac to. 10. inserta sunt: sed tum ignorabam, cùm ea prælo supponerem, quis Codicem Parisios transmisisset: nuper verò didici hanc gratiam viro Clariss. Claudio de Lusson, Decano insignis Ecclesiæ Canonicorum S. Laudi Andegavensis, me debere.

Postremò quandoquidem epistolas quasdam Hildeberti Cenomanensis Episcopi, pòst Archiepiscopi Turon. & Arnulfi Lexoviensis Episcopi, to. 2. p. 482. & to. 4. p. 244. in lucem protuli, operæpretium duxi alias quas R. P. Casimirus Oudinus, Ord. Præmonstratensis, doctus æquè ac religiosus reformatæ Cong. Canonicus, ex Codd. MSS. Abbatiæ Fulcardimontis O. C. unà cum sermone ejusdem Arnulfi in Annuntiatione B. MARIÆ Virg. eruit, atque hisce diebus mecum lubens communicavit, his omnibus adnectere. Arnulfi Lexoviensis epistolæ numero sunt v. Hildeberti xv.

Et hæc quidem sunt, Lector pie ac erudite, quæ paucis præloquenda de rebus momenti alicujus habueram. Faxit Deus, ut collectiones meas veterum scriptorum, à me publico bono hactenus datas, in benedictione cælesti ediderim. His interim, qualescumque sint, utere ad Christi gloriam, & ejus Ecclesiæ profectum, & vale, meque tuis ad ipsum orationibus adjuvare memento.

ELEN-

ELENCHUS

CONTENTORUM IN TOMO XIII. SPICILEGII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SUMMA PRIVILEGII.

CHRISTIANISSIMI Francorum Regis LUDOVICI XIV Privilegio die IV. Junii MDCLXIX. concesso, & ejusdem anni, ejusdemque mensis die IV. in Typographiæ Parisiensis Codicem relato: cautum est, ut Congregationis S. Mauri R. P. Superior Generalis, Librum cui titulus est, *Veterum Scriptorum Spicilegium*, in plura volumina distributum, per quem maluerit Typographum, neve alius citra ejus consensum, edat: uti uberiùs Diploma ipsum explicat.

CONCESSIO INDULTI PRIVILEGII.

Idem Superior Generalis facultatem dedit Viduæ EDMUNDI MARTINI, Typographi Bibliopolæ Parisiensis, imprimendi Tomum decimum-tertium Spicilegii Veterum Scriptorum, cum variis Indicibus, die 19 Julii 1677.

SYNODUS

Digitized by Google

SYNODUS
ATTREBATENSIS
A GERARDO CAMERACENSI ET ATTREBATENSI EPISCOPO
celebrata anno M. XXV.

R. nominis dignitate & prærogativa meritorum Episcopo, GERARDUS *nullius meriti Coepiscopus, quidquid ad beatam vitam præstantius.*

PRÆFATIO.

CUM nobile ingenium & prudentiam vestram considero, non adeo demiror potuisse nefarios homines erroris spiritu magicatos, in aliquam pravi dogmatis conspirasse dementiam: sed ad inquisitionem vestram qualiter dissimulare potuerint, ut vos fallerent, vehementer stupeo. Nam quosdam, ut ipse scitis, hujusmodi homines in finibus vestris cohabitasse, sicut veris indiciis comprobavimus,

retulimus caritati veſtræ. Quos quia terrore ſupplicii ſpeciem religionis mentiebantur, indemnatos velut innoxios abire permiſiſtis. Quòd quidem in illis efficacior ad ſubvertendos ſimplices cauſa exſtitit, ſimplicibus autem ſcrupulum, ne non audiendos æſtimarent, injecit; quos verò examine diſcuſſo audirent, nec cauſam puniendi inventam. Verùm illi quoque qui miſſi ab eis ad ſeductionem hujuſmodi ad nos devenerant, comprehenſi, multa diſſimulatione renitebant, adeo ut nullis ſuppliciis poſſent cogi ad confeſſionem: donec per eos ipſos, quos jam pene eodem ſui erroris maleficio imbuerunt, convicti; tandem ſuæ ſectæ diſciplinam partim nobis expoſuerunt. Et poſt aliqua quæ ſe tenere ex Evangelica & Apoſtolica doctrina mentiebantur, dicebant ſe Baptiſmatis myſterium & dominici corporis & ſanguinis Sacramentum nullum eſſe; & idcirco rejiciendum, niſi ſimulationis cauſa non intrare *; Pœnitentiam nihil ad ſalutem proficere: Conjugatos nequaquam ad regnum pertinere, & cætera quæ hujus libelli ſequentia indicant. Quod ideo vobis remandamus, ne ſimulatam religionem eorum aut compoſita verba audire debeatis.

*ſ. miniſtrare

An. 1025.

CAPUT I.

ANNO Dominicæ Incarnationis M. XXV. Indictione VIII. Domno GERARDO Eccleſiam Kamaracenſis ſeu Attrebatenſis urbis regente, quodam annuæ obſervationis more contigit, ut Dominici Natalis & Apparitionis diebus in ſede Camaraci ſolemni curſu expletis, idem Præſul per aliquot dies ſtationem in ſede Attrebatenſi facere deberet. Ubi cùm de eccleſiaſticis functionibus ſatis pro opportunitate temporis tractaret, relatum eſt ei, quoſdam ab Italiæ finibus viros eo loci advenisse, qui quamdam novæ hæreſeos ſectam introducentes, evangelicæ atque apoſtolicæ ſanctionis diſciplinam pervertere tentabant, & quamdam juſtitiam præferentes, hac ſola purificari homines aſſerebant, nullumque in ſancta Eccleſia aliud eſſe Sacramentum, per quod ad ſalutem per-

Digitized by Google

venire potuissent. His auditis, Domnus Episcopus perquiri homines jubet, & inventos sibi præsentari. Qui auditâ inquisitionis causâ fugam occultè parabant, sed præventi à quæstoribus trahuntur ad præsentiam Episcopi. Qui in aliis causis definiendis tunc plurimum occupatus, pauca ad tempus de fide illorum sciscitatus est: sentiensque eos quodam pravi dogmatis errore teneri, recludi in custodia jubet usque in diem tertium; & die sequenti Clericis & Monachis indicit jejunium, ut eos divina gratia Catholicæ fidei perceptione resipisci donaret.

Tertia verò die, quæ Dominica habebatur, segmentatus Episcopus cum suis Archidiaconis, paratis crucibus & textis evangelicis, circumfusa totius Cleri ac populi multitudine, Synodum celebraturus in ecclesia beatæ MARIÆ progreditur, impositaque antiphonâ *Exurgat Deus*, totum Psalmi hujus cursum expleverunt. Denique residente Episcopo in consistorio suo, & utrimque Abbatibus, Religiosis atque Archidiaconis, ceterisque secundùm ordinationis suæ gradum discumbentibus, homines è custodia educti in medium introducuntur. Et in primo quidem Episcopus super his generaliter verbum fecit ad populum. Deinde conversus ad istos: Quænam est, inquit, doctrina vestra, lex atque cultura, quisve auctor est disciplinæ vestræ? At illi referunt, se esse auditores Gandulfi cujusdam ab Italiæ partibus viri, & ab eo evangelicis mandatis & apostolicis informatos, nullamque præter hanc Scripturam se recipere, sed hanc verbo & opere tenere. Verùm quia ad notitiam Episcopi pervenerat, illos sacri Baptismatis mysterium penitus abhorrere, dominici corporis & sanguinis Sacramentum respuere, negare lapsis pœnitentiam post professionem * proficere, Ecclesiam adnullare, legitima connubia execrari, nullum in sanctis Confessoribus donum virtutis spectare, præter Apostolos & Martyres neminem debere venerari.

Synodus celebratur.

Nonnulli quorumdam hæreticorum errores.

*f. confessionem

Illos Episcopus super hujusmodi interrogans: Quo-

Refutantur.

Digitized by Google

modo, inquit, consequens est vos evangelica & apostolica instituta tenere, & contraria istis prædicare? Narrat namque textus evangelicus, quia Princeps Judæorum Nicodemus dum ex signis & miraculis JESUM à Deo venisse confiteretur, continuò Dominus respondit, neminem hoc solo confessionis munere regnum cælorum posse mereri, nisi renatus foret ex aqua & spiritu. Quod quidem regenerationis mysterium vos aut pleniter recipere, aut evangelicis verbis contraire necesse est, cùm constet verè hæc JESUM dixisse.

Responsio hæretici.

Ad hæc illi dederunt hujusmodi responsum: Lex & disciplina nostra quam à Magistro accepimus, nec evangelicis decretis, nec apostolicis sanctionibus contraire videbitur, siquis eam diligenter velit intueri. Hæc namque hujusmodi est, mundum relinquere, carnem à concupiscentiis frænare, de laboribus manuum suarum victum parare, nulli læsionem quærere, caritatem cunctis quos zelus hujus nostri propositi teneat, exhibere. Servatâ igitur hac justitiâ nullum opus esse Baptismi; prævaricatâ verò istâ, Baptismum ad nullam proficere salutem. Hæc est nostræ justificationis summa, ad quam nihil est quod Baptismi usus superaddere possit, cùm omnis apostolica & evangelica institutio hujusmodi fine claudatur. Siquis autem in Baptismate aliquod dicat latere Sacramentum, hoc tribus ex causis evacuatur. Una, quia vita reproba Ministrorum baptizandis nullum potest præbere salutis remedium. Altera, quia quidquid vitiorum in fonte renuntiatur, postmodum in vita repetitur. Tertia, quia ad parvulum non volentem neque currentem, fidei nescium, suæque salutis atque utilitatis ignarum, in quem nulla regenerationis petitio, nulla fidei potest inesse confessio, aliena voluntas, aliena fides, aliena confessio, nequaquam pertinere videtur.

Confutatio.

Quibus è contra Episcopus ait: Si huic justitiæ vestræ ab evangelica & apostolica institutione fidem attribuitis, hanc facilè non aliunde sumptis viribus evacuamus. Natum namque ex immaculata Virgine Dei

Digitized by Google

Filium nulla peccati corruptione infectum teneri, evangelica & apostolica testatur auctoritas: sed sicut Apostolus docet, ipse justus est & justificans omnia, non quòd ipse extrinsecùs donum justitiæ accepisset, cujus participatione dicatur justus; sed principaliter & substantialiter justus, ut necessariò in eo idem & unum dicamus esse justum quod justitiam: alioquin fallitur Apostolus in eo quod dicit, *justificans omnia*. Nam si aliunde accepit, ut ipse sit justus, infirmioris justitiæ & inferioris est, quàm is à quo accepit; nec erit justificans omnia, sed ille à quo accepit, ut ipse & omnia justificentur. Verùm ipse à seipso accipit ut sit justus & justificet omnia, sine quo nullus sanctus, nullus etiam justus, per quem omne sanctum & justum, & à quo omnis gratia & omne donum justitiæ descendit, sicut ait beatus Jacobus: *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Quod autem à Patre luminum descendisse donum dicit, non te scandalizet, quia cùm descendit à Patre, descendit & à Filio, quia ipse ait: *Ego & Pater unum sumus*. Jure igitur ait Apostolus, quòd ipse sit justus & justificans omnia: non comparativè quidem justus, ut possit augeri vel minui, sed immutabiliter & essentialiter justus.

Iac. 1. 17.

Iohan. 10. 30.

Verumtamen talis & tantus Dei Filius, sicut narrat Evangelista, venit in Galilæa in Jordanem ad Johannem, ut baptizaretur ab eo. Cui cùm ex infirmitatis propriæ conscientia ministerium recusaret, ait Dominus: *Sine modò, sic enim decet nos omnem justitiam implere.* Quid enim? In quo erat totius plenitudo justitiæ, & immutabiliter & incomparabiliter justus & justificans omnia erat: numquid ei aliquid à perfecta justitia deerat, ut ad implendam justitiam materialis aquæ fluentis & baptizantis ministerio indigeret? Porro si hoc Baptismatis mysterio ad supplendam justitiam indigebat, non perfectè justus, nec justificans omnia erat. Nihil enim impletur, nisi cui de summa plenitudinis aliquid desit. Plenitudo enim crementum non potest accipe-

Cur Christus baptizari voluit.

Matth. 3. 15.

Digitized by Google

re. Justus igitur non perfectè erat. quod nefas est de Deo judicare. Si autem justus fuerat, nihil à Baptismo, quo suam suppleret justitiam, accipere poterat: sed immutabiliter, & perfectè, & summè justus erat: igitur baptizari non indigebat. Cur ergo dicebat, *Sic decet nos omnem implere justitiam*, qui nec baptizari indigebat, nec justitiâ qua plenus redundabat, quo suppleretur per Baptismum habebat? Indigebat certè, non sibi, sed nobis. Justititiam quærebat implere, non suam, sed nostram. Nam semper in æterno ejus consilio mansit generis humani reparatio, & discretis spiritualiùs Sacramentorum observantiis, quod profuturum & necessarium ad nostræ reparationis erat effectum, hoc per manus dispensatorum visibiliter voluit administrari, sed invisibiliter operante Spiritu sancto impleri.

Matth. 3. 15.

Baptismi institutio & effectus.

Cujus rei gratiâ plurima in sancta Ecclesia providus Dominus instituit Sacramenta, quibus primum ad regenerationis mysterium instituit Baptismatis vsum. Porro Baptismum Græcè, Latinè tinctio interpretatur, quia ibi homo spiritu gratiæ in melius immutatur, & longè aliud quàm fuerat, efficitur. Priùs enim fœdi eramus deformitate peccatorum, in ipsa tinctione reddimur pulcri dealbatione virtutum. Cujus mysterium non aliter, nisi sub Trinitatis designatione, id est, Patris & Filii & Spiritus sancti cognominatione, complectur. Unde Dominus ad Discipulos, *Ite*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Quod quidem mysterium à secretis virtutibus, vel à sacris Sacramentum dicitur: quod ideo penes Ecclesiam fructuosè agitur, quia sanctus in eo descendens Spiritus eumdem Sacramenti latenter operatur effectum. Unde seu per bonos, seu per malos Ministros intra Ecclesiam dispensetur; tamen quia Spiritus sanctus mysticè illud vivificat, nec bonorum meritis amplificatur, nec malorum vitiis attenuatur: quia *neque qui plantat*, aliquid est, *neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Unde & ipse Minister super baptizatum non dicit, *Ego*, sed *Deus omnipotens*

1. Cor. 3. 7.

Nota.

Digitized by Google

Pater Domini nostri Jesu Christi; *qui te generavit ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum; ipse te linivit chrismate salutis in vitam æternam.* Qua in re perspicuum est, quia vita Ministri nihil derogat his qui de Spiritu sancto concipiunt virtutem sanctificationis, præsertim cùm inter ceteros Discipulos Judam futurum Domini traditorem baptizasse legamus, & cùm rebaptizatos omnes à Discipulis Domini fuisse, quos Johannes Baptista in aqua baptizaverat, sciamus; nullum tamen quem Judas baptizasset, iterato fonte ablutum reperimus. Nam si improba vita traditoris nocuisset baptizandis, nequaquam ille, qui omnes venerat salvare, pateretur in illo solo Baptisma perire. Sed quia malitia hominis non potest imminuere divinæ opus virtutis, noluit repetere quod homo ministraverat, Spiritus sanctificaverat. Porro testante divina Scriptura, audivimus Reges magnos fuisse in Jerusalem, qui administrabant res quasdam pertinentes ad Babyloniam, quosdam verò cives Babyloniæ administrasse res Jerusalem. Sic itaque novimus cives bonæ civitatis administrasse res malæ civitatis, & è contra cives malæ civitatis administrasse res bonæ civitatis. Si ergo respublica bonæ civitatis per cives Babyloniæ sine sui corruptione administrari potuit: quantò magis Sacramentum quod vim sanctificationis per invisibilem sancti Spiritus operationem concipit, à pravis Ministris non corrumpitur, cùm aliud sit quod exteriùs agitur, exhibente Ministro, aliud quod interiùs vivificatur, animante Spiritu sancto? Inde est quòd cùm Johannes in Evangelio diceret, *quia audierunt Pharisæi, quòd* Jesus *baptizabat, quamvis ipse non baptizaret, sed Discipuli ejus;* in hoc quamdam operantis Dei & administratorii officii discretionem voluit intelligi: videlicet ut in eo quòd Jesum dicit baptizare, invisibilem divinæ virtutis insinuet operationem; in eo verò quod subdidit, *quamvis* Jesus *non baptizaret, sed Discipuli ejus*, non de operante virtute, sed de visibili exequentium administra-

Iohan. 4. 1.

Digitized by Google

tione dictum intelligatur. Igitur in baptizandis fidelibus aliud est quod invisibiliter efficitur per Spiritum operantem, aliud quod visibiliter exhibetur per Ministrum obsequentem.

Mysterium Baptismatis explicatur.

Quod autem per materialem aquam Baptismum datur, hæc ratio est. Voluit enim Dominus ut res illa invisibilis per congruentem, sed profectò tractabilem rem & visibile impenderetur elementum, super quod Spiritus sanctus ferebatur in principio. Nam sicut per aquam purgatur exterius corpus, ita latenter ejus mysterio purificatur & animus. Invocato enim Deo descendit Spiritus sanctus de cælis, & medicatis aquis sanctificat eas de semetipso, & accipiunt vim purgationis, ut in eis caro & anima delictis inquinata mundetur. Et sic in morte Christi & in resurrectione ejus, potentia Baptismatis novam creaturam condit ex vetere, ut in renascentibus & mors Christi operetur & vita, dicente beato Apostolo: *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo* JESU, *in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Unde notandum, quia in Baptismatis regula & mors intervenit interfectione peccati, & sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis elevatio resurgentis instar est de sepulcro. Deinde verò sacri chrismatis unctione perfunditur infans, ex cujus nomine Christus dicitur, & homo post lavacrum sanctificatur. Nam sicut in Baptismo peccatorum remissio datur, ita per unctionem Spiritus adhibetur. Quæ licèt carnaliter administretur, spiritualiter tamen proficit: sicut & ipsa Baptismi gratia visibilis actus est, quòd in aqua mergimur; sed spiritualis efficitur, quòd delictis mundamur. Manus impositio ideo fit, ut per benedictionem advocatus invitetur Spiritus sanctus. Tunc enim Paraclitus post mundata corpora libens à Patre descendit, & quasi super Baptismi aquam velut super pristinam sedem recognoscens quiescit. Nam legitur, quia in principio *Spiritus*

Rom. 6. 3.

Gen. 1. 2.

ritus Dei ferebatur super aquas: hoc est primum nostræ reparationis Sacramentum.

Ad quod confirmandum Dominus nullius indigens remissione peccati, nec remedio renascendi, cùm non haberet quod aquis potuisset mundari; tamen ad Johannem aquis Jordanicis baptizandus, sicut Evangelista docet, festinavit. Cui recusanti ait: *Sine modò, sic enim decet nos omnem implere justitiam.* Ac si diceret, exemplum præbere omnis justitiæ, ut videlicet discant omnes fideles neminem posse absque Baptismo justificari, quamvis innocenter ac justè vivat. Johannes verò ait: *Et ego nesciebam eum.* Ac si diceret, ignorabam eum primùm: sed videns eum sibi retinere Baptismum, intellexi quia hic erat qui baptizaturus erat in Spiritu sancto, & remissionem peccatorum. sicut ipse dixit: *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super se, ille est qui baptizat in Spiritu sancto.* Quare notandum est, quia impossibile est quemquam ad perfectum justitiæ sine regenerantis aquæ mysterio aspirare, maximè cùm opera justitiæ hanc gratiam Cornelio Cæsariensi dare non potuerunt, donec eum cum omni familia sua salutari vnda Petrus innovavit, super quos Spiritus sanctus ante Baptismum inaudito præeuntis gratiæ exemplo cecidit: ut hac manifesta Dei virtute animatus Petrus regnum Dei gentibus aperiret, quem cum ceteris Discipulis, ne in viam gentium abiret, Dominus antè monuerat.

Matth. 3. 15.

Iohan. 1. 31. 33.

Iohan. 1. 33.

Quod cùm ita sit, profectò in hoc vobis repugnare convincimini, quod evangelica vos & apostolica præcepta tenere dicitis, & his contraria prædicatis. Nam & Evangelista refert, quia JESUS *venit & discipuli ejus in Iudæam, & ibi demorabatur cum eis, & baptizabat.* Qui Baptismi Sacramentum, & regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ejus profluerent sanguis redemptionis, & aqua Baptismatis. Unde Johannes Apostolus: *Tres sunt*, inquit, *qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua & sanguis.* Petrus verò, cui primatum Ecclesiæ Dominus contulerat, dum credentium nume-

Iohan. 3. 22.

1. Iohan. 5. 8.

Digitized by Google

rum promissus sancti Spiritus replevit adventus, tria millia hominum sua prædicatione conversorum aquâ Baptismatis consecravit, sicut Lucas testatur, dicens; *His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine* JESU CHRISTI *in remissionem peccatorum; & accipietis Spiritum sanctum.* Aliis etiam pluribus verbis exhortabatur eos, dicens: *Salvamini à generatione ista prava.* Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt animæ in illa die circiter tria millia. Paulus etiam, cujus vos doctrinam tenere profitemini, divinæ injuriæ pœnis affectus, ab Anania baptizatus est: qui & ipse postmodum Crispum & Gaium & Stephanæ domum se baptizasse dicit. Philippus etiam Eunuchum Candacis Reginæ ab Jerusalem redeuntem in aqua baptizavit, sicut liber Apostolicus indicat. Quam ab Apostolis traditionem Catholica adhuc servat Ecclesia.

Act. 2. 37. 38.

Ibid. 40.

Unde colligitur, quia quamlibet justè & innocenter quis videatur vivere, salvari tamen absque divini fontis lavacro non possit. Verùm utcumque originalis culpæ, aut propriæ actionis reatu teneatur astrictus, tamen fonte renatus, mundus, & totius peccati sorde purgatus, adeo innovatur, ut qui filius diaboli in fonte descenderat, filius Dei renatus ascendat; qui filius prævaricationis descenderat, filius reconciliationis ascendat. Et ut cuncta colligam, qualem primum hominem ex virginea terræ massa finxit sapientia creantis, talem etiam hunc ex purificato fontis utero producit clementia Redemptoris. Quod contra, infideles garrire solent, dicentes, primum hominem, si non peccasset, immortalitatis munere donatum; istum verò, quemlibet * justè & innocenter vivat, nequaquam tamen posse mortis vitare jacturam, & ideo multùm repugnare à vero, ut qualis ille fuerat factus à Conditore, talis & hic regeneretur ex fonte. Quam eorum repugnantiam facile est inflecti ad consequentiam, si quis divinæ

* *f.* quantumlibet

pietatis consilium considerare potuerit. Nam ex vno eodemque fonte, divinæ rationis descendit, & quòd illum immortalem mirabiliter creaverat, & quòd istum morti obnoxium misericorditer reformaverat. Porro facile fuerat istum immortalitatis gloriâ donari tamquam & illum, si fuisset in consilio creantis. Sed quia dum illum libera voluntas, & mortalitatis securitas decepit, per prævaricationis culpam traxit ad mortem; istum, ne spe immortalitatis deceptus, temporalibus deliciis ardentiùs insistat, per inevitabilem mortis eventum invitat ad veram vitam. Quia verò ille mortis securus, auctore contemto, aurem aperuit suasori, & superbiæ audaciam vnà petiit; hunc pietas Redemptoris voluit suspensum morte teneri, ut per humilitatis custodiam vitaret hostem, audiret Conditorem, sicque ad superna conscenderet. Nihil igitur repugnat à vero, talem hunc regeneratum ex fonte, quem mors invitat ad vitam; qualem illum, si non peccasset, formatum, quem mox de immortalitate præsumtio coegit subire mortis ruinam.

Objectio. Sed fortasse objicis mihi, quantum ei præstitit donata immortalitas, ex qua ruinæ causam venturam Conditor non ignorabat. *Responsio.* Multum quidem ei contulerat, ut videlicet si sine peccato manere voluisset, & mortem non gustaret, & tam ipse quàm ejus progenies, Angelos semper haberet concives. Sed dum præceptum neglexit Conditoris, ipsa sua libertate deceptus, à paradiso seclusus, in ignotis partibus sui generis posteritatem transposuit, atque pœnam, quam ipse prævaricationis reus exceperat, generando transmisit in posteros; de qua non potuisset erui, nisi eum Christus suo adventu relevasset, qui per novæ regenerationis mysterium, omne præteritum vitium sui Baptismatis lavacro purgavit, & statum pristinæ libertatis reformavit. Igitur ad vitanda improbi seductoris tentamina, cùm primùm parvuli sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramenta, non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis & sufflationibus Sacerdotum ab eis

Digitized by Google

ſpiritus immundus abigatur: ut verè appareat quomodo princeps mundi hujus ejiciatur foras, & priùs alligetur fortis, & vaſa ejus diripiantur tranſlata in poſſeſſionem victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus.

Quòd ſi refugitis credere, ut qui parvulum fidei neſcium, ſuæque ſalutis ignarum, nec regenerationis curam habentem, de fonte ſuſcipiunt, eorum fides aut confeſſio illi puero nequaquam proficiat: conſequitur, ut nec paralytico quòd offerentium fidem profuiſſe credatis, de quo Evangeliſta dicit, quia *videns* JESUS *fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Sed nec illud recipiendum æſtimabitur, quod in Evangelio legimus de muliere Chananæa, ut fides ejus ad impetrandam ſalutem filiæ profuerit. Porro alius Evangeliſta dicit, quòd offerebant JESU parvulos, ut manus eis imponeret; & complexans eos, & imponens manus, benedicebat eos. Qua in re datur intelligi, quia non parvulorum fides, quæ adhuc nulla fuerat, ſed offerentium fidelis credulitas, ut parvuli benedicerentur, obtinuerat, ſicut Dominus dixit Centurioni pro ſalute ſervi poſtulanti: *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. & ſanatus eſt puer in illa hora.*

Matth. 9. 2.

Matth. 8. 13.

Denique vos, qui nihil in ſancta Eccleſia corporaliter gerendum arbitramini, ut in hoc Baptiſmatis myſterio aqua, oleum chriſmale, Sacerdotis officium, & cetera quæ uſque hodie Catholica ſervat Eccleſia: vos, inquam, rogo, quid ſibi vult illa materialis aquæ alluvio, quam lavandis pedibus invicem exhibere ſoletis? Nam ſi hoc ab Evangelio vos accepiſſe dicitis, ut quia Dominus Diſcipulorum pedes lavans, hoc illis exemplum reliquiſſe legitur, & vos quoque hujus rei gratiâ facere vos invicem dicatis: ſtultum eſt, immo ſacrilegum cetera & multò majora repudiare, quæ ab ipſo rerum auctore Domino ſunt conſtituta, ab Evangelio enuntiata, ab Apoſtolis tradita, ſine quibus noſtræ ſalutis plenitudo non poteſt conſiſtere. quæ qui-

Digitized by Google

dem ipse Dominus & ante resurrectionem, & post resurrectionem Discipulis suis servanda instituit.

De corpore et sanguine Domini.

Caput II.

FUERANT certè satis quæ de his dici poterant, si horæ suppeterent: sed quia dies ad occasum declivior, ad propria quemque commonet redire; jam nunc his omissis transitum faciamus ad illud sacrum & immotabile * dominici corporis & sanguinis Sacramentum, quod vos ad vestram confusionem, nisi resipueritis, adversum divinam & apostolicam traditionem impugnantes evertere tentatis. Quod quidem mysterium, quale quantumque in se contineat pondus virtutis, impossibile est humanæ rationis intuitu perscrutari. Quod enim vltra hominem est, infra sensum hominis non potest cohiberi. Non igitur sufficit illud facundia humana comprehendere: hoc enim illud sanctum & admirabile commercium, per quod terrenis cælestia junguntur, inferna spoliantur, paradisus aperitur. Homo exul antiquo horto relocatur, per quod etiam Angeli recognoscunt hominem concivem suum, & supra se positum adorant hominem Deum. Verùm nos, quia tempus commonet, quantum nostræ fragilitatis sensus percipit, illius, de quo loquimur, gratiâ confisi edicimus.

*f. immortale

Sacrificium dicitur quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis dominicæ Passionis. Unde hoc ipso jubente corpus Christi & sanguinem credimus, quod dum sit ex fructibus terræ, sanctificatur, & fit Sacramentum operante invisibiliter spiritu Dei. Quod quidem ideo Sacramentum esse dixerim, quia tamquam viaticum nobis fit introducens ad contemplationem æternitatis. Cujus panis & calicis Sacramentum Græci Eucharistiam dicunt, quod Latinè bona gratia interpretatur. Quid enim melius corpore & sanguine Christi? Quod quidem sacrificium, dum de pane & vino cum aqua mixto, ineffabi-

Digitized by Google

li sanctificatione, cruce & verbis illius in altari consecratur, dumque Passionis & Resurrectionis ejus, atque in cælum Ascensionis ibidem salutifera memoria agitur, verum ac proprium corpus ipsius Domini nostri JESU CHRISTI, & sanguis verus ac proprius efficitur, quamvis aliud esse videatur. Videtur namque panis materialis, sed verissimè efficitur corpus Christi, sicut ipsa eadem Veritate attestante didicimus. Nam ipsa nocte qua sponte per Passionis mysterium corpus suum pro nobis in mortem traditurus erat, sicut Evangelista refert: *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, dicens: Sumite, hoc est corpus meum. Similiter & calicem accipiens, benedixit, & dedit Discipulis suis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est calix novi Testamenti, qui pro multis fundetur in remissionem peccatorum.* Quod verò subdit, *hoc facite in meam commemorationem*, ad hoc retulit, quod per ministerium Sacerdotum quotidie à fidelibus fieri mandavit, dum Passionis suæ memoria agitur, & sub sacramento communicandæ carnis & sanguinis panis sanctus & calix consecratur. Ad hanc spiritalem alimoniam, ad hoc mysticum & divinum epulum nos Dominus invitat, tantamque necessitatem sumendi hujus alimenti nobis indicat, ut aliter in nobis vitam habere non possimus, nisi carnem ejus manducaverimus, & sanguinem biberimus.

Matth. 26. 27.
Marc. 14. 22. 23. 24.
Luc. 22. 19. 20.

Quando fit corpus Christi, & sanguis consecratur.

Objectio.

Sed fortasse aliquis nimis carnaliter hoc audiens objiciat, neminem posse vitam habere in semetipso, cùm Christus carnem, quam proprio gestabat corpore, nemini edendam erogasse, sed perfecto & integro corpore cælum penetrasse legatur; aut certè, quod nefas dictu est, Dominum in hoc verbo culpam mendacii subiisse, cùm multi vitam in se habere videntur, qui carnem aut sanguinem ejus gustasse aliquando se non meminerant. Quod nos, Deo volente, tali modo solvimus. Possunt quidem homines sine hoc cibo temporalem hanc vitam in præsenti sæculo habere; æternam verò vitam habere nequeunt, quæ solis fidelibus carnem & sanguinem Christi dignè sumentibus pro-

Responsio.

Digitized by Google

mittitur. Unde & ipse dicit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* vitam videlicet animæ, ipsum Christum, qui alibi dicit: *Ego sum via, veritas & vita.* Filium verò hominis se dicebat, cujus corpus quotidie per Sacerdotes immolatur in altari. De quo Apostolus ait: *Panis quem frangimus, nonne corpus Domini est? Et calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est?* Unde cùm Dominus diceret: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; litigabant Iudæi ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Non enim hunc panem intelligebant, & audientes carnem exhorrescebant; non enim erant membra Christi, idcirco scandalizabantur in carne Christi. Sed & cùm Discipuli verba ejus carnaliter accipientes dicerent: *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* respondit Dominus: *Hoc vos scandalizat. Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat priùs.* suspensa, & quasi defectiva oratio fuit. Putabant enim Discipuli, Christum carnem qua indutus erat, particulatim incisam credentibus distributurum, & quasi hoc contra naturam esse hominum, videlicet humanam carnem in cibum sumere. quasi de re difficillima & impossibili dixerunt: *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Unde & Dominus: *Si*, inquit, *videritis filium hominis ascendentem ubi erat priùs.* subaudiendum, tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis, meam carnem credentibus distribuo., sed spiritali gratiæ me illis dando, ipsos in meum corpus transfundo: & hæc gratia non consumitur morsibus, nec dentibus teritur, sed interioris hominis palato, hoc est, ratione & intellectu mentis, percipitur. Unde & communio dominici corporis, sicut suprà diximus, Græco quidem, sed Latinis usitato sermone Eucharistia, id est, bona gratia appellatur. Videtur enim sanctus ille panis, quo corpus Domini consecratur, & visibiliter ore percipitur; sed virtus Dei Verbi, id est, divinitas, qua anima percipientis sanctificatur,

Iohan. 6. 54.

Idem 14. 6.

1. Cor. 10. 16.

Iohan. 6. 51. &c.

Ibid. 61.

Ibid. 62.

videri non poteſt. Aſcendit ergo Chriſtus perfecto corpore ſuo, & reliquit nobis Sacramentum corporis ſui. Denique ne putarent ſibi in iſto cibo & potu ſic promitti vitam æternam, ut jam nec corpore morerentur, cùm dixiſſet, *Qui manducat meam carnem*; continuò ſubjunxit: *Et ego reſſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Nam qui dignè carnem Chriſti comedit, & ſanguinem ejus bibit, licèt mortuus corpore, habet interim ſecundùm ſpiritum vitam æternam. Quod verò ad corpus attinet, nec ipſum vitâ æternâ fraudabitur, qui reſſuſcitabitur in noviſſima die, vltrà jam non moriturum. Hoc igitur modo Veritatis ſermo ſine culpa mendacii fuit, dicens neminem vitam in ſe habere, niſi qui communicandæ carnis ejus & ſanguinis ſpiritalibus alimentis paſceretur.

Ibid. 55.

Poterat verò illud infirmis auditoribus huic ſententiæ contrarium videri, quod ſubditur: *Caro non prodeſt quidquam*, cùm ſuperiùs nulli vitam habere in ſe dixiſſet ſine perceptione carnis ſuæ. Sed ita intelligendum eſt, ſi carnaliter verba mea intelligere vultis, ut ſic carnem meam ſicut alium cibum manducetis, caro nihil vobis prodeſt.

Iohan. 6. 64.

Objectio.

Quî enim poteſt ita ſuum corpus per tot eccleſias in toto orbe diffuſas diſtribui, per tam innumerabiles populos & longa tempora, ſingulis diebus, ſingulis hominibus ſumendum diſtribui, & nunquam deficere?

Reſponſio.

Quo contrà vobis reſpondemus, dum fidem evangelicam & traditionem apoſtolicam vos fateri audimus. Verbum quod in principio erat apud Deum, id caro factum in fine temporum, quomodo totum cum Patre fuit ſemper, & totum ſe clauſit in utero Virginis? Si totus in Virgine, quomodo totus cum Patre? Sed audi tantæ virtutis myſterium. Aſcenſurus in cælum Dei Filius Diſcipulis pro diſceſſu ejus ſollicitis promittit ſe manſurum cum eis omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi, quibus paulò antè prædixerat ſe ire ad Patrem. Quod quidem refugeret credere humanus intellectus, niſi virtus diſcretionis adhibeatur.

Homo

Digitized by Google

Homo namque corpore circumscriptus in loco manere, & à loco discedere, nisi per successum temporis, non potest. Æterna verò Dei essentia sicut nec tempore angustatur, ita nec loco constringitur; sicut enim semper est, ita semper vbique est. Manere igitur ejus est, nulli omnino loco deesse; redire verò est corpus in terris sumtum ab eis subtrahere. Manere ergo cum illis, & ire ad Patrem se dicebat, dum corpus quod corruptibile induerat, jam incorruptionis gloriâ sublimatum ad cælos evehit, & per majestatis præsentiam, qua vbique se cum illis mansurum promittit. Qui ergo ad Patrem, cum quo semper est, ivit, & cum Discipulis mansit, non impossibile est corpus, quod æternum & incorruptibile est, & in cælis servare, & in terris communicandum nobis corporis sui Sacramentum præbere.

Quòd verò in tot partibus, temporibus, populis, hominibus quotidie sumtum & non imminutum objicitis, nullum incredulitatis scandalum parit, siquis fidei oculis intueri velit, quod ait Dominus, dum porrigeret illis panem & calicem, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. Semel namque Christus passus, semel mortuus, quotidie in Ecclesia nobis patitur, quotidie nobis moritur, dum ipso jubente sacrosanctæ Passionis ejus memoria agitur, & per Sacerdotum ministerium salutaria corporis ejus & sanguinis mysteria renovantur. Quæ invisibiliter eodem Spiritu vivificantur, quo operante in utero Virginis incarnatus est Dei Filius. Quod quidem ex verbis beati Andreæ Apostoli intelligi datur, cujus vos doctrinam inter ceteros Apostolos imitari profitemini; qui cùm ad sacrificium idolorum compelleretur, ait: Omnipotenti Deo, qui unus « & verus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, « nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum san- « guinem, sed immaculatum sanguinem quotidie in al- « tare crucis sacrifico: cujus carnem postea quàm omnis « populus credentium manducaverit, & ejus sanguinem « biberit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat «

» & vivus. Et cùm verè sacrificatus sit, & verè carnes ejus manducatæ sint à populo, & verè sanguis ejus sit bibitus; tamen, ut dixi, integer permanet, & immaculatus & vivus. Interrogante verò Ægea, quomodo fieri posset, ut occisus viveret Agnus, sacrificatus verò & comestus quomodo integer & immaculatus per-
» maneret; Apostolus respondit, si Discipuli formam
» imitatus crederet, facilè addiscendum, sin autem, ad
» indaginem veritatis non posse attingere. Quod & vobis quoque impossibile erit intueri, nisi deposito incredulitatis rigore formam fidemque Discipulorum receperitis. Verùm quia hoc fidei oculis intuendum docuimus, si quem magis visibilia ædificant, quàm invisibilium virtus accendat, pauca de multis edicimus, quæ Dominus ad corroborandas mentes carnalium oculis carneis contuenda de hoc ipso corporis sui & sanguinis Sacramento dignatus est ostendere.

Tempore namque quo beatus Gregorius Romanæ Ecclesiæ pastorali curæ deserviebat, quædam materfamilias religionis studio oblationes facere, & summo Pontifici ad Ecclesiam familiariter offerre consueverat. Quæ cùm ex more quadam die ad communicandum de manu Episcopi ordine suo accederet, & illi Pontifex dominici portionem corporis porrigeret, di-
» cens: Corpus Domini nostri Jesu Christi prosit
» tibi in remissionem peccatorum & vitam æternam; subrisit. Quod vir Dei intuens, communionem retraxit, & separatim super altare repositam Diacono servandam, dum ceteri communicarent, tradidit. Expletis verò sacris mysteriis Episcopus risûs causam requirit. At illa respondit recognosse se partiunculam illam ex oblatione quam propriis manibus factam Episcopo obtulerat, & quia corpus Domini eam dixerat, in risum se excitatam. Unde facto verbo ad populum Episcopus omnes in commune orationem ad Dominum fundere hortatur, ut ad corroborandam fidem multorum manifesto suæ virtutis indicio mulieris incredulitatem compesceret. Quod & factum est. Surgen-

Digitized by Google

tibus autem cunctis ab oratione, & ad decernendum cæleste spectaculum comprimentibus *, dominus Episcopus corporalem palam revelat, & vniverso populo & muliere contuente partem digiti auricularis sanguine cruentatam invenit, & conversus ad mulierem dixit: Vel nunc experta divinæ virtutis miraculum, ne differas audire Veritatem dicentem: « Panis quem ego do, caro mea est, & sanguis meus verè est potus. » Sed præscius Conditor infirmitatis nostræ potestate, qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus sibi ex carne Virginis, operante Spiritu sancto, fabricavit, panem & vinum aquâ mixtum, propria manente specie, in carnem & sanguinem suum ad catholicam precem, ob reparationem nostram, Spiritus sui sanctificatione, convertit. Denique omnes rursum in orationem prostrati, divinam potentiam exorant, ut sanctum mysterium in pristinam formam convertat, quatenus ad sumendum mulieri fiat possibile. Quod & factum est. Consecuta igitur mulier dominici corporis participatione, postea in sancta religione & fide, & omnes qui aderant, in amore Christi & credulitate ferventes proficiebant.

* f. contuentibus

Alio quoque tempore quidam vir nobilissimus, atque juxta sæculum potentissimus, à beato Gregorio reliquias beatorum Apostolorum & Martyrum petiit sibi transmitti. Erat enim Episcopo familiaris, & erga Dei cultum per admonitionem ejus sufficienter imbutus. Honorificè igitur Legatos suscipiens, aliquamdiu secum morari fecit. Memorias igitur Apostolorum & Martyrum pro hujusmodi negotio agens, dum reliquias consecrando Missarum solemnia explesset, particulatim pannos super quibus sancta celebraverat, dividit, & singulis singulatim buxtis imposuit, quas sigillo munitas Legatis tradit. & sic proficiscuntur. Qui dum iter carperent, & quid secum ferrent, ignorarent, cœperunt curiosiùs se ipsos reprehendere, quòd quid Domino portabant, penitus ignorarent. Quid longiùs moramur? Fractis sigillis & apertis buxtulis nihil aliud nisi pannos contemplantur. Indignati igitur Romam

redeunt, accusantes Episcopum, quòd sui domini petitionem, & sui itineris laborem tam parvi æstimasset, ut pro reliquiis pannos ei misisset, tamquam hujusmodi genus apud se non inveniri posset. Quorum stultitiam Episcopus patienter ferens, eos celebrandis mysteriis jubet interesse. Ut autem ad locum sermonis ventum est, suadet populo Dei gratiam & Sanctorum exorare, ut suæ virtutis potentiam in hac re dignetur ostendere, quatenus quid fides mereretur, ignorantes agnoscerent. Data igitur oratione, & ab eo qui signa fregerat, accepto cultello, super altare sancti Petri unum ex pannis per medium pungens secavit, ex quo, visu mirabile! sanguis defluens omnem eamdem panni particulam cruentavit. Stupentibus Legatis & ceteris qui aderant, super arcanum sacræ fidei miraculum, dixit ad eos beatus Episcopus, qui sacras reliquias parvi duxerant: Scitote, fratres, quia in consecratione dominici corporis & sanguinis cùm ob sanctificationem reliquiarum in honore Apostolorum & Martyrum Christi, quibus specialiter assignabantur, supra sanctum altare libamina offerebantur, semper illorum sanguis hos pannos intravit, qui effusus est pro nomine Domini nostri JESU CHRISTI. Sic itaque ædificatos in fide Legatos sanctus Gregorius ad dominum suum gaudentes remisit.

Pensate igitur, si sanguis Martyrum Christi in eorum memoria pannos intravit, quantò magis sanguis Christi & corpus in se transformat panem sanctum & vinum, quotiens dominicæ Passionis memoria agitur. Superest aliud dicendum, quod quidem mirificum, & ad incredulitatem malorum confutandam est proficuum.

Quidam vir virtute venerabilis PLEXIS nomine, Monachorum gregem cura pervigili servabat: cujus de virtutibus & miraculis esset satis ad loquendum. Sed quod ad præsens negotium attinens utiliter occurrit, unum audite. Hic dum quadam die ex more sacrosancto altari humili devotione adstaret, & Missa-

rum solemnia celebrans, dominici corporis & sanguinis veneranda mysteria consecraret: ut ventum est ad horam fractionis, vidit subitò quod & fideliter credendum, & creduliter sit admirandum, id est, sanctificati panis portionem in infantem transformari, & Angelum Domini particulatim ipsum dividere manifesto veritatis indicio, quia verum Christi corpus & sanguis est, quod sub Sacramento communicandæ carnis & sanguinis de altari sumimus. Sæpe etiam dum hæc sacra mysteria celebrantur, visum est à pluribus Angelorum choros mensam altaris, in quo sancta consecrantur, ambire, tamquam milites in obsequio sui Regis adstantes.

Talibus dictis Domni Episcopi, omnes qui circumstabant fideles, lacrymis obortis, Dei virtutem & Dei misericordiam laudabant. Et conversus ad eos qui adstabant hæretica pravitate seducti: Dicite, inquit, si quid habetis quo hæc refellenda arbitremini. At illi gravitate verborum, & cælestium virtute magnalium stupefacti, vultibusque demissis, quamdam pœnitudinis similitudinem præferentes, & ex alto suspirantes, gemitum vnà dederunt, dicentes, nihil hîc se nisi divinum audire, & quod se mutos & pæne elingues faceret. Corruentesque in terra tunsis pectoribus culpam fatentur. Elevantes autem Dei se patientiam dicunt admirari, qui tamdiu eos ad ignominiam Christiani nominis toleraverat; nullam sui erroris veniam posse sperare, qui tanto incredulitatis profundo non se solos immerserant, sed & alios quamplures ejusdem ruinæ præcipitio necaverant. Quibus Episcopus ait: Qui lapsis huc vsque veniæ semitam interdixistis, nec ullum in pœnitentia reconciliationis fructum sperandum judicastis, durum est id vobis spectare ab eo qui peccantes vocat in pœnitentia, & gaudet potiùs super uno pœnitente, quàm supra nonaginta novem justis, nisi melioris fidei pretio id ab eo studueritis quærere, qui certè pœnitentibus semper suæ misericordiæ sinum paratus est aperire. Si autem perfidiæ vestræ duritiam Catholicæ fidei per-

Ad fidem cõvertuntur hæretici.

Digitized by Google

ceptione rejicitis, & deposito incredulitatis rigore fidei Christianæ documenta suscipitis, confidenter vobis à Deo veniam promitto.

De sancta Ecclesia, quæ est domus Dei.

Caput III. Sed latere in vos adhuc quasdam infidelitatis tenebras sentio, quas dum in cordibus vestris manere permiseritis, nullam supernæ lucis visitationem sperare potestis. Hæ sunt enim tenebræ, quæ vos infidelitatis cæcitate damnatos contra sanctam Dei Ecclesiam erigere, & domum Dei vivi ignominiosis verborum ictibus impugnare faciunt, dicentes in Templo Dei nihil esse, quod sit aliquo cultu religionis dignum magis quàm proprii domicilii cubiculum, nihilque in eo sanctum præter cementa & lapides artificum opere digestos, sed & mensam Domini, in qua corporis & sanguinis ejus libamina offeruntur, nullum in se aliud præter acervum lapidum retinere Sacramentum. De quibus si ea quæ paulò antè de corpore & sanguine ejus præmisimus, fideliter tenentur, nihil est quod humana mens jure dubitare possit. Sicut enim Dominus & Redemptor noster in his sanctificandis mysteriis, quibus ex rebus conficerentur specialiter, quibusve ministris consecraretur, instituit, ita & quo in loco specialiter sacrificarentur, elegit, id est, in Ecclesia sancta, quæ domus Dei specialiter appellatur, quia veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam non est locus. Hic enim divinis cultibus agendis est consecratus. De quo ipse Dominus ait: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* (Luc. 19. 46.) In hoc enim quadragesimo suæ Nativitatis die puer cum hostiis offerri voluit: in hoc enim Simeon longi desiderii compos suscepit. In hoc Anna Prophetissa Redemtorem Israël cognovit, cui quidem ad insigne sancti propositi & vidualis castimoniæ constantiam, hoc singulariter ex evangelica lectione crevit in laudem, quòd non discedebat de Templo. Denique Dominus duodennis puer, ignorante matre & cogna-

Digitized by Google

tis, remansit in Templo. Unde ipse requirentibus ait: *Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* [Luc. 2. 49.] Appropinquante verò hora Passionis suæ, Jerosolymam adiens, statim intravit in Templum, formam nobis religiosæ conversationis, quam sequi debeamus, ostendens: videlicet ut cùm oppidum, aut castellum, sive aliquem locum, ubi domus orationis Deo sit consecrata, ingredimur, priùs ad illam festinare debemus, ubi orationis nostræ vota solventes, nosmetipsos Deo commendemus. Ingressus igitur in Templum, cœpit ejicere vendentes in eo & ementes, dicens: *Domus mea domus orationis est.* [Luc. 19. 46.] Domus illa Dei ad hoc à Salomone primùm, & postea à Jesu Sacerdote, & Zorobabel constructa fuerat, non quòd Deus in manufactis templis habitet; sed ut ibi nomen ejus invocaretur, ibique devotæ plebis orationes audiret, vota susciperet, munera & orationes acceptaret. De quo paulò pòst Evangelista dicit: *Quia accesserunt ad eum cæci & claudi, & curavit eos in Templo.* [Matth. 21. 14.] Ejectis namque indignis & profanatoribus Templi, cæcos & claudos in eo sanavit: non quòd in platea, aut in civitate curationis ei gratia defuisset; sed certâ causâ mysterii suæ virtutis potentiam exercuit, ut profectò ostenderet præter Ecclesiam nemini locum patere salutis.

Istum esse locum, in quo vberiùs divina beneficia quærentibus donantur. In hoc publicanus peccator advenit, justificatus rediit. De hoc enim dicit liber Apostolorum, quia *quotidie perdurabant unanimiter in Templo.* [Act. 2. 46.] Et paulò pòst: *Petrus & Iohannes ascenderunt in Templum ad horam orationis nonam.* [Ibid. c. 3. 1.] De hoc Dominus ait: *Duo homines ascenderunt in Templum ut orarent.* [Luc. 18. 10.] Porrò infirmus quem diuturno languore tabescentem Dominus sanaverat super probaticam piscinam, suæ salutis auctorem nequaquam agnoscere potuit in turba sedentem, donec eum JESUS invenit in Templo, ibique se recognosci voluit: apertè docens, ut si gratiam Conditoris nostri cognoscere, & ad ejus visionem desideramus pervenire, confugiamus devoti ad Templum Dei, ubi illi

de perceptis beneficiis gratias agere, & de percipiendis exorare satagamus, nosque ipsos Templum Dei, in quo misericorditer venire, & mansionem facere dignetur, præparare curemus.

Hæc semper familiaris fuerat consuetudo Domini, ut in quamcumque civitatem introisset, statim diverteret in Templum. Unde Johannes Evangelista: *Perrexit* JESUS *in montem Oliveti, & diluculò iterum venit in Templum*. Et Lucas Evangelista: *Intravit* JESUS *secundùm consuetudinem Synagogam, & surrexit legere.* Ubi audis Synagogam, Templum intellige, ubi conventus Judæorum erat. Hæc semper Domino gratissima sedes fuerat, adeo ut in eam semper ingrediens, sermonem faceret ad populum, ac divinitatis suæ Sacramenta pandere dignaretur. Unde licèt nullum locum vacare à præsentia majestatis ejus sciamus, in hac tamen præsentiùs atque uberiùs suæ gratiæ beneficia petentibus tribuit, ubi corporis ejus & sanguinis sacrosancta mysteria celebrantur, & laudes divinæ & vota solvuntur. In Templo Dominus Salomoni in nube gloriæ suæ apparuit, dicens se ibi petentibus daturum cuicumque tribulationis & angustiæ remedium, & contra tempestates & mortalitatem, adversus gladium & famem, siccitatem & omnem intemperiem aëris, quidquid ibi à petentibus quæreretur, effectum Dei gratia præstaret. Quotidie certè Dominus sanctam spiritualiter intrat Ecclesiam, non quòd ibi altitudine murorum, aut varietate pavimentorum delectetur; sed quia ibi fit conventus fidelium: ibi grates pro largitis beneficiis à fidelibus accipit, Hymnos, & Cantica spiritualia, & devotæ laudis sacrificia suscipit, & sancta corporis sui & sanguinis sui commercia tribuit. Postremò Lucas ad Theophilum scribens, ait, quia Dominus JESUS *post Passionem suam Discipulis seipsum vivum præbuit in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Quid est loqui de regno Dei, nisi de statu Ecclesiæ, quæ regnum dicitur Dei, ordinare?

Johan. 8. 2.

Luc. 4. 16.

Act. 1. 3.

Igitur quòd congestis lapidibus domum Dei, quam nos

Digitized by Google

nos Ecclesiam nominamus, fabricatam, nihilque sanctum ex ea lapidea materia trahere in se contenditis, & ideo nihil differre, quin in domiciliis & privatis mansionibus vestris orationes factæ tantùm valeant, quantùm & in Templo sancto Dei: adversus hæc considerare oportet, cur Dominus tanto cultu tabernaculum fœderis sibi per Moïsen jussit fieri, in quo posthabitis ceteris omnibus locis, specialiùs gloria ejus apparuerat, ibique singulariter in rebus dubiis consultus judicia & legem filiis Israël exposuerat. Unde & Apostolus ad Corinthios ait: *Numquid non habetis domos ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Et paulò pòst: *Itaque, fratres mei*, inquit, *cùm convenitis ad manducandum, invicem expectate: si quis autem esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis.* Monstrante itaque Paulo, propterea convenimus ad Ecclesiam ut oremus & manducemus cœnam Domini. Duo audistis cur conveniat populus ad Ecclesiam: unum ex antiqua traditione, ut judicia rerum & cognitiones accipiat; alterum ex novo Testamento, ut manducet corpus Christi. Utraque enim quærimus ad Ecclesiam, scilicet, ut in ea audiamus judicia nostra mala, sive bona, & cognitionem Dei, & ut manducemus corpus Christi. Quia verò quidam viri comam nutriebant, & mulieres nudato capite procedebant in Ecclesiam, gloriantes in crinibus, quod non solùm inhonestum erat, sed etiam concupiscentiæ fomenta præstabat, ab hac consuetudine Apostolus eos compescens, dicebat: *Decet mulierem non velatam in Ecclesia orare Deum? nec ipsa natura docet vos, quòd vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi; mulier verò si comam nutriat, gloria est illi.*

1. Cor. 11. 22.

Ibid. 33. 34.

1. Cor. 11. 13. 14.

Denique beatum Urbanum Martyrem (si verè Martyres creditis debere imitari) audire vos oportet, qui domum sanctæ Cæciliæ sanctæ Ecclesiæ nomini dicavit. Unde Doctor egregius Augustinus in Psalmo LXXX. * ¶ Hæc quæ extruuntur ad tempus ad recipienda corpora, vel vivorum, vel mortuorum, necessaria sunt, sed tempori * prætereunti. Numquid post judicium Dei istas

* ad v. 3.

* al. tempora prætereunt.

fabricas in cælum levabimus? sine his tamen hoc tempore, quæ ad possidendum cælum pertinent, agere non poterimus.] Porrò ipsa domus idcirco vocabulum habet Ecclesiæ, quia continet Ecclesiam, id est, populum convocatum ab eo, qui facit unanimes habitare in domo. Quæ ideo sanctificatur ab Episcopo, ut in ea velit esse adventus Angelorum, & homines in eam introeuntes ab omni turpiloquio, & scurrilitate, & inutili cogitatione norint se continere. Audiant qui intrant Ecclesiam, quod audivit Moïses, quando voluit visere rubum ardentem. & Dominus, *Ne appropies*, inquit, *huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Et Angelus ad Josue: *Solve*, inquit, *calceamentum de pedibus; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Et Apostolus ait: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Intrantes igitur domum Dei, Ecclesiam, ubi Dominus & Angeli ejus sunt, oportet nos exuere mortuæ actionis calciamentis, & cogitare de conversatione Angelorum, & de præsentia majestatis Dei, & assiduis hymnis & Psalmis spiritualibus invocare nomen Domini, ut illud compleatur in nobis, quod ait Psalmista: *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis à Templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.*

Exod. 3. 5.

1. Cor. 3. 17.

De sacro altari.

Caput IV.

Quod autem de mensa Domini, & de materiali structura ejus fabulas fingitis, quòd nihil aliud sit, nisi acervus lapidum, & ideo inani religionis officio illam venerari: non est vox ista hominis, sed diaboli, cùm nullus sit locus in orbe alius, ubi legitimè veneranda corporis ejus & sanguinis libamina queant sanctificari; nescit enim crucis pretium, qui non credit manere in altari cæleste mysterium. Altare de terra Dominus per Moïsen sibi fieri instituit, super quod holocausta & sacrificia offerri debuissent: de quo liber Leviticus testatur, quia præceperat eidem Moïsi Dominus, ut poneret Sacerdos, qui unctus erat, de sanguine

hostiæ super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod erat in tabernaculo testimonii. Quod quidem altare in tabernaculo novo, id est, in sancta Ecclesia, imaginem corporis Christi & sepulcri tenet, in quo sanguis veri Agni & immaculati Christi quotidie à fidelibus immolatur, qui seipsum pro nobis obtulit hostiam Deo Patri. Hoc quidem primò à Patriarchis, postea, sicut diximus, à Domino per Moïsen consecratum est. Nam legimus, quia Noë post diluvium *ædificavit altare Domino, & tollens de pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super eum, odoratusque est Dominus odorem suavitatis.* Similiter & Abraham, Isaac & Jacob. Qui Jacob egressus de Bersabee vidit scalam à terra cælos usque eminentem, per quam Angelos Dei ascendentes & descendentes, ipsum etiam Dominum loquentem sibi, vidit. Qui manè exurgens: *Verè*, inquit, *Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pavensque, Quàm terribilis est*, inquit, *locus iste! non hic est aliud nisi domus Dei & porta cæli. Surgens ergo manè tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundensque oleum desuper vovit Domino*, ibique decimas & hostias obtulit: ad cujus instar adhuc in sancta Ecclesia oleo sacro altaria perunguntur. De hoc Dominus in Evangelio dicit: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum.* Et alibi: *Quid*, inquit, *majus est donum, an altare quod sanctificat donum?* De hoc Lucas ait: *Quia dum Zacharias sacerdotio fungeretur in Templo, Angelus Domini apparuit ei, stans à dextris altaris incensi.* Et Johannes in Apocalypsi: *Vidi*, inquit, *sub altare Dei animas interfectorum.* Et iterum: *Alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum & data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum super altare quod erat ante thronum.* Et paulò pòst: *Accepit*, inquit, *Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris.*

Gen. 8. 20. & 21.

Gen. 28. 16. & *seq.*

Matth. 5. 23.

Idem 23. 19.

Luc. 1. 11.

Apoc. 6. 9.

Ibid. 8. 3.

Ibid. ỷ. 5.

Digitized by Google

De Thymiamate.

Quoniam de sacro altari verbum facientes, thymiamatis quoque & incensi mentionem fecimus, quorum usum & in cælis angelico ministerio, & in terris per antiquos & novos Patres observari legimus; talem ex hoc divinæ institutionis auctoritatem habemus. Porrò inter cetera, quæ ad cultum tabernaculi facienda Dominus constituerat, hæc quoque jussit Moïsi, dicens: *Facies mihi altare ad adolendum thymiama de lignis sethim*. Et iterum: *Pones altare contra velum, quod ante arcam pendet coram propitiatorio, ubi loquar tibi, & adolebit incensum super eo Aaron, suave flagrans manè. Quando componet lucernas, incendet illud, & quando collocat eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum Domino.* Dehinc in sequentibus ait: *Sume tibi aromata, & stacten & onica, galbanum quoque boni odoris, & thus lucidissimum, faciesque thymiama compositum opere unguentarii mixtum diligenter, & purum & sanctificatione in remissionem. Prædicare annum Domini acceptum & diem retributionis.* Et paulò pòst intendentibus in eum dicit: *Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris*. Sed & Paulus, qui semper à veteribus nos docet transire ad nova, multa de Moïse & Prophetis & Psalmis, suis scriptis inserit, ut est illud in Genesi: *Factus est primus homo Adam in animam viventem*. Quid igitur? Numquid vetus Testamentum reprobasse dicendum est, qui in Epistola ad Hæbreos ita scribit: *Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quod dicitur sancta; post velumentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam Testamenti circumtectam omni ex parte auro*, & cetera, quæ in eadem Epistola de veteri Testamento prosequitur.

Exod. 30. 1.
Ibid. ℣. 6. & seq.
Ibid. ℣. 34.
Luc. 4. 19.
Ibid. ℣. 21.
1. Cor. 15. 45.
Hebr. 9. 2.

Igitur nos sanctorum Patrum exempla servantes, plurima ab illo veteris observantiæ cultu in ministerium novi Testamenti per ministros Ecclesiæ tractanda, Apostoli & eorum successores transtulerunt, ut est

hæc ipsa, de qua loqui incœpimus, sacri chrismatis atque olei unctio, de qua olim Sacerdotes & Reges, jubente Domino, ungebantur. Nam in Exodo scriptum est, ut populi offerant oleum, dicente Domino: *Præcipe filiis Israël, ut offerant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum.* Nam ut Isidorus ait: *Olea ipsa arbor est, fructus oliva, succus oleum.* Est autem olea arbor pacis insignis, & habet pinguedinem, qua lassi atque infirmi artus recreantur, & gratia præstatur luminis; cujus succus, dum offertur à populo, simplex liquor est, per benedictionem verò Sacerdotum transfertur in Sacramentum, sicut de aqua Baptismatis antè docuimus. Animales autem hæc non possunt percipere, sed fides sapiat quod carnei oculi non possunt contemplari, ut fiat illud, quod ait Apostolus: *Invisibilia ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Unde beatus Augustinus in Psalmo XLIV. explanat: Oleum visibile in signo est, oleum invisibile in Sacramento est. Oleum spirituale invisibile est. Potest Deus per se oleum spirituale tribuere sine corporali, sed propter animales aguntur visibilia, ut invisibilia faciliùs capiantur. Apostoli denique hac arte olei utebantur in redintegratione infirmorum, & Apostolici viri in consignatione neophitorum. Sic enim scriptum est in Evangelio: *Exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia ejiciebant, & ungebant oleo multos infirmos, & sanabant.* Unde ait Apostolus Jacobus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Unde patet & ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem traditum, ut inergumeni & alii quilibet ægroti ungantur oleo pontificali benedictione consecrato. Consignantur etiam, ut diximus, neophiti de eo, ad cujus exorcismum jubetur diabolus recedere à catechumeno, qui adhuc pro mortuo deputatur, quia nondum est baptizatus. Chrismalis autem unctio sanctificat viventem ex mortuis, & Spiritus sancti gra-

Exod. 27. 20.

Rom. 1. 20.

Ad quid oleo sacro utitur Ecclesia.

Marc. 6. 12.

Iac. 5. 14.

Digitized by Google

tiam in filium adoptionis invitat.

Porrò in veteri Testamento Aaron à Moïse unctus est, & filii ejus qui in tabernaculum Dei ministraturi fuerant, sicut Dominus locutus est ad Moïsen, dicens: *Accipe Aaron & filios ejus, & applicabis ad ostium tabernaculi testimonii; cumque laveris patrem cum filiis aquâ, indues Aaron vestimentis suis, & oleum unctionis fundes super caput ejus.* Et iterum: *Pontifex, id est, Sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, & cujus manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino. Sub patre quoque suo & matre non contaminabitur, nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Dei, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est.* Unde Psalmista ait: *Unxit te Dominus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quando consortes nominavit, quos alios intuebatur, nisi Episcopos, quos Christi Vicarios spiritu prophetico ad regendam sanctam Ecclesiam prævidebat, qui hanc unctionis gratiam ab eo accepturi erant, qui est verus & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech? Porrò caput nostrum Christus est, ideo Pontifex in capite ungitur, qui Christi Vicarius efficitur. Imitando enim illum, qui est totius caput Ecclesiæ, per hoc unctionis mysterium fit & ipse caput Ecclesiæ sibi commissæ. Et sicut Christus pro universa interpellat Ecclesia, ita Episcopus pro sibi commissa. In eo autem quod ait Propheta, unctum Christum præ consortibus suis, spiritualis gratiæ donum, quo Christus præ consortibus, id est, ceteris Sanctis, unctus est, insinuat. Cujus unctio illo expleta est tempore, quando baptizatus est in Jordane, & Spiritus sanctus in specie columbæ descendit super eum, & mansit in illo. In eo verò, quo Christi consortes unctos oleo dixit, materialis unctionis gratiam, qua Vicarii Christi, id est, Pontifices perfunduntur, insinuat. Nam si sacerdotalis gratiæ unctionem singularem solus sibi Christus retinuisset, nequaquam Apostolus hanc ceteris gratiam inesse doceret, cùm ait: *Plures fa-*

Exod. 29. 4.
Ibid. ℣. 5.
Levit. 21. 10.
Psalm. 44. 8.
Quare unguntur Episcopi & Sacerdotes
Hebr. 7. 23.

Digitized by Google

eti sunt Sacerdotes secundùm legem, idcirco quòd morte prohiberentur permanere.

Igitur hunc unctionis morem in ordinandis Episcopis sancta adhuc servat Ecclesia: ipsi etiam Episcopi in consecrandis Presbyteris, manus eorum ungunt de oleo, ut mundæ sint ad offerendum Deo hostias, & largi ad cetera officia pietatis. Utrumque enim designatur per oleum, & gratia curationis, & caritas dilectionis, de qua Apostolus ait, quia *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Quid unctio signat.

Rom. 5. 5.

Si quis autem objiciat: Cùm Deus sine oleo possit sanare infirmos, effugare dæmones, sanctificare suos, quare tanto studio observatur cultus consecrationis olei? respondemus: Nonne antiqui justi potuerunt Deo placere sine circumcisione? Potuerunt utique; sed postquam eis præceptum fuit ut circumciderentur, nisi ita agerent, peccati vinculis tenebantur. Unde beatus Augustinus ait: Antiqui justi, si non circumciderentur, non erat eis peccatum; postea verò quàm jussit Deus circumcidi Abraham, ejusque posteritatem, jam nisi fieret, grave peccatum fuit.

DE SIGNIS.

Caput V.

SIGNORUM quoque usus à veteri Testamento sumptus est. In quo per Moïsen Dominus jussit fieri tubas argenteas ductiles, quas dum Levitæ tempore sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus commonitus ad tabernaculum fœderis, ad adorandum festinarent, quarum etiam clangore hortatus ad bellum tela prosterneret adversantium, & fortitudo inimicorum eo sono exterrita in se deficeret. Nam legimus, quia ante arcam fœderis per clangorem tubarum muri Jerico, quibus adversantium cingebatur exercitus, corruerunt. Ad hunc modum in sancta Ecclesia hodie tintinnabula fiunt, ut per illorum tactum fideles ad gremium matris Ecclesiæ invitentur, ut depositis curæ

sæcularis occupationibus discant se armari adversus spirituales incursus. Et sicut fit, ut auditâ bellicâ tubâ milites ad prælium animosiùs accendantur, hostilis impetus formidine fusus dispergatur; ita exterritis turbis nocentibus confortetur ad dominica bella per signum populus evocatus, & procul pulsis aëreis potestatibus, conventus Ecclesiæ manu angelica servetur.

De sacris Ordinibus.

Caput VI. Veniendum est autem ad sacratissimos Ordines, quos vesanæ mentis pertinaciâ vos rejicere audimus. De quibus primò notandum est, quia eos, qui magis sunt in Ecclesia necessarii, Apostolus denominat, & eorum mores depingit, sine quibus non potest rite immolatio altaris celebrari, id est, Levitas & Sacerdotes. Ut enim sine retractatione Sacerdos circa hostias vigilet, necessarius est Diaconus ad ministrandum ea quæ necessaria sunt Sacerdoti. Ceteri ordines his subjecti sunt: crescente namque Ecclesia, crevit officium ecclesiasticum; ut enim multitudini Ecclesiæ subveniri possit, adjiciuntur inferiores in adjutorio Præpositorum. De quibus sunt Ostiarii, id est, Janitores, qui pervigili cura sanctæ Ecclesiæ januam servant, & thesauros domus Dei custodiunt, per quos accessum habemus in Templum Domini, qui ait: *Ego sum ostium*. Hi suscipiunt eos quos prærogativa fidei invitat, & excludunt illos qui ab unitate disjuncti sunt, quibus dicturus est Dominus: *Nescio vos*. Pòst instituuntur Lectores, id est, dominici verbi relatores, de quibus Apostolus ait: *Alii datur sermo sapientiæ secundùm eumdem spiritum*. Hi sunt, qui distinctè atque ordinatè modulantes in Ecclesia, sanctis moribus fideles instruunt. Deinde sunt Exorcistæ, qui per impositionem manuum & benedictionem sacerdotalem sumunt potestatem abjiciendi spiritus immundos, & gratiam curationum; de quibus Dominus in Evangelio: *In nomine meo dæmonia ejicient*. Quam effugandorum dæmonum potestatem nulla manuum impositione

Minorum Ordinum munia.

Ostiarii.

Iohan. 10. 9.

Lectoris.

1. *Cor.* 12. 8.

Exorcistæ.

Matth. 7. 22.

Digitized by Google

positione, aut sacerdotalis benedictionis prærogativâ donati olim quidam usurpare volentes, ab obsessis corporibus dæmones per exorcismum tentabant ejicere, sicut de filiis Scevæ Judæi liber Apostolorum commemorat. Qui cùm in nomine Jesu, quem Paulus prædicabat, spiritus immundos exorcizarent, concito indignantis spiritus furore vexati, temeritatisque ausum ultore spiritu luentes audierunt increpantis responsum hoc modo: Jesum *novi, & Paulum scio; vos autem qui estis? & continuò insiluit in eos spiritus immundus.* Quibus illa sui pœna furoris sanè dedit indicium, quia non erat ex eorum numero, quibus hoc donum gratiæ auctoritate sacerdotali præstitum fuerat. Hos sequuntur Acolythi, id est, ceroferatii, qui ignem verbi cælestis, quo illuminentur fratres ad agnoscendum, & inflammentur ad diligendum Deum prædicando ministrant. Subdiaconi verò hi sunt, qui oblationes à populis in Templo Domini suscipiunt, & officiis deserviunt Levitarum: in offerendis vasis corporis & sanguinis Domini, & in administrandis his quæ aguntur circa altaris officia.

Act. 19. 15.

Acolythi.

Subdiaconi.

Cui verò otium fuerit vetus Testamentum revolvere, inveniet ab eo hos sumsisse exordium, nec minùs etiam eos qui supersunt, id est, Levitas & Sacerdotes, quorum gradus quia altior est, paulò plus in eis nobis est immorandum. Nam sicut liber Numerorum refert, locutus est Dominus ad Moïsen, dicens: Applica tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, ut ministrent ei & excubent, & observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii, & custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus. De his scriptum est in Actibus Apostolorum, quia *convocantes duodecim multitudinem Discipulorum dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus; nos verò orationi & ministerio verbi erimus instantes. Et placuit sermo coram multitudine, &*

Act. 6. 2. & seq.

armari adversus ... dità bellicâ tubâ ... ntur, hostilis im- ... excitatis turbis ... bella per signum ... cis potestatibus, ... ctur.

BUS.

imos Ordines ... ejicere audi- ... cos, qui ma- ... denominat, ... n potest rite ... & Sacerdo- ... irca hostias ... trandum ea ... es his sub- ... it officium ... subvenire ... ositorum. ... i pervigi- ... thesauros ... bemus in ... Hi susci- ... cludunt ... urus est ... id est, ... t: Alii ... sunt, ... lesia, ... orci- ... nem ... tus ... ni- ... m ... n- ... e

elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum & ceteros, quos statuerunt ante conspectum Apostolorum. & orantes imposuerunt eis manus. Exhinc jam decreverunt Apostoli, vel successores Apostolorum, per omnes Ecclesias septem Diacones, qui sublimiori gradu ceteris circa aram Christi quasi columnæ altaris adsisterent. De his Paulus, cujus vos doctrinam tenere dicitis, scripsit ad Timotheum. Nam cùm præmisisset Episcopum debere irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, moribus ornatum, continuò intuit, *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. & hi probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes.*

1. Tim. 3. 8. &c.

Presbyteri.

Presbyterorum Ordo quoque exordium sumsit à filiis Aaron, qui tunc Sacerdotes vocabantur in veteri Testamento, nunc autem Presbyteri vocantur. Porrò hi præsunt Ecclesiæ Christi, & in confectione corporis & sanguinis Domini consortes cum Episcopis sunt, similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi. De his Paulus Apostolus scribit ad Titum: *Hujus*, inquiens, *rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, quemadmodum ego tibi disposui, si quis sine crimine est.* Et in prima ad Timotheum epistola: *Noli*, inquit, *negligere gratiam quæ in te est; quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyteri.* Igitur cùm Presbyteri ordinantur, per impositionem manuum sacerdotalis gratiæ donum suscipiunt. De quibus in libro Numerorum scriptum est: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sint ac magistri; & duces eos ad hostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum ut descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis.* Et paulò pòst: *Descendit Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu qui erat in Moïse, & dans septuaginta viris.* De his etiam in Actibus Apostolorum scriptum est, quòd cùm venisset Paulus Apostolus Miletum miserit Ephesum, & vocaverit Presby-

Tit. 1. 5. & 6.

1. Tim. 4. 14.

Num. 11. 16. & 17.

Ibid. v. 25.

teros ejusdem Ecclesiæ, quibus inter cetera, ait: *Attendite vobis & omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit pascere Ecclesiam Domini, quam acquisivit per sanguinem suum.* Sed & Petrus in prima epistola: *Presbyteros*, inquit, *qui in vobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum, & ejus quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator: pascite, qui est in vobis, gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, non turpis lucri gratiâ, sed voluntariè; neque ut dominantes in Clerum, sed forma facti gregis ex animo. & cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.*

Act. 20. 28.

1. Petr. 5. 1. & seq.

Denique pontificalis Sacerdotii Ordo initium sumsit ab Aaron, sicut dicit Isidorus, quamquam & Melchisedech prior obtulerit sacrificium, & post hunc Abraham, Isaac & Jacob: sed isti spontanea voluntate, non sacerdotali auctoritate ista fecerunt. Ceterum Aaron primus in lege sacerdotale nomen accepit, primusque pontificali stola indutus victimas obtulit, dicente Domino ad Moïsen: *Accipe*, inquit, *Aaron & filios ejus, & applicabis ad ostium tabernaculi testimonii. Cúmque laveris patrem cum filiis aquâ, indues Aaron vestimentis suis, id est, linea, & tunica, & superhumerale & rationale, quod constringes balteo; & pones thiaram in capite ejus, & laminam sanctam super thiaram, & oleum unctionis fundes super caput ejus.* In novo autem Testamento post Christum pontificalis Ordo à Petro cœpit: ipsi enim primùm datus est Pontificatus in Ecclesia Christi, sicut dicit Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hic ergo ligandi solvendique potestatem primus accepit, primusque ad fidem populum virtute prædicationis adduxit. Siquidem & ceteri Apostoli cum Petro pari consortio honoris & potestatis acceperunt, & ipsis Apostolis ordinantibus successerunt Episcopi, qui sunt constituti per mundum in sedibus Apostolorum, qui non jam ex gente carnis & sanguinis eliguntur sicut primùm, sed pro uniuscujusque merito, quod in eum divina gratia contulit.

Episcopi.

Exod. 29. 4.

Ibid. ℣. 5.

Matth. 16. 18.

Quòd autem per manûs impositionem à præcessori-

Manûs impositio.

Digitized by Google

bus Dei Sacerdotibus Episcopi ordinantur, antiqua institutio est. Sic enim Patriarcha Isaac manum super caput Jacob imponens benedixit ei: similiter & Jacob filiis suis. Moïses super caput Josue manum imponens dedit ei spiritum virtutis & ducatûs in populo Israël. Sic & suppletor legis & Prophetarum Dominus noster JESUS CHRISTUS Apostolos benedixit. Et in Actibus Apostolorum ex præcepto sancti Spiritus Paulo & Barnabæ Apostolis manus imposita est in Episcopatum, & sic missi sunt ad evangelizandum. Caput enim principale mentis designat; & sicut mente corpus regitur, ita per Episcopos Ecclesia, quæ est corpus Christi, regitur. De his Paulus Apostolus ad Titum: *Oportet*, inquit, *Episcopum inreprehensibilem esse, sicut Dei dispensatorem.* Et ad Timotheum ait: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; oportet enim Episcopum inreprehensibilem esse, sobrium, prudentem.* Et item: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei quæ in te est, per impositionem manuum mearum.* Jam verò, quòd sæculares viri nequaquam ad ministerium Ecclesiæ assumantur, eadem apostolica autoritas docet & dicit: *Manus nemini citò imposueris.* Et iterum: *Non Neophytum, ne in superbia elatus* putet se non tam ministerium humilitatis, quàm administrationem sæcularis potestatis adeptum, & in condemnationem superbiæ sicut diabolus per jactantiam dejiciatur. Non enim valebit sæcularis homo sacerdotii magisterium implere, cujus nec officium tenuit, nec disciplinam cognovit, sed neque docere potest quod non didicit.

Tit. 1. 7.

1. Tim. 3. 1. & 2.

2. Tim. 1. 6.

1. Tim 5. 22.

1. Tim. 3. 6.

Quod cùm ita sit, stultum & cunctis Catholicis abominabile fit, quòd putatis vos posse dare quod non accepistis: nec quibus in locis, nec quibus ministris detur aliquod gratiæ donum, differentiam facitis, sed in lucis, aut in biviis, aut etiam intra pudenda septa latrinarum vestras phantasias, atque sacrilegas incantationes, quasi quoddam sanctificationis mysterium, super eos agitis, quos erroris vestri consortio ammiscere potestis. Qua in re Paulum Apostolum, quem vestrum

Digitized by Google

Doctorem mentimini, vestrum potiùs sentietis accusatorem, qui ad Timotheum scribens, ait: *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es & confessus bonam confessionem.* 1. Tim. 6. 12.

DE SEPULTURA.

CAPUT VII.

DE sepultura etiam, quam præter ullum salutis compendium avaritiæ Sacerdotum adscribitis, sermocinabimur. Asseritis quidem nihil differri, utrum mortui in atriis domûs Domini, an aliis in quibuslibet locis sepeliantur, fingentes nullum prætendi mysterium sanctitatis, præter quod de ipso pretio Sacerdotes sibi coacervant pecuniam. Sed si sanctæ matris Ecclesiæ sinum fidelibus vivis derogare præsumitis, nec mirum si vultis derogare & defunctis. Verùm quia de Ecclesia superiùs certissimè tractavimus, de sepultura etiam aliquid disseramus. Porrò cùm fideles Christiani temporalem vitam in unitate Spiritus sancti, sub mysterio Catholicæ fidei in hac temporali Ecclesia communiter exigunt, ut per hanc ad cælestem perveniant, ubi, rogo, debent corpora eorum post resolutionem rectiùs quàm in sinu matris Ecclesiæ tumulari? Sicut enim temporali Ecclesiæ temporaliter vivendo per fidem adhærent, ita & temporaliter moriendo in sinu ipsius requiescunt, diem videlicet resurrectionis & intemporalis Ecclesiæ gloriam expectantes. Hæc est enim mater credentium, quæ natos ad mortem regenerat ad immortalitatem, quæ filiorum corpora servat sanè ad tempus sopita, in generali tamen resurrectione ad immarcessibilem gloriam suscitanda. Si ergo in tanto lumine veritatis caliginem erroris non deponitis, dicite unde spiritus vitæ æternæ vobis promittitis. In sancta quippe Ecclesia Deo renati offerimur, & per ipsam juxta piæ conversationis qualitatem ad æternitatem tendimus. Ceterum cùm resolvimur, in ipsa sepulti quiescimus, & juxta speciem mortis imitamur futuræ beatitudinem resurrectionis.

Digitized by Google

Qui ergo hoc Christianæ fidei unicum pignus non amplectitur, à compage corporis Christi proculdubio divellitur. Ad hujus verò fidei unitatem pater Abraham se noverat colligendum, cùm ab Ephron duplicem speluncam emeret; quam etsi sine pretio posset habere, tamen ne cum improbis videretur participari, æstimavit potiùs comparare. Ibi nimirum Saram uxorem sepelivit, & ipse postea sepultus est, necnon Isaac cum Rebecca. Illuc etiam Jacob, cùm in Ægypto mori debuisset, filios suos sepeliendum se reportari commonuit. Joseph verò filius suus, antequam moreretur, quodam prophetico contuitu dixit ad fratres suos: *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere faciet de terra ista ad terram quam juravit Abraham, Isaac & Iacob patribus nostris. Cumque ascenderitis, asportate vobiscum ossa mea de loco isto*, ad patriam videlicet sepulturam. Quod & isti fecerunt. Tobias verò vir plenus Spiritu sancto filium suum monuit, ut cùm ipse moreretur, funus suum curaret, & juxta eum sepeliret uxorem suam. Notandum enim quòd sancti Patres non solùm in vita, sed post mortem ab alienigenis dissociari volebant; quippe unitatem futuræ Ecclesiæ prætendentes, quæ seorsum fidelibus aggregatis profanos cultus abhorret.

Gen 50. 23. & 24.

Quòd si Abraham sepulcrum sibi pretio coemisset, cùm gratìs posset habere, cur non potiùs & nos in sepulturis nostris sanctam Ecclesiam quolibet munere donabimus, quod & ad remedium vivis, & ad veniam prosit defunctis? Si autem objicitis, quia hoc magis avaritia Sacerdotum exigit; nec quidem nos negamus, quin aliqui hoc faciant: faciunt enim aliqui. Nec mirum, cùm ex duodecim Apostolis unus avaritiæ inhiasset. Sciendum verò quòd vitio malorum boni depravari non debent, aut divina mysteria infamari. Quidquid enim fiet in nomine Domini, præmio non vacabit. O vos cæci & errantes, Dominicis verbis vos increpo! Nescientes legem, quare non scrutamini Scripturas? Hoc habet planè liber Regum, quòd Reges Israëliticæ plebis in uno loco omnes sepelirentur, exceptis pravis & impœnitenti-

Digitized by Google

bus. Quòd si pœnitentes admissa correxerint, cum ceteris sepulturam sortirentur. Unde datur intelligi, quòd cùm Salomon cum ceteris tumuletur, veniam criminum meruisset, licèt sua pœnitentia non legatur. Ad hoc autem & alia multa, quæ de sepultura occurrunt mysteria, ipsius Salvatoris cò etiam affuit providentia, quòd crux sancta in qua pependit, super tumulum protoparentis Adam, ut tradunt Doctores, figeretur. Nec vacat quòd pretio ejus sanguinis ager Acheldemach emitur, ubi peregrinorum corpora tumulantur: revera enim ejus sanguine Ecclesia comparatur, in cujus sinu pauperes Christi quiescunt.

De Poenitentia.

Caput VIII.

Quoniam quidem superiùs regenerationis mysterium nihil esse dixistis, ob hanc scilicet caussam, quia quidquid ex operibus satanæ baptizandus abdicare se profitetur, postmodum in vita repetere non timet: ex qua sententia pœnitentiæ derogare videmini, & ceteris quæ Deus ad peccantium reconciliationem remedia contulit, restat nobis adhuc super hujusmodi insudare. Necdum enim incredulitatis vulnus ad vivum usque attigimus, quod quidem nos medicantis verbi ferramento opus est recludere, unde latentis putredinis sanies in apertum erumpat: sciens certè divina providentia neminem baptismatis gratiâ renovatum ad superandas diaboli insidias, & vincendas carnis concupiscentias esse idoneum, ne quis post lapsum in desperationis foveam corruat adversus singula vitiorum vulnera reservavit convenientia reparandæ salutis medicamenta, parans superbis humilitatem, invidis caritatem, luxuriosis continentiam, gulosis parsimoniam, lapsis pœnitentiam, & ceteris quibusque vitiis congrua medicamenta, per quæ peccator quasi quadam baptismi regeneratione Deo reconcilietur. Sed ut de reliquis sileam, quoniam pœnitentiam abjicitis, cùm tamen Evangelii auditores vos esse

diciitis, interrogo vos quid Dominus in Evangelio esse voluerit quod ait: *Gaudeo super uno peccatore pœnitente, quàm supra nonaginta novem justos qui non indigent pœnitentia.* Et alibi: *Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam.* Satis certè superque abundant exempla pœnitentiæ, per quæ revelante Scriptura multos de tumulo vitiorum & morte animæ resuscitatos cognovimus, de quibus multos ante elationem in malitia sua perdurantes, per pœnitentiam resipisci cognovimus; plurimos verò post electionem lapsos, sed postea pœnitentiæ remedio in pristinam gratiam relocatos: de quibus beatum Petrum primum in medium introducimus, qui dum pœnitendo fleret culpam negationis, non solùm priorem gratiam reimpetravit, sed inter omnes totius Ecclesiæ quæ in terris & in cælis est, primatum accepit. Quin etiam prodigum filium à gratia paterna privatum in Evangelio audivimus, pœnitendo non solùm in gratiam patris rediisse, sed & stolam primam quam amiserat, recepisse. Primam cùm audis, non novam intelligas, sed antiquam, quia prioris innocentiæ vestem, qua se peccando exspoliaverat, pœnitendo reparavit.

Luc. 15. 7.
Matth. 9. 13.

Denique qui doctrinam apostolicam suscipitis, oportet audire qualiter Paulus fornicantem fratrem compellat ad pœnitentiam. *Omnino*, inquit, *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris quis habuerit. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrûm qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est in nomine Domini nostri* Jesu Christi *congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini* Jesu, *tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri* Jesu Christi. Et alibi: *Timeo ne cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiam, & fornicationem, & impudentiam quam gesserunt.* Quid enim tradere hominem satanæ in interitum

1. Cor. 5. 1. & seq.
2. Cor. 12. 21.

Digitized by Google

ritum carnis, ut spiritus salvus fiat, aliud est, nisi hunc quod per incontinentiam carnis deliquerat, per tribulationem carnis pœnitendo diluere, ut carnis titillantis rubigine pœnitentiæ camino excocta, spiritus purior in diem Domini salvus fiat? Unde ipse postmodum dicit se timere ne lugeat de eorum interitu, qui non egerunt pœnitentiam super immunditiam & fornicationem suam.

Denique in Ecclesiastica historia quemdam juvenem apud Ephesum audivimus à beato Johanne Apostolo in Monasterio reclusum: qui catholicis disciplinis instructus, & Baptismatis gratiam adeptus, post multa religiosæ conversationis exempla, diabolicæ suasionis spiritu agitatus Monasterium deseruit, & inter silvas & lustra ferarum homicidiis, furtis & omnigenis flagitiis depravatus est. Quem cùm Apostolus requisitum ad Ecclesiam revocaret, & miser ille ob magnitudinem criminum nullam reparandæ salutis spem se habere diceret, beatus Johannes jurisjurando sacramenti ei spem veniæ promittit. Dehinc jejuniis & orationibus eum intra paucum tempus ita reddidit emendatum, ut ceteros anteiret sanctitate, & ipsius Ecclesiæ regimen illi Apostolus commendaret: præbens per hoc magna exempla veræ pœnitentiæ, & documentum ingens regenerationis, atque insignia quædam & trophæa visibilis in eo resurrectionis ostendens. Verùm qualiter idem Johannes Apostolus Angelo Ecclesiæ Ephesi scribat, animadvertite. *Memento*, inquit, *unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac; alioquin veniam tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ejus.* Extat unum quod ad commendandam pœnitentiæ vim sufficiat exemplum. Senatoris cujusdam filiam Deo consecratam vir quidam concupiscentiæ furiis agitatus quondam eo usque adamavit, ut per maleficos immundum spiritum consuleret. Cui cùm spiritus malignus desiderii effectum promitteret, si Christo abrenuntiare vellet, ille non solùm acquievit, verùm abrenuntiationis cartam manu propria scriptam illi donavit: sicque sponsoris sui arte Virginis amplexum adeptus, non pòst multò amarè deflebat stu-

Apoc. 2. 5.

Digitized by Google

pri mercede auctorem suum negasse. Tandem beato Basilio Capadociæ civitatis Episcopo omnem rei ordinem confessus, in quodam conclavi per tres dies sub pœnitentiæ satisfactione recluditur, ubi infestantis spiritus convitia multa patitur. At vir beatus convocata in Ecclesiam Cleri ac populi multitudine non destitit orare ad Dominum, donec validissimo orationis certamine scriptum de manu diaboli extorsit, & cunctis intuentibus demissam per aërem cartam recepit.

Absit igitur à fidelium mentibus hanc vestram execrabilem audire doctrinam, ut lapsis post elationem pœnitentiam nequaquam proficere credant, cùm luce clarius est post perpetrata scelera homines per eam redidire ad innocentiam. Quam quidem adeo efficacem, adeo potentem ad abolenda peccata experti sumus, ut etiamsi in ultimo vitæ spiritu quis admissorum pœniteat, & publica lamentatione commissa prodantur, fructum tamen & spem veniæ salutaris non perdat, quia propositum quod decrevit salvare quod perierat, non potest immutari: & ideo quia voluntas ejus non mutatur, etiamsi tempus emendationis non conceditur, si tamen in supplici confessione vita exceditur, fideli tamen proposito venia non negatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur à perditione pœnitendo, & salvatus miseratione Domini vivat. Quod autem objici poterat de peccato ad mortem, cui nulla patet ad veniam consolatio, id quidem eorum est, qui in desperationis foveam corruentes nihil prorsus quo inde eximi valeant, sibi reliquerunt.

QUÒD POENITENTIA POST MORTEM PROSIT.

Caput IX. VERùm ne quis pœnitentiam solis vivis & non defunctis proficere credat, multos qui à sæculo transierant, suorum pietate viventium à pœnis relevatos Scriptura teste comperimus, dum pro eis sacrificium mediatoris offertur, vel elemosynæ fiunt, vel

Digitized by Google

quis vicariam pœnitentiæ solutionem defuncto amico persolvit, dum quod æger præventus morte non potuit, vivus supplet amicus. Quod quia cæci lumine fidei non solùm refugitis credere, sed penitus destruere tentatis, non verè, ut asseritis, Evangelii auditores estis. Nam ipsa Veritas dicit, quia *si quis in Spiritum sanctum* blasphemiam *dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro.* In qua sententia, in Dialogo suo beatus ait Gregorius, datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse relaxari. Quòd enim de vno negatur consequens intellectus, patet, quod de quibusdam conceditur; sed hoc de parvis minimisque peccatis credendum est, sicut est, continuus otiosus sermo, immoderatus risus, vel ali.·.·.·. curæ familiaris, & cetera, sine quibus vita humana non agitur, quæ etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minimè fuerint laxata; quæ per ignem purgatorium post mortem ipse paulò pòst dicit purgari, si in hac vita positus hoc bonis actibus, ut illic obtineat, aliquis promereatur. Unde jure à sanctis Doctoribus purgatorius ignis esse dicitur, quòd per eum peccata aliqua purgantur, prout viventes aut eleemosynis, aut sacrificiis, aut certè, sicut antè diximus, vicaria pœnitentiæ solutione obtinere possunt. Unde & Paulus ait, quia *vir fortissimus Iudas collatione facta misit Ierosolymam duodecim millia dracmas argenti offerre eas pro peccatis mortuorum, justè & religiosè cogitans de resurrectione: nisi enim eos qui ceciderunt, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis.* Deinde dicit: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccato solvantur.*

Matth. 12. 32.

2. Machab 12. 43. & seq.

Constat igitur, ut diximus, talium operum pretio defunctos posse à peccatis absolvi; alioqui Paulus Apostolus, cujus vos auditores esse mentimini: nequaquam audiendus esset, qui dicit linum, fœnum, stipulam, id est, peccata minima atque levissima igni purgatorio facilè consumi: quibus nimirum non purgatoria, sed æterna supplicia inferrentur, nisi talibus hostiis promeruissent igne purgatorio resolvi.

Digitized by Google

De connubiis.

Caput X. De connubiis verò, quæ vos contra evangelica & apostolica decreta sacrilega mente abominanda judicatis, dicentes, conjugatos in sortem fidelium nequaquam computandos, multa sanctorum Patrum occurrunt exempla, quæ ad infidelitatis hujus blasphemiam confutandam satis sufficiant. De quibus nos responsuros quodam discretionis gubernaculo nostri sermonis carinam subigere oportet, ne quasi inter duos scopulos naufragium incurrentes occasionem demus in alterutrum, scilicet aut omnes indiscretè à conjugiis exterrendo, aut omnes indiscretè ad connubia commonendo. Porrò sicut inter sæculares & ecclesiasticos viros quædam ordinis discretio est, ita & conversatio eorum quadam discretionis ratione servanda est. Nam vir ecclesiasticus, postquam relictâ sæculi militiâ in sortem Domini computatur, non potest, salvo professionis suæ cingulo, conjugali thoro se iterum mancipare. At viris sæcularibus, qui nulli ecclesiastici regiminis jugo sunt obnoxii, nec evangelica, nec apostolica decreta legitima præjudicant connubia, si tamen sciunt omni tempore sibi debere esse subjectam conjugii voluptatem, etsi discernunt certa concubitûs tempora, quando coeundum, & quando ab uxoribus sit abstinendum. Non enim talia connubia beneplacita sunt Deo, quibus homines ad luxuriam & delicias instar animalium provocantur, qui Deum à sua mente excludunt, & suæ libidini vacant, sicut equus & mulus. Qui autem ita conjugio utitur, ut cum timore Dei in amorem filiorum potiùs intendat, quàm ut petulantis carnis appetentiam expleat, hunc culpa conjugii de sorte fidelium non privabit.

Falluntur igitur qui conjugatos à regno Dei exterminandos affirmant, præsertim cùm in Evangelio hujusmodi testimonium habeamus, & apostolica traditio talem humanæ consuetudinis legem multis in locis con-

Digitized by Google

firmet. De qua re hoc unum ex ore Veritatis testimonium proferimus. Nam Pharisæis tentantibus & dicentibus, si liceret homini uxorem suam dimittere quacumque ex causa, ille respondens ait: *Non legistis, quia qui fecit masculum & feminam, ab initio fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro; quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Requirentibus autem illis, ut quid Moïses mandasset dari libellum repudii, & dimittere, ait illis: *Quoniam Moïses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque uxorem nisi ob fornicationem dimiserit, & aliam duxerit, mœchatur.* Petrus autem in epistola sua ait: *Mulieres subditæ sint viris suis, ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant.* Et paulò pòst: *Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se subjectæ propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ dominum eum vocans.* Et iterum: *Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem.* Unde & beatus Paulus ad Corinthios ait: *Bonum est homini non tangere mulierem, propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro.* Et paulò pòst: *His autem qui in matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir uxorem non dimittat. Si quis frater uxorem habeat infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; & si qua mulier habet virum infidelem, & consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.* Et rursus cum de virginibus præceptum Domini se non habere diceret, conversus ad conjugatos ait: *Existimo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem; si autem acceperis uxorem, non peccasti.* Scribit autem ad Ephesios ita: *Mulieres viris suis subdi-*

Matth. 19. 4. & seq.

Ibid. ℣. 8. & seq.

1. Petr. 3. 1.

Ibid. ℣. 5. & 6.

Ibid. ℣. 7.

1. Cor. 7. 1. & seq.

Ibid ℣. 10. & seq.

Ibid. ℣. 26.

Ephes. 5. 22.

Digitized by Google

te sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Et iterum: *Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Et iterum: *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.* Scribit autem & ad Titum hoc modo: *Adolescentulas doce, ut viros suos ament, filios diligant, prudentes, sobriæ, domûs habentes curam, subditæ suis viris.* Et ad Timotheum: *Adolescentulas*, inquit, *viduas de vita; cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Volo ergò juniores nubere, filios procreare, matres-familias esse, nullam occasionem dare maledicti gratiâ; jam enim quædam conversæ sunt retro satanam.* Et ad Colossenses: *Viri*, inquit, *diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.*

Ibid. ỷ. 25. ỷ. 28. Tit. 2. 4. & 5. 1. Tim. 5. 11. & seq. Coloss. 3. 19.

Cùm igitur hæc humanæ consuetudinis lex tantis divinæ auctoritatis fulciatur institutis, nimirum abjicienda est vestræ hæreseos ac penitus conculcanda doctrina. Nam si conjugalis societas homini causa esset perditionis, qui venit perditos reparare, nullum daret hujus copulæ documentum, nullum præceptum. Paulus denique, qui tanto caritatis igne flagrabat, ut etiam pro fratribus anathema fieri optaret, nullum super hujusmodi daret consultum, si hoc ad detrimentum animæ spectare intellexisset. Sed de his satis ad præsens dictum.

De Confessoribus.

Caput XI.

Confutantur hæretici, qui SS. Confessoribus cultum negant.

JAM verò quis non videat vos in hoc quod divini judicii & christianæ communionis reos esse, quod adversum beatissimos Christi Confessores pravi dogmatis seditionem sacrilego ausu movetis, dicentes præter Apostolos & Martyres neminem jure venerari, in Confessoribus nullum donum virtutis esse, nec ab eis aliquam salutis gratiam posse spectari, quorum corpora in cineres resoluta nihil à mortuis animalibus differre videntur. Petrus certè Apostolus datam sibi à Domino ligandi atque solvendi potestatem; hanc quoque beato Clementi, Lino etiam & Anacleto ipse

Digitized by Google

tradidit; ceteri quoque Apostoli eamdem gratiam successoribus suis, id est, sanctis Doctoribus atque Confessoribus reliquerunt; quorum quidam gladio occubuerunt, alii in pace Ecclesiæ quieverunt. Sed non idcirco ab hominibus injustè venerantur, quia percussoris gladium non senserunt. Verùm si ratio temporum non potuit præstare martyrium, gloriâ tamen Martyrum non carent, quia & voto & virtute & potuerunt esse Martyres & voluerunt. Nam & illi pro spe æternitatis multas humanorum dolorum pertulere passiones, famem, vigilias, nuditates, jejunia, opprobria invidorum, insectationes malorum, curam pro infirmitatibus, sollicitudinem pro periclitantibus, gemitum pro pereuntibus, cum flentibus flentes, cum scandalizantibus urentes. Quinetiam adversum humanæ spiritualisque nequitiæ diversa certamina semper in eis emicuit fortitudo vincendi, patientia expectandi, æquanimitas sustinendi. Quibus & si percussor deesset, ipsi sibi percussoris ministerium suppleverunt. Nam quid in eis carnifex aliud feriret quàm corpus? Et certè quod ad momentum percussor faceret, ipsi sibi longo cruciatu intulerunt, dum carnis concupiscentias in se occiderunt, & quod suave, quod dulce, quod voluptuosum fuerat, ademerunt.

Porrò pœnalis carcer eis non defuit, qui se inter angustam aridioris vitæ custodiam à mundi illecebris concluserunt, quorum mens lucidissima, manus plenæ munditiæ, eò quòd in mensa altaris sacrosancta corporis & sanguinis mysteria celebrantes, & in sui cordis penetralibus hostiam vivam Deoque placentem, id est, semetipsos sine macula atque ammixtione pravi operis offerre non desistunt. Et sicut diximus licèt percussoris non sensissent gladium, tamen per vitæ meritum Deo digni martyrio non privantur, quia martyrium non solùm effusione sanguinis, sed abstinentia peccatorum perficitur; alioquin longè à verò differre videbitur, quod ex ore Veritatis ad duos fratres filios Zebedei dictum est: *Calicem quidem meum bibetis.* cùm

Matth. 20. 23.

unum quidem gladio occubuisse, alterum in pace Ecclesiæ quievisse legamus. Sed neque ullo auctorum exemplari ostendunt beatam Dei genitricem MARIAM gladio vitam finisse, & per Spiritum sanctum Simeon Propheta passuram illam dixerat: *Et tuam*, inquiens, *animam pertransibit gladius*. Unde beatus Hieronymus in hoc animam ejus gladium pertransisse dicit, quòd in mortem Christi compassionis atque doloris gladium sensit, dum per eximiæ dilectionis vim mortem Christi suam fecit. Philippum etiam Apostolum & Lucam Evangelistam non per passionis certamen, sed per pacem à sæculo migrasse legimus. Postremùm verò quis tam lapidei cordis est, ut ad quorum tumulum ægros venientes citatam salutem vident reportare, eorum merita apud æternum judicem vivere non credat? Sed quis post Apostolos Martino, quis Benedicto in miraculis potentior?

Luc. 2. 35.

Sed fortasse objicitis, quia multi in nomine Christi mira operati sunt, & tamen pòst à Domino reprobati sunt. de quibus in Evangelio Dominus: *Multi*, inquit, *venient dicentes: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus?* Quibus dicturus est Dominus: *Amen dico vobis, nescio vos, discedite à me, omnes operarii iniquitatis*. Quorum vita quidem quia non concordabat verbis, idcirco à Domino reprobantur. Quod autem videntur operari, non suis meritis, sed Christi nomini imputatur. Ejecti namque dæmones, non eos, sed Christi nomen fugerant, quod quondam in filiis Scevæ cujusdam Judæi patuit, qui, sicut superiùs diximus, per exorcismum dæmones in nomine JESU quem Paulus prædicabat, ab obsessis corporibus tentabant ejicere, qui concito indignantis spiritus furore vexati audiunt: JESUM *novi, & Paulum scio; vos autem qui estis? Et continuò insiluit in eos spiritus immundus*. Quibus illa sui pœna furoris sanè dedit indicium, quia non erant ex eorum numero, quorum vita sanctitatis concordabat sanctæ prædicationi. Eorum verò corpora terræ mandata declarant, quales utrique in vita extiterant, cùm illi quotidie miraculis vivere, isti nulla virtutis

Matth. 7. 22.

Act. 19. 15.

Digitized by Google

virtutis indicia ex se posse dare videantur. Nam in sancta Ecclesia plena redundant miraculis volumina, quæ ad sanctorum Confessorum tumbam fieri conspiciuntur, cùm reprobi post clausas in inferno animas & sepulcris recondita corpora, nulla sancti meriti relinquunt indicia, præter quod aliquando diabolus ad decipiendos homines phantasticæ lucis signa ad eorum ossa demonstrat, ut ex hoc ad usum venerationis deceptas mentes invitet, sicut tempore beati Martini legimus adprobatum, qui vulgi errore dicatum Monasterium tanquam in honore Martyris super latronem inveniens verbi sui imperio jussit sepultum confiteri, quia nihil sibi cum Sanctis fuerat commune, sed suorum scelerum culpis cum diabolis se in inferno torqueri. In talibus igitur locis si quid huic simile evenerit, de quo majorum memoria nihil certum ferat, interdicunt sanctificationes Nericii Gentilium fana idolorum antiquitus constructa pro sacris venerentur, neve sepultis temere divina solvantur, nisi per provincialem Episcopum vita sepulti examinetur, si secundùm Evangelium Christi fuit.

DE PSALLENDI OFFICIO.

CAPUT XII.

QUIS autem dubitet vos immundo spiritu agitari, dum hoc quod per Spiritum sanctum prolatum atque institutum est, id est, usum psallendi in sancta Ecclesia abjicitis, & quasi superstitiosum errori cultum imputatis. Sumsit ergo hanc modulandi formam ordo Ecclesiasticus, non ex ludicris aut jocularibus insectationibus, sed ex veteris & novi Testamenti Patribus, sicut de David in libro Regnorum legimus, quia cùm arcam Domini de terra Philistinorum reduceret, ipse depositis regalibus insigniis, & sumtâ citharâ coram ea psallere cœpit, quod ille nullum supernæ gratiæ tunc aptius sacrificium intellexerat. Qui etiam per hanc modulandi dulcedinem Saülem Regem à dæmone liberaverat, quem medicorum ars victa desperaverat. Certè & apud supernos cives legimus hujus modulationis

insignia celebrari, ut in Apocalypsi Johannis Apostoli: *Habentes singuli citharas, & cantabant canticum novum.* Et iterum: *Et vocem quam audivi, sicut citharedorum citharizantium in citharis suis.* Hinc ergo colligendum est quàm gratum sit Deo officium psallendi, si intenta mente peragatur, quando in hoc Angelorum choros imitari videmur, quos constat laudes Domini sine intermissione personare. Unde Psalmista sæpe nos admonet, dicens: *Cantate Domino canticum novum.* &, *Bene psallite ei in vociferatione.* Et iterum: *Psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus.* Et in Evangelio Matthæi: *Et hymno dicto exierunt in montem Olivarum.* Tale namque sacrificium super taurorum pingedinem aut hircorum sanguinem Deo placare * per Spiritum sanctum Psalmista viderat, cùm dixit: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deum sacrificium laudis.* Et iterum: *Sacrificium laudis honorificabit me.*

Apoc. 5. 8.
Ibid. 14. 2.
Psal. 32. 3.
Psal. 65. 2.
* placere
Psa. 49. 13.
Ibid. ℣. 23.

Denique non solùm irrationabilem creaturam, sed cuncta quæ sunt condita, suum Conditorem continuo psallendi tenore laudare jubet, cùm dicit: *Laudate Dominum de cælis*, & cetera, usque in finem Psalmi quem ita concludit: *Omnis spiritus laudet Dominum.* Ne ergo Psalmista irrationabilem, aut inanimatam creaturam frustra in laudem Creatoris commonere dicatur, tunc verè, quod ore non potest, se in laudem Dei videtur erigere, cùm suæ naturæ motibus se ad voluntatem & imperium creantis conformat, vel potiùs rationales animos in hoc commonere videtur, ut de beneficiis divinis laudem Conditori dare meminerint, cujus munere ipsa usibus hominum famulari videtur. Sed & Paulus, cujus vos imitatores esse dicitis, in concentum Psalmodiæ nos hortatur dicere: *Loquentes vobismetipsis in Psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes Deo.* Et ipse alibi dicit: *Psallam ore, psallam spiritu & mente.* Quin etiam in transitu sanctorum virorum psalmodiæ cantum cecinisse Angelos multa divinæ Scripturæ exemplaria docent.

Psal. 148. 1.
Psal. 150. 6.
Ephes. 5. 19.
1. Cor. 14. 15.

Digitized by Google

Unde constat eos de gremio sanctæ Ecclesiæ exterminandos, qui hoc psallendi officium judicant nequaquam ad cultum divinum pertinere. Quòd autem arbitrantur, nobis ipsis psallendo multa adversa imprecari, ubi videlicet Psalmista mentis oculum in maleficos intorsit, ut est illud: *Quid gloriaris in malitia?* &, *Obscurentur oculi eorum ne videant*, & cetera talia; falluntur nescientes cum prophetico spiritu intueri ea quæ superventura fuerant his, quos in mortem Christi & sanctorum Martyrum tumentes gloriari inspexerat, quique à malitiæ suæ pravitate nequaquam declinantes exultant in rebus pessimis, & lætantur cùm malefecerint. Patet igitur tales à capite suo, id est, diabolo, non dissentire, qui est caput omnium iniquorum, qui etiam Scripturam sanctam intelligens, sinistra eam interpretatione prævertere molitur.

Psal. 51. 3.
Psal. 68. 24.

DE VENERATIONE DOMINICÆ CRUCIS.

CAPUT XIII.

QUONIAM verò adversum Crucem dominicam & vivificum lignum viperei dogmatis venena funditis, dicentes hoc ex errore hominum venisse, quòd venerantur eam, cùm nullam magis in se virtutem contineat, quàm cetera ligna silvarum, præter quod opere manuum hominum est efformata, pro quo nulla veneratione digna est: pauca è multis, quæ ad hanc causam utilia videntur, edicimus.

Scimus namque, quia omnis substantia quæ Deus non est, creatura est, & quæ creatura est, Deus non est. Ligno igitur nihil divinum damus, ut illud adorandum judicemus, quia inter ceteras creaturas, quæ Deus non sunt, suæ naturæ substantiam sumit: sed si rationem mysterii diligenter investigetis, non solùm ab hominibus, sed etiam ab Angelis dominicæ Crucis vexillum honorandum videbitis, quæ quidem aperuit sacramentum quod nesciebant. Primus namque Adam inobedientiæ mucrone interfectus est à ligno scientiæ boni & mali,

Digitized by Google

& nos secum traxit in mortem: secundus Adam per palmam obedientiæ à cruce transivit in vitam æternam, & nos secum duxit. Verumtamen lignum scientiæ boni & mali non dicimus secundùm suam naturam in se mortem habuisse, sed fuit in causa, ut in eo probaretur obedientia parentis nostri, sive vindicaretur inobedientia. Quo contrà, lignum vitæ in causa sempiternæ vitæ est; hoc lignum attulit vobis Dominus noster JESUS CHRISTUS per lignum Crucis in Ecclesia nostra, ut qui morti debitores eramus per lignum scientiæ boni & mali, faceret nos vitæ capaces per lignum sanctæ Crucis. Et sicut illud ex sua natura non habuit mortem, ita lignum unde nobis vita conceditur, non in se habuit hanc virtutem, sed ex illius virtute, qui si infirmus fuit ex nobis, vivit autem ex virtute Dei. Regnavit etiam mors & diabolus ab inobedientia ligni scientiæ boni & mali, superata est eadem mors & diabolus per obedientiam ligni sanctæ Crucis. Quis ergo negare audeat jure ab hominibus venerari, per quam diabolus victus, & mundus Deo operante salvatus est? Quis autem nisi insaniæ furiis agitatus neget vexillum atque virtutem dominicæ Crucis esse colendam, qui beatum Andream, quem vos imitari inter ceteros Apostolos mentientes dicitis, tanto eam passionis amore expetere, atque sedula veneratione audiat prædicare. „ Cùm verò, inquit Scriptura, pervenisset ad locum ubi „ crux parata erat, videns eam à longè, exclamavit vo„ ce magna dicens: Salve, crux, quæ in corpore Christi „ dedicata es, & ex membris ejus tamquam margaritis „ ornata. Antequam te ascenderet Dominus noster, ti„ morem terrenum habuisti: modò verò amorem cæ„ lestem obtinens pro voto susciperis. Sciens enim quan„ ta intra te gaudia habeas, securus & gaudens venio ad „ te, ita ut & tu exaltans * suscipias me discipulum „ ejus qui pependit in te, quia amator tuus semper fui, „ & desideravi te amplecti. O bona crux, quæ decorem „ & pulcritudinem de membris Domini suscepisti: diu „ desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita,

*al. exultās

& aliquando concupiscenti animo præparata ! Accipe " me ab hominibus, & redde me Magistro meo, vt per " te me recipiat, qui per te me redemit. Et Paulus " Apostolus: *Mihi*, inquit, *absit gloriari nisi in cruce Domini mei.* JESU CHRISTI. Glorificantes igitur Crucem dominicam, Christum quasi pendentem in ea mente invocamus. Quem verò invocamus, ipsum adoramus. Prosternimur corpore ante crucem, mente Deum: veneramur crucem per quam redemti sumus, sed illum deprecamur qui nos redemit.

Gal. 6. 14.

DE IMAGINE SALVATORIS IN CRUCE.

CAPUT XIV.

DE imaginibus quoque quæ in Ecclesiis fiunt, ratio citius perpenditur, si ex veteri Testamento aliqua similitudo trahatur. Gradiens namque populus Israël per desertum aliquando ignitorum serpentium morsibus ad mortem vulnerabantur, super quod consultus Dominus jussit fieri serpentem æneum & alto stipite levari, quem percussi respicientes cito sanabantur. Et nos de Ægypto carnalis conversationis per desertum mundani exilii ad terram supernæ promissionis tendentes, per respectum Mediatoris in cruce pendentis antiqui hostis venenum à cordibus nostris evacuamus. Qui enim Christum per imaginem Filii Dei ac passionem conspexerit, ipse antiqui hostis venena evadere poterit. Hoc certè indicant verba ipsius Domini dicentis: *Sicut exaltavit Moises serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Aptè autem æneus serpens ligno suspensus est, ut Dominus & in serpente mortuus, & in ære significaretur æternus: mortuus videlicet per humilitatem, æternus per divinitatem. Est verò alia hujus ratio: simpliciores quippe in Ecclesia & inliterati, quod per Scripturas non possunt intueri, hoc per quædam picturæ liniamenta contemplantur, id est, Christum in ea humilitate, qua pro nobis pati & mori voluit, dum hanc speciem venerantur, Christum in cruce ascendentem, Christum in cru-

Iohan. 3. 14.

Digitized by Google

ce passum, in cruce morientem, Christum solum, non opus manuum hominum adorant. Non enim truncus ligneus adoratur, sed per illam visibilem imaginem mens interior hominis excitatur, in qua Christi passio & mors pro nobis suscepta tamquam in membrana cordis inscribitur, ut in se unusquisque recognoscat quanta suo Redemtori debeat; dum videlicet juxta Salvatoris sententiam, quæ postulat imago Cæsaris, reddantur Cæsari, & quæ Dei, Deo.

Similiter de imaginibus Sanctorum ratiocinari licet, quæ ideo in sancta Ecclesia fiunt, non ut ab hominibus adorari debeant, sed ut per eas interiùs excitemur ad contemplandam gratiæ divinæ operationem, atque ex eorum actibus aliquid in usum nostræ conversationis trahamus. Verbi gratiâ, cùm imaginem beatæ Dei Genitricis MARIÆ intuemur, profectò divinæ dignationis per eam beneficia recolimus, qui de massa perditionis recreavit massam reconciliationis. Quæ nimirum studio obedientiæ & humilitatis exemplo suadet nos supernam patriam quærere, quam primæ virginis superbia atque inobedientia clauserat. Sic itaque Angelos in ministerio Conditori adsistentes, dum per exteriores imagines contemplamur, per eam quam à Deo claritatis gloriam accipiunt, ad eorum numerum studio conversationis incitamur. Apostolorum atque sanctorum Martyrum imaginatas effigies intuentes, quid aliud per eas jubemur, nisi ut calcatis curis sæculi, spretisque corporibus, eorum doctrinis imbuti, & glorioso certamine roborati, inter mundi triumphatores coronari mereamur. Simili modo Confessorum ac Virginum imagines speculantes, monemur ex eorum imitatione mundi concupiscentias declinare, lenocinia carnis calcare, immaculatam hostiam Deo nosmetipsos offerre. Sic igitur aliorum Sanctorum ordines inspecti ad æmulationem virtutum nos instruunt, sicut quondam fortia facta virorum ipsis suis laudibus ad quæque audendum alios accendunt.

Digitized by Google

DE ORDINIBUS ECCLESIASTICI REGIMINIS.

CAPUT XV.

SED neque rebellionis vestræ tumorem grassari adversum divinam ordinationem diutiùs patior, qua ecclesiasticæ administrationis ordinem in nihilum redigere laboratis. Sancta quippe Ecclesia, quam beatus Paulus Apostolus supernam Jerusalem, ac matrem nostram, & manentem civitatem, & ad ædificationem ex Deo domum non manufactam appellat, ex Angelis & hominibus constat. Quæ partim ex hominibus societate angelica in ordinibus distinctis perfruens jam cum Deo regnat in cælo; partim verò in ordinibus distinctis adhuc peregrinatur in terra, & ad supernam societatem suspirat, ubi secundùm Apostolum tabernaculum est non manufactum, neque hujus creationis, ad cujus instar per Moïsen factum est tabernaculum, de quo dixit ad eum Dominus: *Omnia fac juxta quod tibi in monte ostensum est.* In quo superno & vero tabernaculo, quod finxit Deus, & non homo, in interiora velaminis, id est, in ipsum cælum confessionis nostræ summus Pontifex *sempiternum habens sacerdotium, per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemtione inventa;* sedensque ad dexteram Patris, id est, in gloria paternæ majestatis, interpellat, non voce, sed miseratione pro nobis. Denique *Rex Regum & Dominus dominantium*, per quem Reges regnant, & conditores legum justa decernunt, cælestem ac terrenum principatum, cunctam videlicet rempublicam regens, & universam militiam tam cælestem & spiritualem, quàm terrenam & temporalem distinctis ordinibus disponens ac moderans, & supernæ atque mundanæ curiæ præsidens, miro ordine Angelorum hominumque ministeria pro temporum varietate & opportunitate dispensat; & quæ singulis quibusque temporibus, vel personis congruunt, sua occulta inspiratione, vel evidenti illustratione, vel patefacta præceptione decernit.

Exod. 25. 40.

Hebr. 7. 24.

Ibid. c. 9. v. 12.

1. Tim. 6. 15.

Digitized by Google

Itaque legimus sacros Ordines in cælo & in terra, & in Testamento veteri & in novo dispositos à Deo, ex quo juxta Apostolum omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Unde beatus Dionysius Areopagites, Antistes videlicet & venerabilis Pater, sicut didicit à Paulo Apostolo, qui raptus est usque ad tertium cælum, vidit cælestia secreta, duos libros de angelico & ecclesiastico principatu scripsit. Unde & beatus Gregorius dixit, quia ad hoc divinæ dispositionis provisio gradus & diversos constituit Ordines esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret & diversitate contestio *, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim universitas alia poterat rationem * subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. Quia verò creatura in una eademque æqualitate gubernari, vel vivere non potest, cælestium militiarum exemplar nos instruit, quia dum Angeli sint, Archangeli sint, liquet quia non æquales sunt, sed in potestate & ordine differt alter ab altero. Quod per hoc datur apertè intelligi, quia ad explendum de supernis ministerium, alii spiritus alios mittunt, Zacharia scilicet Propheta testante, qui ait: *Ecce Angelus, qui loquebatur in me, gradiebatur, & alius Angelus egrediebatur in occursum ejus, & dixit ad eum: Curre & loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Ierusalem.* Dum enim Angelus ad Angelum dicit, *Curre & loquere*; dubium non est quia alius alium mittit. Minora verò sunt quæ mittuntur, & majora quæ mittunt. Huic autem sensui & illud creditur non inconvenienter opitulari, quod per Danielem dicitur: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Aliud namque est ministrare, aliud adsistere.

*f. contexio

*f. ratione

Zach. 2. 3. & 4.

Dan. 7. 10.

Si ergo inter hos qui sine peccato sunt, ista est distinctio, quantò magis inter eos quos constat non posse esse sine peccato, hæc gerendi principatus ratio est servanda? Liquet, inquit beatus Gregorius, quòd omnes

Digitized by Google

nes homines natura æquales genuit; sed variante me-"
ritorum ordine alios aliis culpa postponit. Ipsa autem "
diversitas quæ accessit ex vitio, divino judicio dispen-
satur, ut quia omnis homo æquè stare non valet, alter
regatur ab altero. Unde beatus Paulus: *Omnis*, inquit, *anima sublimiori potestati subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo, cui qui resistit, Dei ordinationi resistit.* Item Apostolus Petrus: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis.* Igitur ordines in Ecclesia veteris populi, quæ vsitato nomine Synagoga vocatur, fuisse legimus per Moïsen à Deo dispositos, qui & quales & qualiter ac quando ordinare ceteros vel ordinari à ceteris, vel regere ceteros, vel regi à ceteris deberent, & quantum in singulis officiis ministrare deberent. Sed & nunc in Ecclesia, quæ regnum cælorum appellatur, ad instar cælestium ordinum ministros Domini institutione, & apostolica traditione legimus & cognoscimus distinctè esse compositos, quibus inter ceteros quædam dignitas major, & in similitudinem honoris fuit quædam discretio potestatis, quorum sollicitudine inferiores tamquam ex quadam diversitate in unum Ecclesiæ corpus coeant, ne occasione libertatis subintret causa prævaricationis. Hujus rei gratiâ statuta ab Apostolis & Apostolorum successoribus regula est usque in hodiernum diem per Episcopos atque Archidiaconos, Decanos etiam atque Præpositos totius ecclesiastici regiminis causam dispensari. Quod cùm ita sit, nihil est quod jure contra hæc repugnare debeatis.

Rom. 13. 1.

1. Petr. 2. 13.

DE EORUM FALSA JUSTITIA.

CAPUT XVI.

VERùm quoniam falsæ justitiæ doctrinam introducere tentatis, quam divinæ gratiæ adeo præponitis, ut omnia propriis meritis adscribatis, hunc nefariæ præsumtionis errorem divinæ auctoritatis ictibus labefactamus: nam nulla justitia, nullum boni con stat meritum, quod non de fonte supernæ gratiæ id quod est,

accceperit. Unde ipse, quo, perhibente Domino, nemo inter natos mulierum major est, de se Johannes dicit: Non potest homo accipere quidquam, nisi ei fuerit datum de cælo. Et Apostolus dicit: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.* Et Paulus ait: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per* Jesum Christum *Dominum nostrum.* Et iterum: *Gratiâ Dei sum id quod sum.* Et iterum: *Sed plus illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Ad hanc nos professionem ipse instituit, cùm ait *, quia nullum tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio. In prævaricatione namque primi hominis naturalem possibilitatem & innocentiam amisimus, & nemo de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium potest consurgere, nisi eum gratia miserantis erexerit.

Jac. 1. 17.

Rom. 7. 24. & 25.

1. Cor. 15. 10.

* *f. hic desunt,* Sine intermissione orate, *vel quid simile.*

Quæcumque igitur in cordibus nostris, aut in nostro arbitrio sancta cogitatio est, aut pium consilium, aut quilibet motus bonæ voluntatis, ex suæ gratiæ dono descendit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus, sicut ipse Discipulis ait: *Sine me nihil potestis facere.* Nam omnia hominum merita ab ipsius gratia præveniuntur, per quem fit, ut aliquid boni & velle incipiamus & facere. Denique quibus justitiæ operibus Maria peccatrix à peccatis dimissa, Zachæus justificatus, latro ad Paradisi gaudia receptus est, nisi solâ divinæ pietatis gratiâ? de qua Apostolus ad Romanos: *Ubi abundavit,* inquit, *delictum, superabundavit gratia.* Et alibi: *Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei, justificati gratìs per gratiam ipsius.* Et iterum: *Fuimus,* inquit, *& nos naturâ filii iræ, sicut & ceteri.*

Johan. 15. 5.

Rom. 5. 20.

Rom. 3. 23. & 24.

Ephes. 2. 3.

Certissimè itaque tenemus, omnes homines per semetipsos non solùm perfectionem, sed nec initium justitiæ posse contingere, sed universos qui fiunt boni, divinâ gratiâ præveniri. Bonam namque in hominibus voluntatem ipse gratìs præparat, gratìs donat, ipse adjuvat, ipse consummat. Ut enim *abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, justè & piè vivamus in hoc*

Tit. 2. 12.

Digitized by Google

sæculo, ait: Gratia JESU per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum, cujus hæc est inexhausta pietatis munificentia, ut ex insipientibus sapientes efficiat, infidelibus fidem tribuat, errantes non solùm vocet, sed etiam revocet, desideriis terrenis expulsis desiderium regni cælestis inspiret, inserta bonitate malitiam extirpet, benignitatis dono invidiam expellat, odibilibus quoque & odientibus invicem donum dilectionis infundat. Ut ergo ex malis boni simus, ut sanctæ caritatis igne flagremus, gratiæ spiritalis opere in nobis inchoatur, ejusque in nobis operatione perficitur.

Proinde nosse debet unusquisque Christianus, neque in in viribus naturæ, neque in legalibus præceptis, sed in illuminatione cordis, & voluntario divinæ voluntatis munere constare gratiæ salutaris exordium, qua fit ut quod divinitus præcipitur, non solùm à nobis agnosci, sed etiam diligi possit ac fieri. Jure igitur gratuito beneficio divinæ bonitatis adscribitur, qui nos ideo ad bona opera misericorditer excitat, ut habeat quod in nos justè coronare debeat. Quibus sicut per misericordiam præparavit gratuitum justificationis donum, ita per justitiam præparavit æternæ justificationis præmium. Opus itaque gratiæ in omnibus prædestinatis gratuitâ misericordiâ inchoatur, & justa retributione perficitur. Quod verò è contra de injustis occurrere poterat, illis quidem non injusto judicio ignem æternum præparat, quos prævideratdignos ad luenda supplicia, nec tamen prædestinavit ad facienda peccata. Prædestinavit Deus quod divina æquitas redderet, non quod humana iniquitas amisisset: præparavit igitur homini reo non culpam quam odit, sed judicium quod diligit; scriptum est enim: *Quia misericordiam & judicium diligit Deus.* *Psal. 83. 12.*

Proinde bona opera quæ Deus misericorditer donat, justè coronat: opera verò quæ non ipse tribuit, justè punit. In istis ergo coronatur divina largitio, in illis transgressio humana damnatur. Nihil igitur iste habet, quod propriis meritis adscribere, nec ille, quod divino judicio jure possit derogare. Igitur juxta Apostolum

Rom. 9. 20. Ibid. 9. 21.

non est quòd dicat *figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic?* Quia *habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Ostendit igitur divitias bonitatis suæ in vasis misericordiæ : potentia verò atque judicium in vasis iræ, dum hos præparat ad gloriam, illos sustinet ire in interitum.

Rom. 10. 3. & seq.

Quænam igitur est ista vestra justitia quæ cuncta solis meritis, nihil tamen gratiæ debet? Porrò Paulus jam testimonium vobis perhibet, quòd æmulationem Dei habetis, sed non secundùm scientiam: *Ignorantes* enim *Dei justitiam, & vestram quærentes statuere, justitiæ Dei non estis subjecti. Moïses verò scripsit quoniam justitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea.* Quantò magis autem justitia quæ ex Evangelio Christi & auctoritate apostolica est, vitam donabit? Quid enim Apostoli aliud docuerunt, nisi quod ex ore Veritatis acceperunt? Quid autem aliud sancta Ecclesia tenet, nisi quod à beato Petro & ceteris Apostolis accepit? Quis autem nesciat, aut non advertat quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur ab omnibus, debere servari, nec superduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum, præsertim cùm sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispaniam, Africam atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Petrus, aut ejus successores constituerunt Sacerdotes, aut legant si in his provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse: qui si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur amittere.

CAPUT XVII.

JAM dies ad occasum declivior erat, & Domnus Episcopus his qui audiendi gratiâ convenerant, circumstantibus ait: Fuerant satis, fratres, quæ de his nos

Digitized by Google

oportuerat ad confirmandam fidem vestram enuntiare, sed ne vos plus onere verborum gravemus, sufficiant ista. Hoc tantùm servate fidei vestræ intemeratum signaculum, recolentes hoc quod Paulus Apostolus prædixerat, quia *in novissimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium, & cauteriatam habentium conscientiam suam; prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum, cum gratiarum actione fidelibus.*

1. Tim. 4. 1. & seq.

Verùm talibus dictis Domni Episcopi, hi qui paulò antè sibi videbantur insuperabiles verbo, nec ullo verbi genere posse constringi, verborum gravitate & manifesta Dei virtute ita obstupefacti steterunt, ac si numquam ullum sermonem didicissent contradicendi, mutique ad omnia hoc solùm potuerunt respondere, ita sibi videri, nec aliò Christianæ salutis summa posse consistere, quàm in his quæ in præsentia Episcopus enarrasset. Ad quos Episcopus: Si hæc, inquit, ita esse creditis, deponentes tantæ perfidiam incredulitatis, nobiscum hanc hæresim cum suis auctoribus, nisi resipuerint, damnantes excommunicate. Tunc Episcopus & omnes qui aderant Abbates atque Archidiaconi, Clerusque omnis simul favente populo ita incipiunt.

Resipiscunt hæretici, & assentiunt dictis Episcopi.

Hanc hæresim, quæ hodie contra veram & catholicam Ecclesiam conspirasse inventa est, quæ videlicet Baptismum ad abluendam originalis culpæ maculam & actualia delicta, nihil profuturum contendit; & per Pœnitentiam peccata nequaquam posse relaxari profitetur; & quæ sanctam Dei Ecclesiam, & sacrosanctum altare, atque dominici corporis & sanguinis Sacramentum nihil esse aliud, nisi quod corporeis oculis intuetur, & hoc tanquam vile negotium respicit; & quæ legitima connubia devitat: hanc & omnes qui eam affirmant, damnamus & anathematizamus. Profitetur * enim secundùm fidem evangelicam & traditionem apostolicam, nullum posse salvari, nisi per aquam regenerationis, ut ipse Dominus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Pecca-

Summa hæreseon.

Damnantur hæretici à Synodi Patribus, qui & veram fidem profitentur.

** f. Profitemur*

Iohan. 3. 5.

Digitized by Google

Baptismus ad salutem necessarius.

ta verò quæ post Baptismum suadente diabolo, & propria voluntate contrahunt homines, confitemur per Pœnitentiam non solùm relaxari; verùm ipsam divinam gratiam posse promereri, cùm per eam videamus peccatricem Mariam mundatam, Zachæum justificatum, Petrum post lapsum relevatum, latronem intra Paradisum receptum.

Pœnitentiæ Sacramentum.

Communio fidelium.

Credimus autem sanctam Ecclesiam, communionem omnium fidelium, matrem, nullumque ad eam quæ in cælis est, posse pervenire, nisi per hanc quæ in terris est, acquisitus fuerit. Sacramentum autem dominici corporis & sanguinis hoc à Deo confitemur esse pignus nostræ redemtionis & salutis, de qua Dominus ait: *Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et iterum: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Quod corpus & sanguinem, secundùm quod ipse ait: *Accipite & manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum*. &, *Bibite ex hoc omnes, hic est enim calix sanguinis mei*; indubitanter profitemur eamdem esse carnem, quæ ex Virgine nata, in cruce passa, de sepulcro levata, super cælos exaltata, sedet in paternæ majestatis gloria. Hoc qui audit incredulus, huic nec Christus natus, nec passus, nec sepultus est, nec cum Christo partem beatæ resurrectionis obtinebit. Quod mysterium non aliàs potest sanctificari, nisi super sacrosanctum altare, quod de terra sibi Dominus per Moïsen instituit fieri.

Sacramentum corporis & sanguinis Christi.
Iohan. 6. 54.
Ibid. 55.
Matth. 26. 26.
Ibid. ℣. 27.

Connubia legitima.

Connubia autem quibus concessa sunt, Dominus & Discipuli ejus, Doctorque gentium & licentiam dedit, & legitima servare instituit, &c.

Tandem heretici fidem Catholicam professi sunt.

Si quis autem contra hanc catholicam institutionem senserit, sortem inter fideles habere non poterit. Verùm quia illi qui paulò hæretica infidelitate tenebantur, hæc quæ Latina oratione dicebantur, non satis intelligere poterant, audita per interpretem vulgatem excommunicationis * . . . . , expositaque sacræ fidei professione, pari voto se, & quod damnatum fuerat,

* *f.* sententiâ

Digitized by Google

*. . . . . . . : & quod à fidelibus creditum fuerat credere se professi sunt. Sed ad confirmandum suæ fidei testamentum, unusquisque eorum in modum crucis hujusmodi † quemdam characterem conscripsit, ut hoc illis signum in extremo judicio, si fidem hanc servarent, repræsentaretur ad salutem; si autem prævaricarentur eam, fieret eis in confusionem. Sic itaque omnes Deo gratias in commune reddentes, & à Domno Episcopo benedictionis munere donati, redierunt feliciter in sua.

*f. abjurarunt

VITA HÆRETICORUM quam patefecit BONACURSUS quondam hæreticus, nunc autem Catholicus.

MANIFESTATIO *hæresis Catharorum, quam fecit* BONACURSUS, *qui quondam fuit Magister illorum Mediolani, coram populo.*

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

DOMINUS noster JESUS CHRISTUS, qui Ecclesiam suam semper & ubique protegit & gubernat, atque fidem Catholicam confirmat & conservat, errores illorum, qui Cathari vocantur, manifestare & aperire per suam sanctam misericordiam volens: quemdam Episcopum doctorem, Bonacursum nomine, misericorditer gratia sancti Spiritus illuminavit, & ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ per gratiam renovavit: unde immensas laudes Deo omnibusque Sanctis referamus. Illorum quidem hæresis non solùm formidabilis, verùm etiam ad loquendum seu ad audiendum nimis est terribilis atque execrabilis. Nam quidam illorum dicunt Deum creasse omnia elementa, alii dicunt illa elementa diabolum creasse. Sententia tamen omnium est, illa elementa diabolum divisisse. Dicunt etiam eumdem diabolum Adam de limo terræ fecisse, & quem-

Catharorum hæreses.

Digitized by Google

dam Angelum lucis in eo summa vi inclusisse, de quo credunt dictum esse in Evangelio: *Homo quidam descendebat à Ierusalem in Iericho*, &c. Hevam dicunt fecisse, cum qua concubuit, & inde natus est Caïm, de sanguine cujus dicunt natos esse canes, ideoque tam fideles sunt hominibus. Conjunctio Adæ cum Heva, ut dicunt, fuit pomum vetitum. Alium errorem inducunt, scilicet omnia quæ facta sunt in aëre, in mari & in terra, facta esse à diabolo, sicut homines, animata & inanimata. Ex filiabus Hevæ & dæmonibus dicunt natos esse gigantes, qui cognoverunt per dæmones patres suos diabolum omnia creasse. Unde diabolus dolens eos ista scire, dixit: *Pænitet me fecisse hominem*. Unde quia Noe hoc ignoravit, à diluvio liberatus est, cui dicunt dictum esse à diabolo: *Ingredere in arcam*. Enoc ab eodem translatum esse dicunt.

Luc. 10.30. Gen. 6. 6.

Iterum asserunt, quæcumque sunt facta vel dicta Abrahæ, Isaac & Jacob, à dæmone dicta & facta esse. Dicunt etiam quòd diabolus Moïsi in rubo apparuit, & locutus est ei. Insuper miracula quæ facta sunt in conspectu Pharaonis per Moïsen; & quòd filii Israël per mare rubrum transierunt, & educti sunt in terram promissionis; & de locutione Dei ad ipsum, & de lege quam dedit illi Deus: omnia ista dicunt & credunt esse facta ab ipso diabolo magistro eorum. De dictis sanctorum Prohetarum dicunt quædam esse revelata à Spiritu Dei, quædam à spiritu maligno. Unde Apostolus: *Omnia probate; quod bonum est, tenete.* David propter adulterium & homicidium damnant. Heliam in curru à diabolo delatum esse dicunt. De Angelo à Deo Zachariæ misso Angelum diaboli asserunt. Ipsum quoque Johannem, quo nemo major est, testante Domino, damnant. Quare? Quia Dominus dicit in Evangelio: *Qui minor est in regno cælorum, major est illo.* Et quia dubitavit de Christo, cùm dixit: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* MARIAM matrem Domini nostri credunt natam fuisse . . . . . De Christo dicunt, quòd non habuit animatum corpus; non manducavit

Gen. 7. 1. 1. Thess. 5. 21. Matth. 11. 11. Luc. 7. 19. & 20.

ducavit, neque bibit, sed nec aliqua secundùm hominem fecit, sed videbatur ita. Dextrum latronem dicunt in inferno esse. Non credunt corpus Christi resurrexisse, nec in cælum assumtum fuisse, neque carnis resurrectionem, nec Christum descendisse in infernum. Non credunt Filium æqualem Patri, quia dixit: *Pater major me est.* Crucem dicunt characterem esse bestiæ, quæ in Apocalypsi esse legitur, & abominationem stantem in loco sancto. Beatum Sylvestrum dicunt Antichristum fuisse, de quo legitur in Epistolis: *Filius perditionis* est, *qui extollitur supra omne quod dicitur Deus.* A tempore illo dicunt Ecclesiam esse perditam. Nullum credunt in conjugio salvari posse.

Iohan. 14. 28.

2 *Thess.* 2. 4.

Doctores autem damnant omnes, videlicet Ambrosium, Gregorium, Augustinum, Hieronymum, & alios universaliter damnant. Si quis manducaverit carnem, vel ova, seu caseum, vel aliquid bestialis naturæ, quòd damnationem sibi manducat. Per Baptismum aquæ Spiritum sanctum nullo modo credunt posse accipi; nec aliquam substantiam visibilem credunt ullo modo in corpus Christi posse converti. Credunt etiam, omnis qui jurat, damnabitur: & credunt nullum posse salvari, nisi quadam sua impositione manuum, quam Baptismum appellant, & renovationem sancti Spiritus. Ipsum Diabolum credunt esse solem, lunam dicunt esse Hevam, & per singulos menses dicunt eos fornicari, ut vir cum aliqua meretrice. Omnes stellas credunt esse dæmones. Ad ultimum dicunt sine illis neminem posse salvari. Ecce talis est hæresis Catharorum, à qua Deus avertat universalitatem Catholicorum. Amen.

ADVERSUS HÆRETICOS QUI CATHARI VOCANTUR.

CHRISTUS Dei Filius, Dominus & Redemtor noster, qui cum Patre & Spiritu sancto unus est Deus, venturi præscius erroris, hoc modo suos com-

Matth. 24. 4. & seq. munit Discipulos: *Videte*, inquit, *ne quis vos seducat; multi etiam venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent.* Ac paucis intermissis subjungit:

Ibid. ℣. 11. *Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Et iterum: *Surgent*, inquit, *pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Petrus etiam Apostolus in Epistola 2.

2. Petr. 2. 1. & seq. *Fuerunt & pseudoprophetæ in populo, sicut & in nobis erunt magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis, & eum qui emit eos, Deum esse negant; superinducentes sibi perditionis audaces, sibi placentes, qui sectas faciunt blasphemantes. Hi verò irrationabilia velut pecora sunt. Naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant, blasphemantes, in corruptione sua peribunt.* Paulus quoque in Epistola 1. ad Timotheum: *Spiritus*,

1. Tim. 4. 1. inquit, *manifestè dicit, quòd in novissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisim loquentium mendacium*, & cetera.

Et quis tam parvi sensus est, qui non apertissimè intelligat istud esse tempus, de quo prophetiæ prædictæ loquuntur? Nonne jam civitates, suburbia, villas & castella hujusmodi pseudoprophetis plena esse videmus? Qui verbi semen suis conculcantes pedibus zizaniam sui erroris seminare non desistunt, atque sponsam Christi, sanctam videlicet Ecclesiam, pestifero veneno nimia importunitate corrumpere nituntur. Quapropter velociùs surgentes non ultrà differamus, sed gladio spiritus celeriter arrepto illis obviemus ac viriliter resistamus, & quàm pestifera illorum sit doctrina, Scripturæ sacræ testimonio apertissimè ostendamus. Ascendamus ex adverso & opponamus nos murum pro domo Israël contra inimicos Crucis Christi, ne propheticæ

Ierem. 48. 10. maledictioni subjacentes audiamus: *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* Apprehendamus arma & scutum, & exurgamus in adjutorium Domini. Effundamus gladio, & expugnemus eos qui persequuntur & dispergere nituntur oves Domini, de illius adju-

Digitized by Google

torio confidentes, qui dixit: *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.* Prosternamus istos seductores, quos videmus quosdam errores suos Scripturarum testimonio perverso intellectu confirmare, quosdam verò corrupti sensus magis dæmonum instinctu fingere, quàm Scripturarum auctoritate fulcire. Quod ergo Scripturæ testimonio asserere nituntur, ejusdem testimonio omnino destruamus. Quod autem velut deliramenta conjicere videntur, tamquam sint indigna responsione, pedibus conculcemus.

Luc. 21. 15.

QUOD OMNIA TAM VISIBILIA, QUAM INVISIBILIA, A DEO CREATA SUNT OMNIPOTENTE.

CAPUT I.

JOHANNES cap. I. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Item: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.* Paulus in Epistola ad Colossenses cap. I. *Quia in ipso condita sunt universa in cælo & in terra, visibilia & invisibilia; sive throni, sive dominationes, sive potestates, sive principatus, omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Ad Hebræos cap. I. *Et tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli; ipsi peribunt, tu autem in æternum permanebis.* Item cap. 3. *Omnis domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creavit, Deus est.* In Actibus Apostolorum: Tu autem, Domine, fecisti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt; *da servis tuis cum fiducia loqui verbum tuum.* Item: *Quam domum ædificabitis mihi; aut qui locus requietionis meæ? Nonne manus mea fecit hæc omnia?* Item cap. 40. Paulus ego annuntio vobis Deum, qui fecit hunc mundum, & omnia quæ in eo sunt; in quo vivimus & movemur & stamus. In Apocalypsi: *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter tuam voluntatem erant, & creata sunt.* Item: *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit*

Iohan. 1. 3.
Ibid. ℣. 10.
Coloss. 1. 16.
Hebr. 1. 10. & 11.
Ibid. c. 3. ℣. 4.
Act. 4. 29.
Ibid. 7. ℣. 49.
Apoc. 4. 11.
Ibid. c. 14. ℣. 7

hora judicii ejus; & adorate eum qui fecit cælum & terram, *mare*, & omnia quæ in eis sunt, & *fontes aquarum.*

QUÒD OMNIPOTENS DEUS ADAM ET HEVAM, ATQUE OMNE GENUS HOMINUM CREAVIT.

CAPUT II. *Qui Matth. 19. 4. MATTHÆUS cap. 19. *Quod* fecit ab initio masculum & feminam, fecit eos. Et dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ*, &c. Marc. 10. 6. Marcus cap. 10. *Ab initio creaturæ masculum & feminam fecit eos Deus.* Luc. 3. 23. & seq. Lucas cap. 3. *Et ipse* JESUS *erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph, qui fuit Eli*, usque, *qui fuit Adam, qui fuit* Dei. Luc. 11. 40. Item cap. 11. *Stulti nonne, quidquid deforis est, fecit, etiam id quod intus est, fecit?* Paulus in Epistola ad Galatas cap. 1. Gal. 1. 15. *Cùm autem complacuit ei qui me segregavit de utero matris meæ*, &c. Matth. 5. 44. Matthæus cap. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Act. 14. 16. In Actibus Apostolorum cap. 14. *Et quidem non sine testimonio non reliquit benefaciens de cælo dari pluviam & tempora, fructifera implens cibo, & lætitiâ corda nostra.*

DE LEGE MOÏSI SERVI DEI, QUÒD AB OMNIPOTENTI DEO DATA SIT.

CAPUT III. Matth. 5. 17. MATTHÆUS cap. 5. *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut Prophetas; non veni solvere legem, sed adimplere.* Matth. 7. 12. Item: *Omnia quæcumque vultis ut homines vobis faciant, & vos illis facite similiter. hoc est enim lex & Prophetæ.* Matth. 19. 16. &c. Item cap. 19. *Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Qui dixit ei: *Cur me interrogas de bono? unus est bonus Deus: si vis ingredi ad vitam, serva mandata. Dixit illi: Quæ?* JESUS *autem dixit illi: Non homicidium facias: non adulte-*

Digitized by Google

rabis: non facies furtum: nec falsum testimonium dices. Honora patrem tuum & matrem; & diliges proximum tuum, sicut teipsum. Lucas cap. 2. *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moïsi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* Item cap. 16. *Habent Moïsen & Prophetas, audiant illos. Si Moïsen & Prophetas non audierint, neque si quis ex mortuis surrexerit, credent.* Paulus in Epistola ad Rom. cap. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum & bonum.* In Epistola ad Galatas cap. 3. *Quid igitur lex propter transgressionem posita est?* Item: *Sequenti ea lex pædagogus noster fuit in Christo.*

Luc. 2. 22. Idem 16. 29. Rom. 7. 12. Gal. 3. 19. Ibid. ℣. 24.

QUOD JOHANNES BAPTISTA, ABRAHAM, ISAAC ET JACOB, ET MOÏSES SINT ELECTI ET AMICI DEI.

CAPUT IV. Luc. 1. 13. & seq.

LUCAS cap. 1. *Ait Angelus Domini: Ne timeas, Zacharia: quoniam exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Iohannem, & erit tibi gaudium & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino; vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ, & multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Heliæ, &c.* In Matthæo Dominus dixit ad turbas de Johanne: *Quid existis videre? Prophetam. Et etiam dico vobis, & plusquam Prophetam: hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Iohanne Baptista. Qui autem minor est in regno cælorum, major est illo.* Item Lucas cap. 13. *Cùm videritis Abraham, Isaac & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei vos expelli foras. Et venient ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Austro, & accumbent in regno Dei. Ecce sunt novissimi qui erant primi, & sunt primi qui erant novissimi.* In Actis Apostolorum cap. 3. *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus*

Matth. 11. 8. & seq. Luc. 13. 28. &c. Act. 3. 13. &c.

Digitized by Google

patrum nostrorum glorificavit Filium suum JESUM. Et infrà: *Vos estis filii Prophetarum & Testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros dicens ad Abraham : In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* In Apocalypsi cap. 15. *Et vidi tamquam mare vitreum mixtum igne, & eos qui vicerunt bestiam, & magnitudinem ejus, & numerum nominis ejus, stantes supra mare vitreum, habentes citharas, & cantantes canticum Moÿsi servi Dei, & canticum Agni dicentes : Magna & mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens.*

Apoc. 15. 2. &c.

QUÒD CONJUGIUM A DEO SIT INSTITUTUM, ET QUÒD IN EO POSSUMUS SALVARI.

CAPUT V.

Matth. 5. 31. &c.

MATTHÆUS cap. 5. Dictum est : *Qui dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii ; ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari ; & qui dimissam duxerit, adulter est.* Item cap. 19. *Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes & dicentes : Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa. Qui respondens ait : Non legistis quòd qui fecit ab initio masculum & feminam, fecit eos. Et dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quos ergo conjunxit Deus, homo non separet. Dicunt illi : Quid ergo mandavit Moïses dare libellum repudii & dimittere? Ait illis : Quoniam Moïses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationis causam, & aliam duxerit, mœchatur ; & qui dimissam*, &c. Paulus in Epistola ad Corinthios prima cap. 7. *De quibus autem scripsisti mihi, bonum est homini mulierem non tangere; propter autem fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque virum habeat. Uxori vir debitum reddat, & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem*

Matth. 19. 3. &c.

1. Cor. 7. 1. & seq.

Digitized by Google

non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Item: *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, meliùs facit. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quòd si dormierit vir ejus, liberata est à lege viri; cui vult, nubat, tantùm in Domino; beatior autem erit, si sic permanserit secundùm meum consilium. Puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam.* Ad Timotheum cap. 5. *Volo juniores nubere, filios procreare, matres-familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ.*

1. Cor. 7. ℣. 27.

Ibid. ℣. 38.

1. Tim. 5. 14.

QUÒD FILIUS DEI VERAM CARNEM ASSUMSIT, IN QUA DORMIVIT, MANDUCAVIT ET BIBIT, ETIAM POST RESURRECTIONEM.

CAPUT VI.

MATTHÆUS cap. 1. *Iacob genuit Ioseph virum* MARIÆ, *de qua natus est* JESUS *qui vocatur Christus.* Item cap. 8. *Ipse verò dormiebat, & accesserunt & suscitaverunt.* cap. 11. item: *Venit filius hominis manducans & bibens.* Lucas cap. 24. *Et quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes meos, quia ego sum; palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio dixit: Habetis hîc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi & favum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.* Johannes cap. 1. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* In Epistola Johannis prima cap. 4. *Omnis spiritus qui confitetur* JESUM CHRISTUM *in carne venisse, ex Deo est: & omnis qui solvit* JESUM, *ex Deo non est, & hic Antichristus est, de quo audistis,*

Matth. 1. 16.

Idem 8. 24.

Idem 11. 19.

Luc. 24. 38. &c.

Iohan. 1. 14.

1. Iohan. 4. 2.

Digitized by Google

quia venit, & nunc jam est in mundo. In Apocalypsi cap. 1. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

Apoc. 1. 5.

QUÒD PANIS QUI IN ALTARE PONITUR, ET VINUM CONVERTATUR POST SANCTIFICATIONEM IN CORPUS ET SANGUINEM DOMINI, ET QUÒD NULLUS, NISI QUI MANDUCAVERIT, SALVETUR.

CAPUT VII. Matth. 26. 26. & seq.

MATTHÆUS cap. 26. *Cœnantibus Discipulis accepit* JESUS *panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, dedit eis, dicens: Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ecce habes, ô hæretice, quòd panis & vinum post benedictionem convertuntur in corpus & sanguinem Domini. Nam quod ante benedictionem panis dicitur, post benedictionem corpus & sanguinem manifestè asserit, quòd qui non manducaverit, vitam non habebit; qui verò manducaverit, vitam obtinebit. Unde Dominus in Evangelio secundùm Johannem: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam; & ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea verus est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Apostolus quoque in Epistola 1. ad Corinthios cap. . . . *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Domini est? Et panis quem frangimus, nonne participatio Christi est?* Et infrà cap. 11. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus* JESUS *in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc est*

Johan. 6. 54. &c.

1. Cor. 10. 16.

1. Cor. 11. 23. &c.

Digitized by Google

est corpus meum quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter & postquam cænavit, dicens: Hic est calix novi Testamenti in meo sanguine, hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque bibetis, &c. usque: *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

DE RESURRECTIONE MORTUORUM IN DIE NOVISSIMO.

CAPUT VIII. Luc. 20. 34. &c.

LUCAS cap. 20. *Filii hujus sæculi nubunt & tradunt ad nuptias: illi autem qui digni habentur sæculo illo ex resurrectione ex mortuis neque nubent, neque ducent uxores, neque ultra mori poterunt; æquales enim Angelis sunt, & filii sunt Dei, cùm sint filii resurrectionis.* Quare surgent mortui, & Moïses ostendit secus rubum, sicut dixit: *Deum Abraham & Deum Isaac & Deum Iacob; Deus autem non est mortuorum, sed vivorum, omnes enim vivunt ei.* Johannes cap. 6. *Hæc est voluntas Patris mei qui misit me, ut omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die: hæc est autem voluntas Patris mei qui me misit, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Paulus in Epistola 1. ad Cor. cap. 15. *Si Christus prædicatur quòd resurrexerit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est, neque resurrexit? Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides nostra.* Et multa alia quæ de resurrectione in hoc capitulo loquitur Apostolus, usque: *Mysterium ecce vobis dico, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur*, &c.

Ibid. ℣. 38.

Iohan. 6. 39. &c.

1. Cor. 15. 12. &c.

Ibid. ℣. 51.

QUÒD CARNES, CASEUS, OVA ET LAC ABSQUE PECCATO MANDUCARI POSSUNT.

CAPUT IX. Matth. 15. 11.

MATTHÆUS cap. 15. *Audite & intelligite nunc. Quod intrat in os, non coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Paulus in Epistola

Rom. 14. 3. ad Rom. cap. 14. *Is qui manducat, manducantem non spernat; & qui non manducat, manducantem non judicet.* Item: Ibid. ℣. 14. *Scio & confido in Domino* Jesu, *quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Ibid. ℣. 20. Item: *Omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui per offendiculum manducat.* Paulus in Epistola 1. Cor. 10. 25. 1. ad Cor. cap. 10. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam: Domini est* Ibid. ℣. 27. *terra & plenitudo ejus.* Item: *Si quis infidelium vocat vos ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis ponitur, manducate.* Coloss. 2. 16. Ad Coloss. cap. . *Nemo vos judicet in cibo aut in* 1. Tim. 4. 1. & seq. *potu.* Ad Tim. cap. . *Spiritus manifestè dicit, quòd in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem. Quòd omnis creatura Dei bona, & nihil rejiciendum quod gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Ad Tit. 1. 15. Tit. cap. 1. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, si in iniquitate sunt eorum mens & conscientia.*

Quod veritatem jurare necessitate exigente, cupiditate amota, non sit damnabile.

Caput XVI. Matth. 5. 34. Super hoc quod dicis: O idiota cauteriate, mortale esse jurare, pro eo quod Dominus dicit, *non jurare omnino, sit sermo vester, est, est; non, non;* sic respondemus, quia non præcipiendo, sed hortando & monendo hoc dixit, nec tum præcepti necessitatem imposuit, sed consilium dedit: sed nec qui veritatem jurat necessitate cogente; cupiditate amota, damnabile quidem facit. Et quid est jurare, nisi mentis certitudinem pro manifesta utilitate verbis confirmare? Nam

Digitized by Google

& ipse Dominus juravit, ubi dicit: *Amen amen dico vobis.* Et Apostolus ubi dicit in Epistola sua: *Invoco Deum testem & animam meam.* Et iterum: *Deus mihi testis est.* Item in epistola ad Hebræos cap. . . *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem; juravit per seipsum dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem. Homines enim per majorem sui jurant, & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum.* Item in Apocalypsi cap. 10. *Et Angelus Domini, quem supra mare vidi stantem & super terram, levavit manum suam ad cælum, & juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cælum & ea quæ in eo sunt, & terram & ea quæ in ea sunt, & mare & ea quæ in eo sunt, quia tempus amplius non erit.* His itaque auctoritatibus colligere apertè possumus, quòd non jurare, consilium est, non præceptum. Unde mentiri manifestè comprobaris, ô hæretice; mortale asseris juramentum esse: quia sicut omne id quod in parte decernitur, mortem irrogat non impletum; ita ea quæ potiùs quàm jubeatur, facta prosunt, non facta nocent.

2. Cor. 1. 23.

Hebr. 6. 13. &c.

Apoc. 10. 5. & 6.

ADVERSUS HÆRETICOS QUI PASAGII NUNCUPANTUR

QUALIS sit eorum error, qui Pasagii vocantur, & quàm illorum sit nefanda fides & doctrina, non jam paucis, sed quàm pluribus apparet. Sed quia sunt nonnulli ad quorum notitiam nondum pervenit, tum pro istorum cautela & salute, tum pro illorum confusione & pudore, quod de eis sentio, scribere non piget, ut quò magis fuerit eorum nota dementia, eò ampliùs à cunctis contemnatur & conculcetur. Quia sicut bona sciri debent ut exerceantur, ita etiam mala scire convenit ut penitus vitentur.

Adverte ergo tu qui nescis, quàm perversa sit illorum fides & doctrina. In primis enim dicunt, quòd Mosaïca lex sit ad litteram observanda, & quòd Sab-

Hæreses enumerantur.

Digitized by Google

batum & Circumcisio & aliæ legales observantiæ adhuc habere statum debeant. Dicunt etiam quòd Christus Dei Filius non sit æqualis Patri, & quòd Pater & Filius & Spiritus sanctus, istæ tres Personæ non sint unus Deus & una substantia. Præterea ad augmentum sui erroris, omnes Ecclesiæ Doctores, & universaliter totam Ecclesiam Romanam judicant & condemnant. Sed quia hunc suum errorem novi Testamenti ac Prophetarum testimonio nituntur, proprio illorum gladio, Christi suffragante gratia, sicut David Goliam eundem suffocemus.

QUÒD LEX MOSAÏCA SIT SPIRITUALITER OBSERVANDA.

CAPUT I. *Matth. 7. 12.*

IN Matthæo: *Omnia quæcumque vultis ut vobis faciant homines, & vos facite illis similiter; hæc est enim lex & Prophetæ.* Item cap. . . *Omnis enim lex & Prophetæ usque ad Iohannem per fidem sine operibus legis.* Item cap. . . *Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Item seq. cap.

Rom. 7. 1. &c. *An ignoratis, fratres, (scientibus enim legem loquor) quòd lex dominatur in homine, quanto tempore vivit. Nam quæ sub viro mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum altero viro. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Itaque, fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex morte resurrexit, ut fructificaremus Deo. Cùm enim essemus in carne passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificaremus morti. Nunc autem soluti sumus à mortis lege, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus & in vetustate litteræ.* Item cap. . . *Ignorantes autem Dei justitiam, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti; finis enim legis ad justitiam omni credenti.* Et infra: *Qui diligit proximum, legem implevit.* Paulus in Epistola ad Cor. cap. 5. *Vetera transierunt, & ecce omnia facta sunt nova.* In eadem Epistola cap. 3. *Littera occidit, spiritus autem vivi-*

Rom. 10. 3. — *Rom. 13. 8.* — *2. Cor. 5. 17.* — *Ibid. 3. 6.*

Digitized by Google

ficat. Item & ad Gal. cap. 3. *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita, donec veniret semen cui promiserat,* &c. Et infra: *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur: at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* Item cap. 5. *Omnis lex enim in uno sermone completur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et infra: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.*

Gal. 3. 19. Gal. 3. 26. Gal. 5. 14. Ibid. ℣. 18.

In Epistola ad Timoth. prima cap. 1. *Scimus autem quoniam bona est lex, si quis ea legitimè utatur, scientes hoc, quòd justo non est lex, sed injustis & subditis, impiis & peccatoribus,* &c. In Epistola ad Hebræos cap. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem & inutilitatem.* Item cap. 8. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum novum, non secundùm testamentum quod feci patribus eorum in die qua deprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti; dicendo autem novum, veteravit prius; quod antiquatur & senescit, prope interitum est.* Item cap. 7. *Iam supradicto translato sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat.* Decessatio est Sabbati, quod ad litteram non sit observandum. Johannes cap. 5. *Dicebant illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum & ambula.* Item: Judæi *propterea persequebantur* JESUM, *quia hæc faciebat in Sabbato.* JESUS *autem respondit eis: Pater meus usque modò operatur: propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, qui non solùm solvebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Paulus ad Colossenses cap. 2. *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in participatione diei festi neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum; corpus autem Christi.*

1. Tim. 1. 8. &c. Hebr. 7. 18. Ibid. 8. ℣. 8. &c. Ibid. ℣. 14. Iohan. 5. 10. &c. Ibid. ℣. 16. & seq. Coloss. 2. 16.

Isidorus: Si crimen, Sabbati otia non observare; « cur Jesus Nave discipulus ac successor Moïsi, præci- « piente Domino, septem diebus continuis, inter quos « utique Sabbatum erat, exercitum & arma produxit, « atque circumeunte arca, tubisque clangentibus Jerico « muros subvertit? Quid igitur iterum de Machabæis «

eloquar, de quibus scriptum est: Et nolebant Judæi in die Sabbati vindicare, sed de alienigenis postea, consilio accepto, pugnaverunt die Sabbati, & triumphaverunt de hostibus. Quilibet testimonio edocemur non pertinere ad fidem istam Sabbati elementarium dies, sed ad alium specialem. Nam hoc carnale Sabbatum non est datum propter purificationem, sed propter tentationem, dicente Domino: *Ut tentem eos, utrum ambulent in viis meis, an non; sex diebus colligetis manna, septimo non colligetis.* Itaque dicit, ut tentem eos, ut appareat non fuisse præceptum propter justificationem, sed propter tentationem. Hinc est quòd per Ezechielem Prophetam loquitur dicens: *Dedi ei præcepta non bona*, id est, quæ carnaliter observata suos observatores non servant. Utique quædam carnali populo carnaliter agenda permissa sunt, quæ tamen veniente Evangelio cessaverunt, sicut per Prophetam dicit: *Cessare faciam omne gaudium ejus & Sabbata ejus.* Sed quæritur: Si non, inquiunt, custodiendum Sabbatum, quare dictum est in mandatis Domini: *Memento ut diem Sabbati sanctifices: sex diebus operaberis, & facies opera tua; septima autem die Sabbata Domini Dei tui sunt, non facies in ea omne opus.* In opere enim sex dierum sex millium annorum demonstrabant. Mille enim anni apud Deum unius diei spatio comparatur, sicut Propheta testatur: *Quoniam mille anni ante oculos tuos tamquam dies una.* Horum dierum Sabbatum septimi millesimi anni tempus, ac requies futuri regni & sæculi est; ubi jam nulla erit opera rerum, sed requies sola Sanctorum. Est quippe aliud Sabbatum, de quo per Esaiam dicitur: *Et erit quippe mensis ex mense Sabbatum.* Mensis ex mense, id est, ex perfectione bonæ operationis perfectum gaudium æternæ vitæ. Et erit Sabbatum ex Sabbatis, quia qui hîc cessaverit à perverso opere, illic quiescet in cælesti retributione. Sed iterum quæritur, quare dixerit Jeremias: *Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die Sabbati.* Audi ergo ejusdem prophetiæ mysterium.

Exod. 16. 4.
Osea 2. 11.
Exod. 20. 8.
Psal. 89. 4.
Esai. 63. 23.
Jerem. 17. 21.

Digitized by Google

Pondera portans in Sabbato, qui credens in Christo, non desinit à peccato; ipse enim est requies animarum, sicut iste dicit: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Adhuc tertiò quæritur; quare ille homo qui colligebat ligna in die Sabbati, atrociter jussu Dei fuerit à populo trucidatus. Intelligant ergo quòd hæc omnia in figura accidebant illis, scripta sunt enim ad correptionem nostram. Ille enim pristinus carnalisque est, qui dicit Sabbatum violare usque dum ligna colligent, propter quod est punitus, formam insinuat ejus, qui cum carnali opere in die judicii fuerit inventus, pellendus esse ab omnibus Angelis; & statim morte novissima puniendus. Si ergo quicumque illis Judæis per legem acciderint, formaliter intelligenda sunt de circumcisione, quòd spiritaliter, non ad litteram sit observanda. Paulus in Epistola ad Romanos cap. 2. 28. *Non enim qui in manifesto, Judæus est; neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio; sed qui in abscondito, Judæus est; & circumcisio carnis in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Item Gal. cap. 5. 2. *Ecce ego Paulus dico, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* In Epistola ad Colossenses cap. 2. 11. *Circumcisi estis circumcisione manufacta in expoliatione corporis carnis* . . . . Ratio quare circumcisio Abrahæ data sit & pro qua significatione. Isidorus: Accipe nunc primam causam circumcisionis. Quia enim secundùm carnem erat Christus nasciturus, in quo cunctarum gentium fuerat benedictio repromissa, & Abraham usque ad Christum multa erant sæcula pòst futura: prævidens Deus genus Abrahæ, ne reliquis gentibus misceretur, & paulatim propago ejus fieret incerta, populum Judaicum circumcisionis signo notavit, ut videret inter Ægyptios, Assyrios, inter Babylones, sive Chaldæos, hoc signaculo ab his sive à ceteris gentibus, quòd distingueretur. Denique per quadraginta annos in eremo nullus est circumcisus, ibi quippe sine alterius commixtione vivebant; atque ubi Jordanis alveum

Digitized by Google

populus Israëliticus transmeavit, atque in terram promissionis pervenit, signum circumcisionis futuro ex commixtione gentium prævidit errori. Quàm rationabiliter custodiendam esse credimus, quousque nasceretur Christus, qui eo semine Abrahæ fuerat repromissus. Quòd non jam per circumcisionem carnis, sed per amputationem vitiorum mundaret corda omnium gentium. Unde Moïses ait: *In novissimis diebus circumcidet cor tuum & cor seminis tui.* Et Dominus per Isaiam annuntiavit dicens: *Ne memineris priorum, & antiqua non intueamini, ecce nova faciam quæ nunc orientur, & cognoscetis ea.* Et bene cultris lapideis circumcisio fiebat, secunda namque fiet petrâ, quæ Christus est, per quem spiritali circumcisione credentes purgantur ab omnibus illecebris vitiorum.

Deuter. 30. 6.

Isai. 43. 18.

Quòd Christus sit Deus, Patri æqualis et consubstantialis.

Caput II.

JOHANNES cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Item cap. 5. 18. *Propterea magis quærebant Iudæi Christum interficere, quòd non solvebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Item cap. 14. 8. *Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei* JESUS: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? & Pater in me est.* Et infra: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Item cap. 20. 29. *Respondit Thomas & dixit: Dominus meus & Deus meus. Dixit ei* JESUS: *Quia vidisti me & credidisti, beati qui non viderunt, & crediderunt.* Item in ultimo cap. 21. 15. dixit ei Petrus: *Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te.* In Apocalypsi cap. 1. *Ego sum A & Ω, principium & finis.* Et infra cap. . *Ego sum primus & novissimus: & fui mortuus, & ecce sum vivens in secula seculorum.*

Quòd

Digitized by Google

QUÒD CHRISTUS SIT GENITUS, ET QUÒD IDEM CUM PATRE.

CAPUT III. *Psal. 109. 4.*

ISIDORUS: *Tecum principium in die virtutis tuæ, ex utero ante luciferum genui te.* Ex utero itaque, id est, ex illa intima & incomprehensibili Patris substantia. Et iterum: *Exaltavit cor meum verbum bonum.* Et alibi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Cui Reges obediunt, & gentes serviunt, & adorabunt Reges terræ, *Omnes gentes servient ei.* Hunc Filium Dei in Daniele Rex ille impius aspiciens dixit: *Ecce ego video viros quatuor solutos ambulantes in medio ignis, & species quarti similis Filio Dei.* *Dan. 3. 92.* Si objicitur quòd in Daniele Filius Dei superiùs etiam Angelus nominatur, assentio: nam & Christus Dei Filius Angelus dicitur. Sicut enim ait Propheta de ipso: *Venit ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* *Malac. 3. 1.* Christus in eo quòd à Patre genitus est, Filius Dei vocatur: in eo quòd à Patre missus ad annuntiandum Patribus legitur, Angelus annuntiat. *Vox Domini reddentis retributionem inimicis suis*, ipsis videlicet qui non credunt Judæis. *Isai. 66. 6.* *Antequam parturiret, peperit, & antequam veniret partus ejus, peperit masculum.* Ac si apertè dicat: Antequam Christum Virgo parturiret in carne, genuit Filium in Deitate, sicut scriptum est de me: *Egressus ejus à principio à diebus æternitatis.* *Mich. 5. 2.* Et iterum: *Ante solem permanet nomen ejus, & ante lunam & . . . .* *Psal. 71. 17.* Quod & ipse Dei Filius verbum virtutis & sapientia de sua nativitate confirmat, dicens: *Necdum erant abyssi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant, nec montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege & giro vallabat abyssos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* *Prov. 8. 24.* Illud denuo quæritur, quomodo idem sit genitus, dum sacræ nativitatis ejus arcana nec Apostolus dicit, nec Propheta comperit, nec Angelus

Digitized by Google

ſcivit, nec creatura agnovit, Iſaia teſtante, qui ait: *Generationem ejus quis enarrabit?* Idcirco ſi ejus nativitas à Propheta non potuit enarrari, quis confitetur noſſe, quando potuit à Patre Filius generari? Hinc eſt & illud in libro Job: *Sapientiam Dei Patris unde invenies? Latet enim ab oculis hominum, & à volucre cæli abſconſa eſt*, id eſt, etiam ipſis Angelis incognita. Chriſtus enim ex Patre ita emicuit, ut ſplendor à lumine, ut verbum ab ore, ut ſapientia ex corde.

Iob 28. 21.

Item quòd Chriſtus ſit Deus, declarat Iſaias, utramque perſonam unum Deum demonſtrans. *Tu es*, inquit, *Deus, & in te eſt Deus.* In eo quod dicit, Tu es Deus, Patrem oſtendit; in eo quod ſubjecit, In te eſt Deus, Filium declarat. Sed ut eumdem Patrem & Filium unum Deum oſtenderet, ſubjecit: *Non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſconditus Deus Iſraël.* Alio quoque in loco idem Iſaias totam Trinitatem in digitorum numero comprehendens, ſic prædicat dicens: *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo quis ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ?* In tribus quippe digitis Propheta trinam divinæ omnipotentiæ Perſonam, & unitatem quæ una eademque in Trinitate eſt, in tribus digitis declaravit. Item quòd Chriſtus ſit Deus, oſtendit Jeremias in libro Baruch, ubi dicit: *Hic eſt*, inquit, *Deus noſter, & non eſt alius præter eum, invenit omnem viam ſcientiæ, & oſtendit eam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo; pòſt in terra viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Sed hinc non putant Chriſtum eſſe Deum, eo quòd audierint in monte Synai vocem Domini intonantis: *Audi*, inquit, *Iſraël, Deus unus eſt Dominus Deus tuus.* Et iterum: *Ego Deus, & præter me non eſt alius.* Et illud: *Ego ſum Dominus Deus, & non mutor, gloriam meam alteri non dabo.* Dum ergo legunt hoc perfidi & errore cæcati, Chriſtum Deum eſſe non credunt. Agnoſcant ergo proinde illis eo tempore hæc prædicta fuiſſe, ne fortè ab unitate fidei recedentes in multos fictos deos tranſirent, atque idola gentilitatis tollerent, quod & fecerunt.

Iſai. 45. 15.

Iſai. 40. 12.

Baruch. 3. 36.

Deut. 6. 4.

Digitized by Google

Quòd Spiritus sanctus est Deus, et quòd idem Spiritus cum Patre et Filio sit una substantia, et unus Deus omnipotens est, non tres dii.

Caput IV.

IN Evangelio Johannis cap. 4. *Spiritus est Deus.* Job. . *Spiritus Domini fecit me, & spiraculum Omnipotentis vivificavit me. Ecce me sicut & te fecit Deus.* In primo libro Regum: Dixit David filius Isai: Dixit vir cui constitutum de Christo Dei Jacob, egregius Psalmista Israël: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.* Quis autem esset, adjecit: *Deus Israël mihi locutus est, fortis Israël, dominator omnium justus.* Dicendo enim Christum Dei Jacob, & Filium & Patrem ostendit. Item dicendo, Spiritus Domini locutus est per me, & Spiritum sanctum evidenter aperuit. Item in Psalmis, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* In persona autem Domini Patrem accipimus, in verbo Filium credimus, in spiritu oris ejus Spiritum sanctum intelligimus. In Genesi etiam Pater significatio Trinitatis per pluralitatem personarum exprimitur. Ubi dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ubi tamen ut unitatem Deitatis ostenderet, confestim adjecit, dicens: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam.* In Isaia quoque Trinitas declaratur, eodem Filio dicente: *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus.* Ecce duæ Personæ, Dominus & Spiritus ejus qui mittunt, & tertia Persona ejusdem Domini quæ mittitur. Alio in loco idem Isaias totam Trinitatem in digitorum numero comprehendens sic prædicat, dicens: *Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ?* In tribus quippe Propheta digitis trinam divinæ omnipotentiæ æqualitatem sub quadam mysterii lance librorum, & parilitatem virtutis, compa-

Iob 33. 4. 6.

Psal. 32. 6.

Isai. 36. 12.

Isai. 40. 12.

Digitized by Google

rationem & unitatem potentiæ, qua una eademque in Trinitate est, in tribus digitis declaravit. Item Johannes in Epistola I. cap. . . . *Spiritus enim est qui testificatur: Christus est veritas, quia tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater & Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.*

1. Iohan. 5. 6.

QUÒD SIT MORTICINUM, ET QUÒD QUÆDAM IN LEGE PER SIGNIFICATIONEM AD ESUM PROHIBITA SUNT.

CAPUT V.

MORTICINUM autem puto, quod ad escam usus hominum non admisit, eo quòd non occisorum, sed mortuorum animalium mortua caro est, nec apta ad salutem corporis, cujus causâ sumimus alimentum. Nam quod esum de sanguine antiquis in figuram præceptum est, id est, ne caro cum sanguine manducetur, sed dejecto sanguine carnes manducare jubentur, hæc præfigurari fatetur beatus Augustinus in libro XII. contra Faustum: Nec vita pristina, quasi suffocata in conscientia teneatur, sed habeat effusionem per confessionem. In Actibus Apostolorum hoc legi præceptum est ab Apostolis, ut abstinerent gentes tantùm à fornicatione, & ab immolatis, & à sanguine, id est, nequaquam ederent carnem, cujus sanguis non esset effusus. Quod alii non sic intelligunt, sed à sanguine præceptum esse abstinendum, ne quis homicidio se contaminet; seu fortè quamdam rem facilem propter tunc invenerunt Apostoli, quam cum Israëlitis etiam gentes communiter observarent. Nunc autem illa Veritatis sententia à cunctis firmiter est tenenda: Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore hominis, coinquinat hominem. Item Isidorus: Per illa animalia quæ nec ruminant, nec ungulas dividunt, infideles figurantur, quòd neque bona à malis separant, nec Dei præcepta ruminant tractando: per corvos exprimuntur, qui humanum sanguinem fundunt: per accipitres & milvos, qui aliena rapiunt:

Act. 15. 20.

Digitized by Google

per cygnos, elati: per pisces qui squamis & pennis carent, illi qui squamas virtutum; & pennas, cælesti conversatione carent: & ideo super aquas saltus dare non possunt, id est, nequeunt penetrare cælestia.

ADVERSUS ARNALDISTAS.

QUòD pro malitia Clericorum Sacramenta Ecclesiæ dicunt esse vitanda. Inclina aurem tuam & audi, aperi oculos tuos & vide, emunda cor tuum & intellige. Sicut arca Noë munda & immunda continuit animalia: ita in præsenti Ecclesia malos esse permixtos bonis, nemo est qui ambigere debeat. Quòd si mali, dum tolerantur, vel ignorantur, officium ecclesiasticum commissum fuerit, aut fortè bonus post acceptum beneficium malus esse incipit, tu quis es qui alienum servum judices? Suo Domino stat, aut cadit; potestatem etenim officii quam accepit, non amittit, quamdiu Ecclesiæ judicio à Prælato suo damnatus non fuerit. Sacramenta itaque Ecclesiastica ab eo si tu dignè acceperis, quamvis indignè ministraverit, tibi non sibi profutura accipe. Audi ergo testimonia in hoc ipsum: Quòd si manna ex veteri Testamento ac novo scripta, & ex scriptis sanctorum Doctorum, scil. Gregorii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini & cæterorum auctoritates de veteri ac de novo Testamento. In primo libro Regum, invenies quòd Eli Sacerdos graviter peccavit, quòd filios suos delinquentes sustinuit. Item Saül *fecit malum in oculis Domini*, & inunctus est David in Regem à Samuele privatim, & Spiritus Domini recessit à Saüle, & directus est in David; & tamen David obediebat Saüli ut Regi, & habebat & sustinebat ut Regem, quamdiu Saül vixit. In secundo libro Regum Oza extendit manum ad Arcam Dei, & tenuit eam, iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritatem, qui mortuus est ibi juxta Arcam. Matthæus cap. 7. *Nolite judicare, & non judicabimini*. Item cap. 13. *Sinite utramque ad messem*

CAPUT I. De Arnaldistis.

1. Reg. 15. 19.

Matth. 7. 1.

Matth. 13. 30.

Digitized by Google

crescere, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizaniam, & alligate eam in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum. Item

Matth. 13. 40.

cap. 13. *Sic erit in consummatione sæculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in camino ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.* Item cap.

Matth. 23. 2.

23. *Super cathedram Moïsi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite; secundùm verò opera illorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt.*

Marc. 1. 44.

Marc. cap. 1. *Vade, ostende te Sacerdotibus, & offer pro emundatione tua quæ præcepit Moïses in testimonium illis.*

Iohan. 11. 49.

Johannes cap. 11. *Caïphas cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipsò non dixit; sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit.* Augustinus: Si fuerit justus minister, computo eum cum Paulo, qui gloriam

1. Cor. 3. 6.

suam non quærit, dicens: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Dominus autem incrementum dedit.* Si verò superbus minister fuerit, cum Zabulon computatur, sed non contaminatur donum Christi, quia per illum purus fluvius transit, & venit ad fertilem terram. Scio quoque quòd lapis ex aqua fructum ferre non potest, sed per lapideos canales transit àqua ad areolas. In lapideo canali nihil generatur, sed hortus multum fructum affert: specialis enim virtus Sacramenti, ut & lex pura illuminandis excipitur, sed per immundos transitus non coinquinatur. Item in libro de corpore Domini: Intra Catholicam Ecclesiam in mysterio corporis & sanguinis Domini nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote, quæ non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris & virtute Spiritus sancti. Si enim merito Sacerdòtis, nequaquam ad Christum pertineret. Nunc autem sicut & ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum sanctum hanc suam efficit carnem, & transfundit sanguinem: credendum est enim quòd in verbis Christi Sacramenta conficiantur, & cujus priùs creatur imperio, ejus utique recreantur in

Digitized by Google

melius. Item in libro 2. contra Epiſtolam Parmeniani: Omnia Sacramenta cùm obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus, ſicut & verbum Domini. Unde dictum eſt: Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Gregorius: Non nocet malitia Epiſcopi neque ad baptiſmum infantis, neque ad conſecrationem Eccleſiæ, quia baptiſma à Deo datur, non ab homine venit. Sic Euchariſtia & alia quæcumque in altari ponuntur, non ab homine, ſed à Deo ſanctificationem accipiunt. Auguſtinus in libro de verbo Domini: Recedite & exite inde, & immundum ne tetigeritis, ſed contactu cordis, non corporis. Quid eſt enim tangere immundum, niſi facere, quod pertinet ad correptionem illorum, quantum pro uniuſcujuſque gradu atque perſona, ſalva pace, ſi fieri poteſt? Diſplicuit tibi quòd quiſquam peccaverit, non tetigiſti immundum, redarguiſti, corripuiſti, monuiſti, adhibuiſti etiam, ſi res exigat, congruam, & quæ unitatem non violet, diſciplinam, egiſti inde, clamavit Moïſes iſta, clamavit Iſaias, clamavit Jeremias, clamavit Ezechiel. Videamus ſi populum Dei dimiſerunt, & ſe ad gentes alias tranſtulerunt. Quàm multùm & quàm vehementer Jeremias increpuit peccatores & ſceleratos: populus tamen inter eos unum, cùm templum intrabat, eadem Sacramenta celebrabat, in eadem ſceleratorum hominum congregatione vivebat, ſed clamando exibat inde. Hoc eſt ergo exire inde, hoc eſt immundum non tangere, & voluntati non conſentire, & ore non parcere.

Digitized by Google

INCIPIT PROLOGUS ANSELMI HAVELBERGENSIS EPISCOPI in Anticymenon contrapositorum sub Dialogo conscriptum.

Ad venerabilem Papam EUGENIUM III. *anno* MCXLV. *tempore beati* BERNARDI.

EUGENIO Domino, ac semper intuendo & amplectendo, beatissimo sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Papæ, ANSELMUS pauper Christi Havelbergensis Ecclesiæ insufficiens Episcopus, obedientiam absolutam in Domino.

Cùm in præsentia beatitudinis vestræ essem mense Martio apud Urbem Tusculanam, inter multa quæ sanctitati vestræ mecum conferre placuit, dixistis mihi, quòd quidam Episcopus legationem Constantinopolitani Imperatoris, & epistolam Græcis apicibus conscriptam perferens, ad Sedem Apostolicam nuper venerit. Dixistis etiam, quòd idem Episcopus Græcorum litteris plurimùm instructus, & decenti sermonum facundia ornatus & confisus, multa de doctrina & ecclesiastico Græcorum ritu proposuit, quæ doctrinæ Romanæ Ecclesiæ minimè concordant, & exitu ejus valde discrepant. Et ipse quidem nonnullis auctoritatibus sanctarum Scripturarum ad suum sensum violenter retortis, universa in quibus Græci à Latinis discordant tamquam recta visus est affirmare; ea verò, in quibus Latini à Græcis discrepant, tanquam non recta visus est infirmare: illud nimirum quod suum erat, quia suum erat, non quia verum erat, per omnem modum probando; hoc autem quod nostrum, quia nostrum & non suum erat, omnino improbando. Inter quæ maximè

Objectiones Græcorum.

sint

sint, dixistis, *de processione Spiritus sancti* disputavit, quem Græci quidem à Patre tantùm, Latini verò à Patre & Filio procedere credunt & dicunt: & ritu sacrificii in altari, quod Latini quidem in azymo, Græci verò in fermentato celebrant, necnon esse, de quibusdam aliis satis argumentosè in quæstionem positis.

Unde quoniam ego aliquando magni LOTHARII Romanorum Imperatoris Augusti Legatus fui in Constantinopolim, & ibidem aliquam moram faciens, multas super hujusmodi doctrina & ritu collationes & quæstiones, modò in privatis, modò in publicis, tam Latinorum, quàm Græcorum conventibus habui, placuit sanctitati vestræ & præcipiendo rogare, & rogando præcipere, quatenus ea quæ vel ego ibi dixerim, vel ab illis dicta audierim & exceperim, in unum colligerem, & quasi Anticymenon, id est, librum contrapositorum, sub Dialogo conscriberem, quatenus universa quæ vel ab eis super his dicuntur, quæ eis rationabiliter opponuntur, providentiæ vestræ tantò liberiori judicio examinanda subjacerent, quantò veriùs ea discretioni vestræ innotescerent. Nonnulli quippe Latini Græcorum dictis plerumque falluntur, dum ea verborum tantùm transitu audiunt, non autem examinato sensu intelligunt, putantes eos affirmare quod non affirmant, aut negare quod nullatenus negant.

Anselmus Legatus Lotharii Imperatoris Constantinopoli aliquamdiu moratus est.

Feci itaque quod jussit Apostolica auctoritas, cui semper obtemperandum est, non tantùm devota humilitate, verùm etiam æternæ salutis necessitate. Conservavi autem quantum memoria subministrabat, tenorem Dialogi quem cum venerabili ac doctissimo Archiepiscopo Nicomediæ Nechitæ in publico conventu apud urbem Constantinopolitanam habui, addens quædam non minùs fidei necessaria, quàm huic operi congrua. Fuit autem idem Archiepiscopus Nechites præcipuus inter duodecim didascalos, qui juxta morem sapientum Græcorum, & liberalium artium & divinarum Scripturarum studia regunt, & ceteris sapientibus tamquam omnibus præeminentes in doctrina præsunt, &

Jussu summi Pontificis hoc opus aggressus est sub Dialogi forma.

ad quos omnes quæstiones difficillimæ referuntur, & ab eis solutæ deinceps sine retractatione, & pro confirmata sententia tenentur & scribuntur. Præmisi autem librum de una forma credendi & multiformitate vivendi à tempore Abel justi usque ad novissimum electum, multis quorumdam fratrum precibus coactus, qui dicebant multis parvulis, necnon & sapientibus modicum esse scandalum, quòd in Ecclesia quæ una est, unam fidem tenendo, tot tam diversæ religionis novitates passim ubique per successiones temporum emergant multiformiter mundo. Quamvis autem vestræ beatitudinis arbitrium pretiosissimo sacrarum Scripturarum thesauro plenum & super omnia eminens abundè ad respondendum Græcis sufficiat, & hoc agno revelante, vel aperiente sigillum divinæ Scripturæ, qui occisus est ab origine mundi, & quamvis post tanti Doctoris excellentiam ab aliis quoque Latinorum sapientibus multa validiora adversus eos queant conveniri argumenta, tamen ea quæ ego in hoc Anticymenon sub Dialogo contexui, non subitò ab aliquibus judicentur superflua, quoniam fortassis aliqui humiles, & ad aliquid inveniendum subitò non adeo agiles sensus habentes, ista libenter lecturi sunt, ut & quæ Græci dicunt, veriùs cognoscant; quæ illis responderi possunt, aliquatenus hîc inveniant. Sanè quicumque hæc legerit, sciat me ea scripsisse non tam ut quemquam docere, aut quid ego didicerim, ut ostentarem, quàm ut apostolicæ beatitudinis sancto mandato obedirem, cui non obedire majus peccatum esse arbitror, quàm tametsi minùs utilia, seu minùs probabilia obedienter scribere feci. Itaque quod potui, licèt minus quàm debui, vel volui, & quod debui, probabiliter quidem obediendo, licèt minùs probabiliter scribendo: gravior nempe culpa est mandato non obedire, quàm obediendo etiam qualiacumque scribere, salva tantùm rectitudine fidei: quoniam si quid imperitia scribendo peccat, id injuncta & humiliter impleta obedientia excusat. *Explicit Prologus.*

Digitized by Google

INCIPIUNT CAPITULA PRIMI LIBRI ANTICYMENON.

I. *De eo quòd quidam solent mirari tam varias Christianæ Religionis formas.*

II. *Quòd unum corpus Ecclesiæ uno Spiritu sancto regitur & gubernatur, diversas habens gratiarum divisiones.*

III. *De diverso sacrificiorum ritu, quo placabatur idem & unus Deus ab Abel usque ad Christum.*

IV. *Quòd antiqui Patres, licèt singulos Christianæ Fidei articulos ad plenum non noverint, tamen in fide futuri salvati creduntur.*

V. *Quòd duæ transpositiones famosæ Religionis factæ sunt, Legis videlicet & Evangelii, cum attestatione terræ-motûs propter ipsarum rerum magnitudinem.*

VI. *Quòd Vetus Testamentum Deum Patrem quidem manifestè, Deum autem Filium obscurè prædicavit; Novum autem Testamentum Deum Filium manifestavit, sed Spiritus sancti Deitatem primò subinnuit, & paulatim sufficienter edocuit.*

VII. *De septem sigillis significantibus septem status Ecclesiæ; & quòd in primo statu exeunte albo equo miraculorum & prodigiorum novitate primitiva Ecclesia crescebat.*

VIII. *Quòd in secundo Ecclesiæ statu exeunte rufo equo gravissima persecutio incanduerit.*

IX. *Quòd in tertio Ecclesiæ statu exeunte nigro equo*

Digitized by Google

maxima hæreticorum procella Ecclesiam supra modum turbaverit.

X. *Quòd in quarto gradu Ecclesiæ exeunte pallido equo in falsis fratribus Ecclesia Dei supra vires elaboraverit; in quo etiam statu multæ ac variæ Religiones creverunt.*

XI. *Quòd in quinto statu Ecclesiæ animæ Sanctorum sub altare Dei clamant: Usquequo, Domine sancte & verus, non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra, &c.*

XII. *Quòd in sexto statu Ecclesiæ facto terræ-motu magno validissima persecutio futura est tempore Anti-Christi.*

XIII. *Quòd in septimo statu Ecclesiæ post multas tribulationes futurum est silentium magnum, & instaurabitur octava infinitæ beatitudinis: & ita Ecclesia Dei, quæ est una in fide, una spe, una caritate, multiformis est diversorum statuum varietate.*

INCIPIT LIBER PRIMUS DE UNITATE FIDEI, ET MULTIFORMITATE VIVENDI AB ABEL JUSTO USQUE AD NOVISSIMUM ELECTUM.

CAPITULUM I.

De eo quòd quidam solent mirari tam varias Christianæ Religionis formas.

Objectiones adversus instituta varia, tum Clerico-

SOLENT plerique mirari, & in quæstionem ponere, & interrogando non solùm sibi, verùm etiam aliis scandalum generare: dicunt enim, & tamquam

Digitized by Google

calumniosi inquisitores interrogant: Quare tot novitates in Ecclesia Dei fiunt? Quare tot Ordines in ea surgunt? Quis numerare queat tot ordines Clericorum? Quis non admiretur tot genera Monachorum? Quis denique non scandalizetur, & inter tot & tam diversas formas Religionum invicem discrepantium tædioso non afficiatur scandalo? Quinimmo quis non contemnat Christianam Religionem tot varietatibus subjectam, tot adinventionibus immutatam, tot novis legibus & consuetudinibus agitatam, tot regulis & moribus ferè annuatim innovatis fluctuantem? Quod modò, inquiunt, à quibusdam propter regnum cælorum præcipitur, hoc statim ab eisdem, seu ab aliis propter regnum cælorum prohibetur. Quod modò tamquam sacrilegium inhibetur, subitò tamquam sanctum & salubre conceditur.

rum, tum Monachorum.

Tales cùm otiosi sunt, inducunt quæstiones, & corda simplicium pervertunt, dicentes omnem Religionem tantò esse contemtibiliorem, quantò mobiliorem. Quod enim, inquiunt, est tam mobile, tam variabile, tam instabile, quomodo alicui sapientum dignè potest esse imitabile? propria quippe sui varietate probat se respuendum esse. Ecce videmus in Ecclesia Dei, ut aiunt, quosdam emergere, qui pro libitu suo insolito habitu induuntur, novum vivendi ordinem sibi eligunt, & sive sub monasticæ professionis titulo, sive sub canonicæ disciplinæ voto, quidquid volunt, sibi assumunt, novum psallendi sibi adinveniunt, novum abstinentiæ modum, & metas cibariorum statuunt, & nec Monachos qui sub Regula beati Benedicti militant, nec Canonicos qui sub Regula beati Augustini apostolicam vitam gerunt, imitantur: sed omnia, sicut dictum est, pro libitu suo nova facientes, ipsi sibi sunt lex, ipsi sibi sunt auctoritas, & quos possunt, in suam societatem sub prætextu novæ Religionis colligunt; & in hoc religiosiores videri putantur, si ab omni Religiosorum habitu & disciplina sequestrati inveniantur, & tamquam præ ceteris notabiles digito demonstrentur.

Hæc & his similia dicunt, & crebris quæstionibus

Digitized by Google

aliquos inquietant, non manifestè, sed latenter & insidiosè Religionem lacerantes, & tamquam Religionem diligant & amplectantur, dicunt: Utinam alicubi aliquid certi inveniamus, ubi caput nostrum fiducialiter in expectationem salutis æternæ reclinemus! Qui etiam sunt adeo molesti calumniatores, ut si aliquando viderint aliquem de proposita Religione exorbitare, continuò adversus omnem Religionem inflammantur, & minus malum omnibus adscribunt, & propter unum apostatam aberrantem, omnes alios in timore Dei & in proposito sancto perseverantes contemnant & abjiciant, non attendentes quod scriptum est in Evangelio: *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt.* Et in parabola zizaniorum: *Sinite utraque crescere, ne fortè colligentes zizaniam, simul eradicetis & triticum.* Porrò si isti qui de Religione sic disputant, & pro sui varietate calumniantur, si inquam, ipsi de numero religiosorum esse vellent, universa quæ nunc eis in scandalum & in destructionem, & ipsa fierent eis in correctionem & in ædificationem, sicut scriptum est: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Et sanctis *omnia cooperantur in bonum.*

Matth. 13. 47.
Ibid. 48.
Ibid. 49.
Ibid. 29. & 30.
Psal. 118. 165.
Rom. 8. 28.

Capitulum II.

Quòd unum corpus Ecclesiæ uno Spiritu sancto regitur & gubernatur, diversas habens gratiarum divisiones.

Objecta diluuntur.

UT igitur hujuscemodi inquisitores jam ampliùs non mirentur de ea quæ in Ecclesia Dei est varietate, & ut eorum molestæ & importunæ quæstiones jam ampliùs locum non habeant; denique ut & ipsi deposito scandalo & mendacio, & cognitâ verâ Religionis viâ, jam ampliùs propter varietatem oberrare

Digitized by Google

non valeant: sed cum verè religiosis verè religiosi inveniantur, & inter nobiscum non foris contra nos sint, videamus, & eos ad videndum nobiscum invitemus, quid secundùm fidem Catholicam, seu secundùm sacram Scripturam super hoc faciendum & tenendum sit, videlicet quomodo Ecclesia Dei sit una in se & secundùm se, & quomodo sit multiformis secundùm filios suos, quos diversis modis & diversis ætatibus generavit & generat, & quos diversis legibus & instituto informavit & informat, à sanguine Abel justi usque ad novissimum electum. Dicitur enim voce sponsi: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitricis suæ.* Una est, una fide, una caritate, una unius sine macula impiæ infidelitatis, & sine ruga perversæ duplicitatis, & est una generatio justorum, de qua scriptum est: *Generatio rectorum benedicetur.* Et est unum corpus Ecclesiæ, quod Spiritu sancto vivificatur, regitur & gubernatur, cui Spiritus sanctus est unitus, multiplex, subtilis, mobilis, disertus, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, in quo videlicet Spiritu sancto, juxta Apostolum, *divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus.* Et *unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

Cant. 6. 8.
Psal. 111. 2.
1. Corint. 12. 2.
Ibid. 9.
Ibid. 10.
Ibid. 11.

Ecce apparet manifestè unum corpus Ecclesiæ uno Spiritu sancto vivificari, qui & unicus est in se, & multiplex in multifaria donorum suorum distributione. Verùm hoc corpus Ecclesiæ Spiritu sancto vivificatum, & diversa membra diversis temporibus & ætatibus discretum & distinctum, à primo Abel justo incœpit, & in

Digitized by Google

novissimo electo consummabitur semper unum una fide, sed multiformiter distinctum multiplici vivendi varietate.

Capitulum III.

De diverso sacrificiorum ritu, quo placabatur idem & unus Deus ab Abel usque ad Christum.

Sacrificia diversa tam in lege veteri, quàm in novo Testamento.

SI quidem Abel, cùm esset pastor ovium, fide obtulit Deo de primogenitis gregis sui & adipibus eorum. Et hoc fecit primus in fide, nullo divino mandato specialiter jussus, nec lege adhuc scripta doctus, sed sola lege naturæ instructus, quæ Creatorem a creatura honorandum suadebat, ad quem & ad cujus munera respexit Deus, quamvis nullus ritus sacrificandi adhuc dispositus ibidem legatur, ut vel hoc modo offerendum fuerit. Bene etiam priùs ad ipsum, & postea ad ejus munera respexisse dicitur, quia non propter munera, sed propter justitiam, tam ipsum, quàm munera ejus Deo placuisse creduntur. Fide Noë responso accepto de his quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, & egressus de arca, primus ædificavit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocaustum super altare: ibi verò non nominatur altare, hîc de volucribus mundis; ibi de primogenitis gregis oblatio facta legitur, sed necdum hîc quoque ordo sacrificandi dispositus erat. Fide Abraham obtulit sacrificium Domino, nulla lege adhuc scripta doctus, sed speciali divina visione monitus: ita enim Dominus ad illum dicit tunc primum sacrificiorum ordinem, docens non scripto, sed tantùm vivæ vocis mandato, ut videatur illi soli tunc temporis hoc esse faciendum, non autem scripti præcepto posteris relinquendum. *Sume*, inquit, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium, & utrasque*

Gen. 15. 9.

Ibid. 10.

Ibid. 11.

utrasque partes contra se altrinsecus posuit, aves autem non divisit; descenderuntque volucres super cadavera, & abiciebat eas Abraham. Fide obtulit Abraham Isaac unicum filium Domino præcipienti, & eum tentanti, qui etiam credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam, & in signaculum fidei accepit primus legem circumcisionis. Fide Jacob pergens in Aran, post visionem qua vidit Dominum innixum scalæ, evigilans de somno mane erexit lapidem, quem supposuerat capiti suo in titulum, fundens oleum desuper, nulla lege doctus, sed sola fidei devotione hoc faciens. Idem moriens singulos filiorum Joseph benedixit in fide.

An non putandi sunt isti & quamplures alii testimonio fidei probati, fuisse de unitate Ecclesiæ, qui licèt una fide, tamen diversis modis vivendi, & diverso sacrificiorum ritu unum Deum coluerunt. Ab Adam equidem usque ad Noë quàm multi fideles fuere, qui hîc non numerantur, qui naturalem legem secuti sunt, & Deum omnium Creatorem cognoscentes coluerunt, & proximo ea quæ sibi fieri vellent, naturaliter exhibuerunt; ea verò quæ sibi fieri nollent, nulli proximorum ad offensionem contulerunt. A Noë verò usque ad Abraham quamplures inventi sunt fideles, qui sequentes legem naturæ, non creaturæ, sed soli Deo Creatori variis modis servierunt, & ab omni læsione proximi quantùm potuerunt cessantes, ea quæ sibi vellent, proximis humanè impenderunt. Porro ab Abraham usque ad Moïsen nequaquam pauci reperti sunt, qui similiter naturalem legem sequentes, necnon & interdum à Domino legem obedientiæ suscipientes, in unitate Ecclesiæ computantur & sunt: qui non libidini, sed procreandorum filiorum posteritati studentes, aliquando etiam ancillas à propriis uxoribus spe filiorum traditas sibi supposuerunt, quibus usi sunt ita obtemperanter sicut & propriis uxoribus, non intemperanter. Qui etiam certissima fide crediderunt, quòd in semine eorum qui est Christus, benedicerentur omnes tribus terræ. Quorum etiam temporibus nuntiatus

eſt ritus circumciſionis, quam ipſi ex mandato Domini ſuſceperunt in ſignaculum fidei. Deinde à Moïſe uſque ad David circumciſione jam uſitata, populus Dei electus à ſocietate alienigenarum ſegregatus, ducente Moïſe fideliſſimo principe, in unam Eccleſiam colligitur; lex ſcripta digito Dei inſtauratur, novus ritus, novæ ſacrificiorum regulæ inſtituuntur; lex holocauſti, lex ſacrificii, lex hoſtiæ pro voto multiplici varietate informatur. Novus ordo vivendi, nova mandata, novæ præceptiones, novæ prohibitiones illi Eccleſiæ ſcribuntur, & ita ſcriptæ legis varietate ab incircumciſis & omnibus aliis gentibus populus Dei ſequeſtratur; electis judicibus gubernatur & regitur. Quo in tempore nominatiſſimus Job gentilis inventus fuiſſe putatur virtute patientiæ præcipuus, fide futuræ reſurrectionis apertiſſimus, in ſuſtinenda probroſa propriæ uxoris tentatione fortiſſimus, in oneroſa amicorum conſolatione prudentiſſimus, in omnium tentationum mole graviſſima fide fortiſſimus; ab ipſo Deo, quòd non fuerit ei ſimilis in terra, vero teſtimonio probatus. Qui etiam conſurgens diluculò ſanctificabat filios ſuos, & offerebat holocauſta per ſingulos, neſcio quo ritu ſuo tunc temporis, non ingrato Deo, quem vel ipſemet ſibi tunc adinvenerat, vel quem Religio illius gentis ad prædicandum Deum ſibi tunc elegerat, ſive etiam quem Deus fortè illo in tempore illi gentili populo per aliquem conſtituerat, quamquam certa ſcriptura nobis hoc non referat.

Capitulum IV.

Quòd antiqui Patres, licèt ſingulos Chriſtianæ fidei articulos ad plenum non noverint, tamen in fide futuri ſalvati creduntur.

Postmodum à David uſque ad Chriſtum ceſſantibus jam Ducibus in eadem Eccleſia eliguntur & unguntur Reges, Scribæ & Phariſæi nominan-

Digitized by Google

tur: templum gloriosissimum, ubi arca Testamenti collocanda sit, construitur: Prophetæ viri reverendissimi exurgunt, prophetias varias dicunt & scribunt, prospera sive adversa futura illi populo prophetizant. Legi jam dudum scriptæ novæ traditiones, novæ cærimoniæ & observationes adduntur: psaltes in psalterio psallentes, in tympano & choro & organo & omni genere musicorum ordinantur. Nazarei secundùm tempora suscitantur, multa honesta ad decorem domus Dei devotissimè disponuntur, & ita apud antiquos Patres multifaria multisque modis una fide uni Deo fideliter serviebatur. Omnes quippe in fide futuri servierunt, & in fide futuri salvati sunt. Et licèt plerique illorum non tantam notitiam fidei haberent, ut per singulos articulos fidei omnia Sacramenta Christi & Ecclesiæ ad plenum cognoscerent, & mysterium Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis revelata facie viderent; tamen firmissimè credendum est eos tamquam à longè aspicientes, & Christum venturum salutantes, & gratiam optatæ repromissionis expectantes, esse de vnitate Ecclesiæ Catholicæ, & pertinere ad civitatem sanctam novam Jerusalem descendentem de cælo, à Deo paratam tamquam sponsam ornatam viro suo. Quod enim scriptum est de quampluribus illorum: Hîc cœpit *invocare nomen Domini*; &: Hîc *invocavit nomen Dei sui*; &: Hîc *ædificavit altare Domino*; &.: *Invocavit nomen Dei sui*; quomodo putamus hoc intelligendum esse? Non quia invocavit nomen Domini, credens nomen Domini Filium esse Dei venturum in carne; quod etiam competenter insinuat Propheta loquens de Incarnatione Filii Dei quod est Verbum Patris, quod est nomen Domini: *Ecce nomen Domini venit de longinquo, & claritas ejus replet orbem terrarum.* Sicut enim aliquis per nomen proprium alicui cui priùs ignotus erat, innotescit, ita nimirum Deus Pater per nomen proprium per, unicum Filium, per Verbum suum mundo manifestus innotuit.

Genes. 4. 26.
Ibid. 13. 4.
Ibid 12. 7.
Isai. 30. 29.

Digitized by Google

CAPITULUM V.

Quòd duæ transpositiones famosæ Religionis factæ sunt, Legis videlicet & Evangelii, cum attestatione terræ-motus propter ipsarum rerum magnitudinem.

NOTANDUM est autem quòd duæ transpositiones factæ sunt famosæ vitæ & famosæ Religionis, quæ etiam duo Testamenta vocantur, & utraque cum attestatione terræ-motus propter ipsarum rerum magnitudinem. Hæc quidem facta est ab idolis ad legem, ubi tonitrua & fulgura, & nubes densissima, & clangor buccinæ & terribilis strepitus. Hæc autem à lege ad Evangelium, ubi terræ-motus factus est magnus, sol obscuratus, petræ scissæ, monumenta aperta, claustra inferni confracta sunt. Tertius verò terræ-motus futurus prædicatur, quando istis finitis & consummatis ad ea transitus erit, quæ neque ampliùs movebuntur, neque concutientur. In istis duabus transpositionibus, sive mutationibus divina sapientia tanta varietate paulatim usa est, ut primò idola recidens hostias permiserit; secundò hostias auferens circumcisionem non prohibuerit; deinde circumcisionem subtrahens salutare baptismâ cum evangelica institutione & doctrina persuaserit: & ita de Gentibus Judæos, de Judæis autem Christianos fecit, & paulatim subtrahendo, & transponendo, & dispensando, quasi furtim ab idolorum cultura ad legem, à lege autem, quæ quidem ad perfectum non duxit, ad perfectionem Evangelii pædagogicè & medicinaliter deduxit, & tandem subtracta omni dispensatione, omnem perfectionem Christianæ legis edocuit.

CAPITULUM VI.

Quòd Vetus Teſtamentum Deum Patrem quidem manifeſtè, Deum autem Filium obſcurè prædicavit. Novum autem Teſtamentum Deum Filium manifeſtavit, ſed Spiritus ſancti Deitatem primò ſubinnuit, & paulatim ſufficienter edocuit.

QUID enim?. Vetus Teſtamentum prædicavit manifeſtè Deum Patrem, Filium autem non adeo manifeſtè, ſed obſcurè. Novum Teſtamentum manifeſtavit Deum Filium, ſed ſubmonſtravit & ſubinnuit Deitatem Spiritus ſancti. Prædicatur poſtea Spiritus ſanctus, apertiorem nobis tribuens ſuæ Deitatis manifeſtationem: non enim conveniens erat nondum confeſſa Patris Deitate Filium manifeſtè prædicari, neque Filii adhuc non ſuſcepta Deitate Spiritus ſancti Deitatem nobis prædicari: & quemadmodum cibo, gravari ſuper virtutem, & ſupra modum onerari mentes humanas, terrena inhabitatione obtuſas, & mole peccatorum depreſſas. Neque etiam facilis erat tranſpoſitio eorum, quæ longa conſuetùdine, & prolixo tempore in venerationem devenerant, ideoque tamquam ab infirmis evangelica & ſalubris pharmacia paulatim ſuſcepta eſt, arte divina benignioribus medicinaliter commixta. Attamen ipſe quoque Spiritus ſanctus ubique in Evangelio Filio cómparatur: Filius generatur, Spiritus ſanctus præcurrens in concipiendo Virginem obumbrat: Filius baptizatur; Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ cum atteſtatione Patris adeſt: Filius tentatur, Spiritus ſanctus ducit & reducit: Filius virtutes facit, Spiritus ſanctus ubique conſequitur, & credentibus ſe ingerit: Filius in cælum aſcendit, Spiritus ſanctus ad docendam & ſupplendam omnem veritatem ſuccedit.

Ita quippe fides ſanctæ Trinitatis ſecundùm virtutem credentium paulatim menſurata, & quaſi particulariter

Digitized by Google

distributa, & in integrum crescens, tandem perfecta est. Proinde ab adventu Christi usque ad diem judicii, quæ sexta ætas distinguitur, & in qua una eademque Ecclesia, præsente jam Filio Dei, innovatur, nequaquam unus aut uniformis, sed multi & multiformes status inveniuntur. Fuit nempe una facies Christianæ Religionis in primitiva Ecclesia, quando JESUS regressus à Jordane, & ductus à Spiritu in desertum, & post tentationes relictus à tentatore, pertransiens Judæam & Galilæam duodecim Apostolos elegit, quos speciali doctrina Christianæ fidei instituit, quos ut essent pauperes spiritu, & cetera quæ in sermone in monte ad eos habito scripta sunt, edocuit, quos ut sæculum hoc nequam calcarent, instruxit, quos salubribus & innumeris evangelicæ doctrinæ præceptis informavit. Sed post Christi Passionem, Resurrectionem & Ascensionem, & post datum Spiritum sanctum multi videntes signa & prodigia quæ fiebant per manus Apostolorum, collegerunt se in eorum societatem, & factum est, sicut Lucas scribit, *multitudinis credentium cor unum & anima una, nec quisquam dicebat aliquid esse suum, sed erant illis omnia communia, nec quisquam egens erat inter illos. Dividebatur autem singulis prout unicuique opus erat, ceterorum verò nemo audebat conjungere se illis, sed magnificabat eos populus.* Et collecta est nova fidelium Ecclesia per gratiam sancti Spiritus, renovata primùm ex Judæis, deinde ex Gentibus, deposito paulatim ritu tam Judæorum, quàm Gentium, servatis tamen quibusdam differentiis naturalibus & legalibus, quæ tam ex lege naturæ, quàm ex lege scripta, abstracta & excepta Christianæ fidei, nec erant, nec sunt contraria, sed omnibus devotè & fideliter servantibus constat esse salubria.

Act. 4. 32.
Ibid. 34.
Ibid. 36.
Act. 5. 13.

Cœpit etiam jam tunc manifestè prædicari integra fides sanctæ Trinitatis, cum testimonio veteris & novi Testamenti, quæ priùs quasi sub umbra & quasi gradatim insinuata revelabatur. Surgunt Sacramenta nova, ritus novi, mandata nova, institutiones novæ. Scribuntur Evangelia, scribuntur Epistolæ apostolicæ &

Digitized by Google

canonicæ. Lex Christiana doctrinis & scriptis instauratur, fides quæ vocatur Catholica, in universo mundo annuntiatur; & sancta Ecclesia pertransiens per diversos status sibi invicem paulatim succedentes, usque in hodiernum diem, sicut juventus aquilæ, renovatur & semper renovabitur, salvo semper sanctæ Trinitatis fidei fundamento, præter quod nemo aliud deinceps ponere potest, quamvis in superædificatione diversa plerumque diversarum Religionum structura crescat in templum sanctum Domino.

CAPITULUM VII.

De septem sigillis significantibus septem status Ecclesiæ. Et quòd in primo statu exeunte albo equo miraculorum & prodigiorum novitate primitiva Ecclesia crescebat.

NIMIRUM septem sigilla, quæ vidit Johannes, sicut ipse in sua narrat Apocalypsi, septem sunt status Ecclesiæ sibi succedentes ab adventu Christi usquedum in novissimo omnia consummabuntur, & Deus erit omnia in omnibus: siquidem *cùm aperuisset agnus unum de septem sigillis, ecce equus albus, & qui sedebat super eum, habebat arcum; & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Equus albus primus est status Ecclesiæ candore miraculorum nitidus & pulcherrimus, quem omnes in illa novitate mirabantur & magnificabant. Qui autem sedebat super eum habens arcum, Christus est gubernans Ecclesiam in arcu apostolicæ doctrinæ, superbos humilians & prosternens. Et data est ei corona, quoniam abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum. Et exivit vincens ut vinceret. Sicut & ipse dicit ad suos: *Confidite, ego vici mundum.* Ecce in isto primo statu nascentis Ecclesiæ magis ac magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum: & quotidie clarescebat Ecclesia Dei virtute miraculorum & numero credentium.

Apoc. 6. 1. *Apoc. 6. 2.* *Luc. 19. 12.* *Apoc. 6. 2.* *Iohan. 16. 33.* *Act. 5. 14.*

Digitized by Google

CAPITULUM VIII.

Quòd in secundo statu Ecclesiæ exeunte rufo equo gravissima Sanctorum persecutio incanduerit.

Apoc. 6. 3. & 4.

ET *cùm aperuisset sigillum secundum, exivit alius equus rufus, & qui sedebat super eum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficiant homines; & datus est ei gladius magnus.* Ecce secundus Ecclesiæ status manifestè revelatus illi Discipulo quem diligebat JESUS. Nam quòd exivit rufus equus, quid aliud est nisi cruor Martyrum, qui effusus est in testimonium Christi, quando sublata est pax de terra, & datus est gladius magnus persecutionis in Ecclesia. Iste utique status persecutionis à Stephano glorioso Protomartyre, quem Judæi lapidaverunt, initium sumsit; post cujus triumphum tanta persecutio incanduit, ut jam non in uno loco Jerusalem Ecclesia remanere possset, sed dispersi in omnem terram Apostoli fidem Christi evangelizarent, & evangelizando vitam martyrio consummarent. Unde Petrus & Paulus Romam, Jacobus Jerosolymam, Andreas Achaiam, Bartholomæus Indiam, Matthæus Æthiopiam, & alii Apostoli singuli singulas provincias gloriosissimo martyrio decoraverunt. Post quos quamplurimi fideles alii ludibria, & verbera experti, insuper & vincula & carceres gravissima & exquisitissima tormentorum genera passi, titulum Christianæ professionis in cælum feliciter evexerunt, & nobis memoriam sui in benedictione reliquerunt. Scribuntur leges adversus Christianum nomen, ut quicumque hujus Religionis cultor inventus fuisset, traheretur ad supplicia, & sine audientia damnaretur. Sed Ecclesia Dei in persecutione, sicut palma in victoria, florebat, & sicut cedrus Libani quantò magis patiebatur, tantò magis multiplicabatur.

Videns autem draco serpens ille antiquus, qui tantam sævitiam adversus Ecclesiam Dei excitaverat, quòd mulie-

Digitized by Google

mulierem amictam sole, & lunam habentem sub pedibus, & in capite coronam stellarum duodecim, omnino absorbere non posset flumen quod ex ore suo miserat; tractus est in mulierem, & iterum statuit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata ejus, & testimonium habent JESU. Cessante igitur manifesta persecutione lex contra Christianos data relaxatur, alia lex ad pacem Ecclesiæ promulgatur, Reges ad Baptismum currunt, diversarum provinciarum Principes Fidem Christi suscipiunt, totus mundus nomen Christianum quod priùs insequebatur, jam nunc humiliter veneratur, & Crux Christi quæ priùs erat in scandalo & derisione, nunc erigitur in honorem & venerationem. Templa ubique magnificè construuntur, Episcopi, Presbyteri, Diaconi & ceterorum ordinum Clerici priùs abjecti, ab exilio evocantur, & ubique Doctores Fidei postulantur, & sacratissimus ordo Episcoporum & Clericorum ad prædicandum Evangelium Dei ubique terrarum missus diffunditur.

CAPITULUM IX.

Quòd in tertio statu Ecclesiæ, exeunte nigro equo, maxima hæreticorum pericula Ecclesiam supra modum turbaverint.

ET cùm aperuisset sigillum tertium, ecce equus niger, & qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua. *Apoc. 6. 5.* Ecce tertius Ecclesiæ status, in quo niger equus emersit. Niger equus atra hæreticorum doctrina est, quos prædictus draco magnus suscitavit adversus Ecclesiam Dei, ut quam non poterat priùs absorbere fuso Martyrum sanguine, illam modò disturbaret pravissimo hæreticorum dogmate.

Surgunt igitur hæretici, characterem bestiæ portantes infixum in cordibus suis, & dum in manu sua dolosam stateram trutinantes habent, æquitatem de Fide disputando proponunt; sed minùs cautos levissimo unius

Digitized by Google

vel minimi verbi pondere fallunt, & in partem sui erroris pertrahunt, inter quos sunt Arrius, Presbyter ille nominatissimus, & infestissimus Ecclesiæ Dei hæresiarcha, & ejus sequaces, qui de substantialitatis nomine disputantes, & ob hoc ab Ecclesia se dividentes, diversas in Trinitate substantias numerantes, mentiendo affirmaverunt, putantes impiè ibi diversas esse substantias, ubi piè diversas credimus personas. Fuit & Sabellius, qui quoniam rectè credidit unam in Trinitate substantiam, putavit quoque ibi esse credendum unam trium, Patris scilicet, & Filii, & Spiritus sancti, personam. Fuit & Nestorius Episcopus, qui arbitratus est non posse esse naturam duplicem, quin persona fuerit duplex: atque ideo cum in Christo naturam duplicem rectè confiteretur, non rectè duplicem credidit esse personam, alterum Dei, alterum hominis filium stultè prædicans. Fuit & Eutyches Abbas Archimandrites, qui non putavit naturam duplicem esse posse sine duplicatione personæ: & cùm non confiteretur duplicem in Christo esse personam, arbitratus est consequens esse, ut una videatur esse natura. Itaque Nestorius rectè duas in Christo credens esse naturas, divinam scilicet & humanam, sacrilego ore confessus est duas esse ibi personas. Eutyches verò rectissimè credens unam in Christo esse personam, fallaciter credidit unam quoque ibi esse naturam. Qui altrinsecus sibi oppositi fallebantur & fallebant. Fuit Macedonius Episcopus, Spiritum sanctum creaturam & non Deum esse infideliter asserens. Fuit Donatus, Filium Patre, Spiritum sanctum utroque minorem superba contentione docens. Fuit & Photinus Episcopus, Christo à MARIA per coïtum principium nimis impudicè adscribens. Fuit Manes de Perside, unde Manichæi, duo principia contumaciter docens, Unigenitum Dei æternum perversa doctrina negans.

Arrius. Sabellius. Nestorius. Eutyches. Macedonius. Donatus. Photinus. Manes.

Fuerunt & alii quamplures hæretici, qui singuli suis temporibus falsa dogmatizantes, & tamquam inimici homines pestiferam zizaniam seminantes inter triticum

Digitized by Google

apostolicæ doctrinæ, columbam Dei simplicem in fide, sanctam & immaculatam in opere crudeliter depluma-verunt & laniaverunt: contra quos celebrata multa Concilia congruis in locis & temporibus, & damnata est hæretica pravitas, & expurgatum est fermentum malitiæ & nequitiæ, & solidata est mater Ecclesia in azymis sinceritatis & veritatis. Nam in Nicæno Concilio & Antiocheno & Ephesino & Chalcedonensi & Constantinopolitano, & in aliis quampluribus sanctorum Patrum synodalibus Conventibus per diversas provincias habitis adeo deleta, & contrita, & sopita, & penitus exinanita sunt serpentina venena hæreticorum, ut jam ampliùs in nullo Ecclesiæ Catholicæ angulo repullulare seu ebullire audeant. Ipsa verò Fides orthodoxa post tot impulsiones adeo est roborata, & fundata, & solidata, ut jam ampliùs Domino favente semper inconvulsa, semper inconcussa jure permanere debeat tota integra, ut nihil sit addendum; & tota inviolata, ut nihil sit auferendum. Unde etiam à sanctis Patribus convenienter inhibitum est, ut de cetero nemo disputet publicè de Fide, tamquam de eo quod jam est definitum: & nulli debet esse ambiguum, siquidem extremæ dementiæ est in medio & prospicuo die commenticium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discit, mendacium * quærit, & seipsum non immerito involvit.

* alius Cod. judicium.

Radicata itaque Fide Catholica ad informandam Ecclesiæ disciplinam accesserunt diversæ regulæ, quas quia sancti Patres sanxerunt, dignè Canones appellatæ sunt, in quibus reperitur quid sint præceptiones, prohibitiones, dispensationes, rigor, necessitas, indulgentia, remissio, terror, ammonitio, & cetera, per quæ omnia ita in hoc statu Ecclesia crevit mirabili contra hæreticos sapientia, sicut in priori statu in persecutione Martyrum victoriosâ [illegible] patientiâ. Sed ecce leo rugiens non cessat, non dormit, sed adhuc circuit quærens quem devoret.

Digitized by Google

CAPITULUM X.

Quòd in quarto statu Ecclesiæ, exeunte pallido equo, in falsis fratribus Ecclesia Dei supra vires laboraverit, in quo etiam statu multæ ac variæ Religiones creverunt.

Apoc. 6. 7.

E*T cùm aperuisset sigillum quartum, ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum.* Iste nimirum quartus est Ecclesiæ status, in quo gravissimum & mortiferum periculum est in falsis fratribus. Nam sicut pallidus color ex albo simul & nigro miscetur, nec prorsus nigrum, nec prorsus album ostendit, sed utrumque falsò habet; ita nimirum falsi Christiani, seu falsi fratres, quorum innumerabilis jam multitudo est, Christum ore publico confitentur, factis autem negant, Ecclesiam frequentant, ecclesiastica Sacramenta suscipiunt, Prælatis debitam reverentiam exhibent, juxta Apostolum honore se invicem præveniunt, Ecclesias ædificant, & eas simul & altaria ad decorem domus Dei decenter exornant, solemnitates & festa Sanctorum quasi summa devotione celebrant, longa Missarum officia, & ordinatas Cleri processiones plurimùm commendant, jejunia quoque & cibariorum discretionem interdum sibi imponunt, pauperibus eleemosynas propriis manibus porrigunt, sanctos & verè religiosos viros, si fortè sibi occurrant, elato intus corde & inclinato foris capite salutant, & eos plerumque hospitio receptos humanè tractant, & eorum orationibus se commendant. Quidam etiam gloriosum Domini sepulcrum in Jerosolymis, seu limina Apostolorum, seu alia loca Sanctorum visitant, in omnibus causis, tam alienis, quàm propriis, Deum sibi auctorem testantur, universa quæ vel dicunt, vel faciunt, in nomine Domini se vel dicere vel facere dicunt. Et ut breviter colligam, decenti habi-

Digitized by Google

tu, decenti sermone, decenti visu, decenti incessu, decenti toto corporis motu, religiosam & honestam & disciplinatam personam gerunt, & foris ostendunt. Et in istis & cum istis quasi pacificus est status Ecclesiæ, nec gladio persecutorum manifestè impugnatur, nec dolosa importunitate hæreticorum fatigatur: verùm in falsis Christianis, seu in falsis fratribus, qui nomen & habitum Christianæ Religionis induerunt, adeo laborat Ecclesia, ut huic qui sedebat super equum pallidum, rectè nomen esset mors, quæ nulli mortalium parcit, quæ etiam congruè infernus qui numquam dicit, Sufficit. Quid enim est in falsis fratribus, nisi mors interfectrix animarum? pallida in hypocrisi & simulatione, quam sequitur infernus apertis faucibus ad devorandum paratissimus. De quibus Dominus dicit in Evangelio sub nomine Scribarum & Pharisæorum: *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines. Vos non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum oratione longa orantes: propter hoc ampliùs accipitis judicium. Væ vobis, Scribæ & Pharisæi, qui decimatis mentam & anetum & tyminum, & relinquitis quæ graviora sunt legis, judicium & misericordiam & fidem. Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapinâ & immunditiâ. Pharisæe, ecce munda priùs quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat & id quod deforis est, mundum. Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ à foris patent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & spurcitia; sic & vos à foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorm: serpentes, genimina*

Matth. 23. 13. Ibid. 14. Ibid. 23. Matth. 23. 25. Ibid. 29. Ibid. 27. Ibid. 30. Ibid. 31. Ibid. 32.

Digitized by Google

viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ? Ecce, fratres carissimi, terribiles comminationes super hypocritas audivimus: mortem pallidam animarum, & infernum sequentem & hiantem timeamus, hypocrisim detestabilem fugiamus: quod intus est, sincera confessione mundemus & purificemus, & crebra lacrymarum effusione abstergamus; foris autem ab ecclesiasticæ disciplinæ norma, unusquisque in ordine suo quo vocatus est, nullatenus discrepemus, si vel facere vel pati scandalum nolumus.

Invectio in hypocritam.

VÆ tibi, miser hypocrita, omnium miserorum miserrime, simulator boni, amator mali, inimice Dei, hostis tui, seductor tui, deceptor tui, fraudator tui, adulator tui, derisor tui, delusor tui, calumniator tui, damnator tui, traditor tui, judex tui, homicida tui, ostensor veri, factor falsi, fur proprii thesauri, persecutor propriæ conscientiæ, vulpis iniqua, vermis inquiete, anguis tortuose, cancer mordax, paries dealbate, ceterorum fatuorum fatuosissime, martyr diaboli, inter vivos sine vita ambulans, jam mortue ac sepulte, omnium hominum perditissime, serve nequam, intus ligate, intus incatenate, intus perforate, intus incarcerate, intus absconse, intus putridissime, intus fœtidissime, turpissime, infelicissime, scelestissime, nequissime, damnate, dolose, inflate, vacue, ventose, pallide, excæcate, tenebrose, timide, suspiciose, turgide, dæmonibus plene, magicis artibus foris & intus imbute, desperate, paries inclinate, maceria depulsa non habens fundamentum, ad ruinam proxima, lutose, scenose, sordide, spurcissime, confuse, odiose, insidiose, sacri olei venditor, lampas extincta, fallacissime, ab omni bono excluse & alienate, in infernum jam detruse, mendacissime & totius veritatis expers, & per omnia Deo & Angelis & hominibus detestabilis. Væ tibi, miser hypocrita, pallidum equum ascen-

Digitized by Google

disti, nomen tibi mors, infernus te sequitur, ad devorandum certissimus. Væ tibi, miser hypocrita, utinam corde convertaris, & fias calcator falsitatis & amator veritatis, ut ea quæ hactenus fecisti in simulatione, jam ampliùs facias in veritate, & non mutes bonorum operum qualitatem, sed iniquam perversæ simulationis intentionem: & ita ex operibus tuis jam bonis audeas expectare vel sperare meritum, unde priùs tamquam simulator dignum expectare debueras supplicium. Intentio enim bona, sive mala operi nomen imponit, & sive meritum, sive supplicium justæ retributionis requirit.

Viri religiosi, tum Clerici, tum Monachi instituuntur.

In hoc statu Ecclesiæ apparuerunt viri religiosi, amatores veritatis, instauratores Religionis, Augustinus Hipponensis Ecclesiæ Episcopus, provinciæ Numidiæ Legatus in Africa, qui collectis non falsis fratribus vitâ apostolicâ prælegit vivere: quibus etiam regulam vivendi in communi præscripsit, quæ postea per universum orbem Catholicæ Ecclesiæ promulgata & approbata, quàm plurimos ad imitationem Apostolorum & in formam tanti viri in sanctam communis vitæ societatem invitavit atque collegit, & usque hodie colligit. Cujus vestigia sequens quidam religiosissimus N. de sancto Rufo in Burgundia tempore Urbani Papæ surrexit, qui collectis in eadem canonica professione fratribus, totam illam provinciam primò illuminavit, & paulatim eamdem Religionem in diversas religiones * disseminavit. Surrexit in eadem professione, & in apostolicæ vitæ imitatione quidam Presbyter religiosus nomine Norbertus tempore Papæ Gelasii, qui propter suam religionem, & multas enormitates & schismata quæ tunc fiebant in Occidentali Ecclesia, à Romano Pontifice Gelasio literas & auctoritatem prædicandi accepit. Iste suis temporibus in religione clarissimus & famosissimus diversas provincias prædicando peragravit, non parvam turbam Religiosorum collegit, multas congregationes instituit, & eas ad perfectionem apostolicæ vitæ verbo, & exemplo informavit. Qui etiam tantam gratiam habuit coram Deo & hominibus, ut

* f. regiones

Digitized by Google

verè beatos se dicerent, qui illi adhærere possent. Postea in Magdeburgensi Ecclesia Archiepiscopus factus est, cujus corpus sanctum & venerabile requiescit in Ecclesia beatæ MARIÆ in sua Metropoli, ubi ipse fratres suæ Religionis ordinaverat. Igitur Religio per eum renovata, maxima cœpit habere incrementa, & ubique terrarum diffusa est, adeo ut nulla ferè provincia sit in partibus Occidentis, ubi ejusdem Religionis Congregationes non inveniantur; Francia, Germania, Burgundia, Aquitania, citerior Hispania, Britannia minor, Anglia, Dacia, Saxonia, Leuticia, Polonia, Moravia, Bawaria, Suevia, Pannonia, quæ & Hungaria, Longobardia, Liguria, Etruria, quæ est Thuscia. Omnes (inquam) hæ provinciæ habent Congregationes præfatæ Religionis, quorum etiam exemplis & orationibus confidunt incessanter adjuvari. Extendit etiam palmites hæc eadem sancta Societas in partes Orientis: nam in Bethleem una, & in loco quem vocant S. Abacuc, alia Congregatio est.

Surrexit quoque in monastico Ordine beatus Benedictus post multos Patres Monachorum in Ægypto commorantium, vir Deo dignus, Spiritu sancto plenus: de eremo Nursiæ, ubi latuerat, abstractus, & in Campania, in monte Cassino, Monachorum Abbas factus est. Iste in Religione ferventissimus Regulam suis dictante Spiritu sancto præscripsit, & Ordinem monasticum jam tunc vacillantem renovavit & firmavit. Qui etiam, tum per se, tum per Regulam suam, post se multa Monachorum Monasteria in diversis regionibus instauravit. Surrexit etiam modernis temporibus in Thuscia, in loco qui vocatur Gamaldiela, vir religiosus nomine Johannes *, sub monasticæ professionis titulo, novo fervore novum habitum cum fratribus suis Monachis induens, & multos discipulos suæ formæ sequaces habens. Nec diu est, quòd in alio loco qui vocatur Vallis-Umbrosa, juxta Perusinos montes, surrexit Congregatio nova Monachorum valde religiosa, à ceteris qui vocantur Monachi, novo ordine & novo habitu

*al. Romualdus

bitu differentes, & multos habent ſuæ formæ ſequaces.

Proinde in Burgundia, in loco qui vocatur Ciſtercium, ferè noſtris temporibus ſurrexit alia nova Congregatio Monachorum, ab omnibus qui dicuntur & ſunt Monachi, ordine & habitu differens. Et quoniam virtute patientiæ, & abjectione habitus, & Regulæ diligenti obſervatione, & ſanctæ paupertatis amore, & ardentiſſima religione alios præminere videntur & excellunt, innumeros ſuæ Religionis & formæ imitatores habent: inter quos noſtris temporibus apparuit quidam Abbas, in loco qui dicitur Claravallis, nomine Bernardus, vir religioſiſſimus, virtute miraculorum inſignis, ab Occidente uſque in Orientem pro ſui ſanctitate famoſiſſimus, quem venerabilis Papa Eugenius, quondam ſui Monaſterii Monachus, in Conciliis multorum Epiſcoporum condigna reverentia plerumque honoravit.

Item paulò ante hæc tempora cœpit quædam nova Religionis inſtitutio in Jeruſalem civitate Dei. Nempe congregati ſunt ibi laïci, viri religioſi, & vocant ſe Milites de Templo, qui relictis proprietatibus, qui vitâ vivunt ſub obedientia unius magiſtri, militant, ſuperfluitatem & pretioſitatem veſtium ſibi abſciderunt, parati ad defendendum glorioſum Domini Sepulcrum contra incurſus Saracenorum; domi pacifici, foris bellatores ſtrenui; domi obedientes in diſciplina regulari, foris obtemperantes diſciplinæ militari; domi ſancto ſilentio inſtructi, foris ad bellicos ſtrepitus & impetus imperterriti; & ut breviter compleam, ad univerſa quæ jubentur facere, intus ac foris in ſimplici obedientia conſummati. Horum vitam & propoſitum primò confirmavit Papa Urbanus conſilio multorum Epiſcoporum, quos ad hoc ipſum convocaverat ad Concilium, ſtatuens ut quicumque in hanc ſocietatem propter ſpem vitæ æternæ ſe colligerent, & in ea fideliter perſeverarent, remiſſionem omnium haberent peccatorum, affirmans eos non eſſe inferioris meriti, quàm vel Monachos, vel communis vitæ Canonicos.

Item in Orientali Eccleſia, apud Græcos & Arme-

nos & Syros, diversa sunt genera Religiosorum, qui in una quidem Fide Catholica concordant, ac tamen in moribus, in ordine, in habitu, in victu, in officio psallendi non parum ab invicem discrepant. Ego cùm essem in urbe regia Constantinopoli Apocrisiarius Lotharii Magni, & Christianissimi Romani Imperatoris, ad Kalojohannem ejusdem regiæ civitatis Imperatorem, & essem avidus explorator & diligens inquisitor diversarum Religionum; vidi ibi multos Ordines Christianæ Religionis in Monasterio quod dicitur Pantocraton, id est, *Omnitenentis*. Vidi septingentos ferme Monachos sub Regula beati Antonii militantes. In Monasterio quod dicitur Philoantropon, id est, *Amantis hominem*, vidi non minus quingentos Monachos sub Regula beati Pachomii militantes. Vidi & quamplures Congregationes sub Regula beati Basilii Magni & doctissimi viri devotè militantes.

Auctor Apocrisarius Lotharii Imperatoris tunc Constantinopoli morabatur.

Porrò hæc omnia tam divina, tam sancta, tam bona in diversis temporibus & in diversis Ordinibus operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. Novit quippe Spiritus sanctus, qui totum corpus Ecclesiæ ab initio & nunc & semper regit hominum animos, torpentes, & diu usitata religione satiatos, & fideles aliquo novæ religionis exordio renovare; ut cùm viderint alios & alios magis ac magis in altiorem Religionis arcem conscendere, novis exemplis fortiùs excitentur, & relicta pigritia & amore sæculi, quo tenebantur, alacriter & sine formidine, quod perfectum est, apprehendant & imitentur. Nam insolita & inusitata magis solent mirari homines, quàm solita & usitata. Et fit mira Dei dispensatione, quòd à generatione in generationem succrescente semper nova religione, renovatur ut aquilæ juventus Ecclesiæ, quo & sublimiùs in contemplatione volare queat, & subtiliùs quasi inreverberatis oculis radios veri solis contueri valeat. Proinde putasne fieri posse, ut in tanta turba bonorum nullum inveniatur scandalum in falsis fratribus? Utinam ita esset, utinam verè ita esset! Sed

1. Cor. 12. 11.

Digitized by Google

ego timeo, nequaquam securus sum. Cùm enim audio Dominum dicentem in Evangelio: *Nonne ego vos elegi duodecim, & unus ex vobis diabolus est?* Cùm, inquam, hoc audio, valde pertimesco, attendens si in Apostolorum collegio, qui pauci erant, & quos ipse Dominus elegerat, non defuit diabolus, quomodo putandum est in tanta bonorum turba deesse falsos fratres, qui utique sunt membra diaboli. Nam & pseudoprophetæ fuere & pseudoapostoli fuere. Ne igitur miremur, si nobiscum & inter nos sunt falsi fratres; sed eos in caritate toleremus, & ut deposita simulatione veri fiant, orantes expectemus. Simul in una sagena sumus; sed reducti ad litus, non simul in vasis Sanctorum colligemur. Simul in uno agro crescimus, sed tempore messis non simul in uno horreo colligemur. Ipsi enim nobiscum, & nos cum ipsis, licèt diversis viis, diversa intentione simul curremus, donec finiatur iste quartus status Ecclesiæ, & Sancti sequantur Agnum quocumque ierit; illi verò portantes nomen pallidi & mortis, in inferno sepeliantur.

Iohan. 6. 71.

Capitulum XI.

Quòd in quinto statu Ecclesiæ animæ sanctorum sub altare Dei clamant: Usquequo, Domine sanctus & verus, non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra, &c.

Et cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant; & clamabant voce magna, dicentes: Usquequo, Domine sanctus & verus, non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleantur conservi eorum & fratres eorum qui interficiendi sunt, sicut & illi. Iste est quintus status Ecclesiæ. Laboravit Ecclesia in persecu-

Apoc. 6. 9.

Ibid. 10.

Ibid. 11.

Digitized by Google

tione, & crevit in patientia: laboravit in hæreticorum subtili fallacia, & crevit in sapientia: laboravit in falsis fratribus & hypocritis, & crevit in tolerantia. Nunc autem animæ Sanctorum, quæ subtus altare, qui est Christus, fuso sanguine meruerunt jam requiescere, videntes tam infinitas laborantis Ecclesiæ miserias, magna quasi compassionis voce pro ea clamant: *Usquequo, Domine, non vindicas sanguinem nostrum*, & cetera quæ ibi sequuntur, pertinentia ad quintum statum Ecclesiæ.

Ibid. 10.

CAPITULUM XII.

Quòd in sexto statu Ecclesiæ, facto terræ-motu magno, validissima persecutio futura est tempore Anti-Christi.

Apoc. 6. 12.

ET cùm aperuisset sigillum sextum, terræ-motus factus est magnus. Iste factus est Ecclesiæ status, in quo nimirum terræ-motus factus est magnus, quæ est validissima persecutio, quæ futura est temporibus Anti-Christi. Et verè magna, quia sicut dicit Dominus: *Talis erit tunc tribulatio, qualis non fuit, ex quo gentes esse cœperunt.* In aliis enim persecutionum temporibus, licèt contra Christianum nomen multa genera tormentorum pararentur, tamen fides recta & indubitata tenebatur; hîc verò & tormenta proponuntur, & fides falsa sub nomine Christi persuadetur. Dicitur enim: *Ecce Christus hîc, ecce Christus illic. Et erit tribulatio, qualis non fuit*, non solùm persecutionis quantitate, verùm etiam fidei subversione, nescientibus hominibus, quid vel credere, vel tenere debeant. Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus, quia sol justitiæ Christus, & nomen Christianum tunc erit in abjectione, & in contemtibili & obscura nigredine, & tam ipse Christus, quàm Christiani erunt viles & abjecti in oculis Anti-Christi & suorum, sicut saccus cilicinus, qui omnium vestium est vilissimus. Luna tota facta est sicut sanguis, quia in omnibus mundi partibus persecutio sanguinis grassabitur contra

Matth. 24. 21.

Digitized by Google

Ecclesiam, quam luna modò crescens, modò decrescens apertè significat. Et stellæ cæli ceciderunt super terram. Stellæ cæli, id est, Sancti qui in firmamento Ecclesiæ tamquam Doctores lucere videbantur, sub illa validissima persecutione recedentes à fide in terram cadent, quia terrenis delectationibus inhærebunt, & ex ipso amore terreno ad iniquitatem ruent. Unde subditur: *Sicut ficus mittit grossos suos, cùm à vento magno movetur.* Licèt ficus in Evangelio significet Synagogam, specialiter hîc omnem Ecclesiam significat, de qua tunc cadent qui infructuosi fuerant & à bonis operibus vacui. Grossus enim appellantur fructus primi temporis, qui antequam veniant ad maturitatem, vento concussi cadunt in terram; ita & illi qui necdum venerunt ad maturitatem bonorum operum, & vacui sunt, concussi sunt à vento, id est, extrema persecutione. *Et decident in terram*, hoc est, in terrenas delectationes. Qui ventus bene magnus dicitur, quia, ut suprà dictum est, persecutio etiam electos occupabit. *Et cælum recessit quasi liber involutus.* Cælum, id est, Ecclesia in qua celantur Ecclesiastica Sacramenta involuta & clausa, recedent ab usu Christianorum, & abscondentur à publico & solemni ritu. *Arescentibus hominibus præ timore* Anti-Christi, *& expectatione eorum, quæ supervenient universo orbi. Et quis poterit stare?* & cetera quæ in illo sexto statu Ecclesiæ inveniunt.

Apoc. 6. 13. *Ibid. 14.* *Luc. 21. 26.* *Ibid.*

Capitulum XIII.

Quòd in septimo statu Ecclesiæ post multas tribulationes futurum est silentium magnum, & instaurabitur octava infinitæ beatitudinis: & ita Ecclesia Dei quæ est una in fide, una spe, una caritate, multiformis est diversorum statuum varietate.

Et cùm aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo, quasi in media hora sigillum septimum. Septimus Ecclesiæ status est, in quo futurum est silen-

Apoc. 6. 1.

Digitized by Google

tium, quia post tribulationes Ecclesiæ, quæ in multa tristitia parturivit filios Dei, post judicium quod erit in adventu Filii Dei, in momento, in ictu oculi, omnibus jam consummatis, silentium divinæ contemplationis erit, annus jubilæus instaurabitur, octava infinitæ beatitudinis celebrabitur, Sancta sanctorum, sublato jam legis velo, fidelibus aperientur: Cantica Canticorum ante thronum Dei & Agni infinitâ lætitiâ, cantabuntur: dies solemnis usque ad cornu altaris, id est, usque ad summam contemplationis arcem, in condensis seu in frequentationibus constituetur, omnium figurarum & Sacramentorum quæ ab initio sæculi in diversis temporibus fuerunt, veritas revelabitur, & universa per ipsum & cum ipso consummabuntur. Sed quod silentium factum dicitur media hora, hoc profectò puto significari, quòd licèt omnes electi Deum in sua gloria contemplentur, tamen nulli creaturæ concedendum putatur, ut plenam divinæ substantiæ, sicuti est, aliqua scientia comprehendat, seu visione cognoscat. Ipse enim incomprehensibilis est, & inhabitat lucem omni rationali creaturæ, tam homini quàm Angelo, inaccessibilem. Rectè ergo media & non integra hora dicitur, quia licèt ad sufficientem beatitudinem, tamen ad integram ipsius Dei cognitionem, qua immensa divinitas comprehendatur, nulli pertingere conceditur.

Itaque nemo miretur, neque causetur Ecclesiam Dei ab invariabili Deo variis legibus & observationibus ante legem, & sub lege, & sub gratia distinctam; quia oportebat, ut secundùm processum temporum crescerent signa spiritualium gratiarum, quæ magis ac magis ipsam veritatem declararent, & sic cum effectu salutis incrementum acciperet de tempore in tempus cognitio veritatis: & ita primò quidem bona, deinde meliora, ad ultimum verò optima proposita sunt. Facta est autem hæc veritas, non propter invariabil s Dei, qui semper idem est, & cujus anni non deficient, mutabilitatem, sed propter humani generis variabliem-

Digitized by Google

infirmitatem & temporalem mutationem de generatione in generationem. Nempe una est electorum Ecclesia, uni Deo obnoxia: una est fide, qua ea quæ credenda sunt, tam de præteritis, quàm de futuris, fideliter credit; & una est spe, qua ea quæ fidelibus speranda sunt, longanimiter sperat, & est una caritate qua Deum & in Deo proximum diligit, & cujus latitudine ad inimicos etiam propter Deum se extendit.

Est ergo gloria filiæ Regis, quæ est Ecclesia, ab intus fidei decore, & testimonio puræ conscientiæ, sed in fimbriis aureis circumamicta varietate diversarum Religionum & actionum, & est currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium. Ideoque jam deinceps nullus fidelis suspicetur in hoc esse aliquod scandalum, si Ecclesiæ cujus semper est eadem fides credendi, non semper est eadem forma vivendi. Sed jam nunc sufficiat respondisse eis qui calumniantur tot varietates in Ecclesia sancta. Quod si ipsi habeant sinistrè, sed pias suscipere valuerint responsiones ad eorum quæstiones, spero nullum eis de cetero scandalum posse obvenire, unde ipsi aut aliquam speciem Religionis contemnant, aut pedem suum ab aliqua societate Religionis abstrahere debeant, si tamen ipsi voluerint, & Deus qui omnia ad seipsum trahit, hoc eis præstare voluerit. *Explicit liber primus.*

INCIPIT PROOEMIUM SECUNDI LIBRI QUI DICITUR ANTICYMENON, id est, LIBER CONTRAPOSITORUM.

PUTABAM me satis respondisse in superioribus, eis qui causabantur in sancta Ecclesia tot varietates, tot Religionum formas, tot mutationes, tot novitates, tot professionum facies: sed ut mihi videtur, quamvis eis sufficere videantur ea quæ dixi, quòd exinde ap-

Digitized by Google

paret, quia super hac quæstione plus me non infestant; tamen ad alias quæstiones se transferunt, & adhuc me sollicitare non cessant, & quod priùs zelo non bono videbantur facere, hoc jam nunc mutati in melius pio ac humili spiritu videntur inquirere: ideoque tantò libentiùs respondebo eis id quod mihi datum fuerit de superiùs, quantò illi se ostenderunt inquirere humiliùs. Nam Deus qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, vult nos esse humiles, quatenus interrogando & respondendo non nobis tamquam superbis resistat, sed verè humilibus gratiam det & intellectum præstet. Hoc autem dicunt me sufficienter respondisse ad propositam quæstionem, & dicunt quòd hæc facilè facere potuerim, & quòd ipsi facilè accedere & acquiescere potuerint: post tot & tantas rationes & auctoritates, præsertim cùm nil officiat in una fide diversas habere consuetudines, immoto semper ecclesiasticorum Sacramentorum ritu, & generalibus ecclesiastici Ordinis institutis, quorum neutrum nulli per se licet immutare, nisi præcipitatæ mentis involvatur insania.

Dissentiunt Græci à Latinis in fide Trinitatis.

Verùm quid est, inquiunt, quòd aliqui in Ecclesia, in fide sanctæ Trinitatis & in Sacramentorum ritu videntur discrepare, quemadmodum Græci à Latinis? Quòd si salva unitate fidei, & uno Sacramentorum ritu, in ceteris omnibus dissimiles essent, utcumque tolerari posset, & minus scandalum seu periculum esse videretur. Verùm quóniam de fide, sine qua impossibile est placere Deo, dissentire videntur, nec in uno Sacramentorum ritu convenire dinoscuntur: necessarium est ut super hoc nobis respondeas, quid vel de illis sit sentiendum, vel nobis tenendum.

Fatemur sanè non modicè nos scandalizari, quando audimus, quòd Græci viri sapientissimi, in omni scientia Scripturarum eruditissimi, dicuntur non credere, nec dicere, quòd Spiritus sanctus procedat à Filio, sicut & à Patre procedit. Quod si ita est, non immeritò maxima occasio gravissimi scandali est. Et quidem tot millia

Digitized by Google

millia Græcorum nomina reperiuntur in catalogo Sanctorum, quorum corpora, vel in pace sepulta sunt in Christo, vel qui tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, & in sanguine Agni laverunt stolas suas, & ideo meruerunt habere coronas perpetuas: in quorum etiam honorem & reverentiam non paucæ Ecclesiæ constructæ ac dedicatæ sunt, & quorum annuæ festivitates passim per Ecclesias solemniter celebrantur.

Ad hoc, in sancta Romana Ecclesia multi Pontifices natione Græci sederunt in cathedra beati Petri Apostolorum Principis, qui gubernaculo fidei rectæ, & remigio sanæ doctrinæ, Ecclesiam quæ est navicula Petri, vice Petri bene gubernantes, in numero Sanctorum bene computantur. Ipsa autem sancta Romana Ecclesia, mater omnium Ecclesiarum, hoc à Domino privilegium accepit, quòd ita specialiter fundata est supra firmam petram, ut à nullo umquam vento hæreticæ pravitatis impelli potuerit. Et mirum in modum, quomodo Græci in numero Sanctorum computentur, & ex ipsis Romani Pontifices electi inveniantur; sed in fide sanctæ Trinitatis adeo erraverunt, ut dicerent & crederent Spiritum sanctum à Patre tantùm, & nequaquam à Filio procedere; nisi fortè quis audeat dicere, quòd nihil obsit Fidei Christianæ, & credentium saluti, sive hoc, sive illud dicat, sive non dicat, vel non credat; quasi ille articulus fidei, quo Spiritus sanctus creditur à Filio procedere, vel non procedere, nulli Christiano sit necessarius. Proinde quomodo, inquiunt, potuit esse, quòd aliquis natione Græcus Pontifex Romanus, secundùm Græcos Spiritum sanctum à Filio non procedere crederet, & secundùm Latinos eumdem Spiritum à Filio procedere in Romana Ecclesia prædicaret? Nam quòd aliter crederent, & aliter prædicarent, nefas est dicere. Si autem quod credebant, id etiam prædicabant: quomodo Romana Ecclesia eos patienter audivit, quorum doctrinam de processione Spiritus sancti à Patre tantùm, & non à

Filio, nec tunc approbavit, nec hodie approbat?

Auctor provocatus ad objecta Græcorũ respondere, immo jussus est ab Eugenio Papa.

Hæc & hujusmodi similia sæpe in collatione proponunt, & interdum in secreto, interdum in aperto coram fratribus me tacere volentem excitant, & jam tandem importunitate ac crebris eorum precibus victus respondere cogor, & præ nimia illorum instantia, oportet me modò ibi pedem figere, ubi priùs in lectione divinarum Scripturarum plano sensu solebam transire. Sed ad solvendam tam validæ quæstionis propositionem me sufficere non video; verumtamen ne omnino videar tacere, & inquirentibus nihil respondere, & caritatem fratrum lædam tacendo, quoniam placere possum loquendo, malo aliquid dicere, tametsi postea sit corrigendum, quàm silentio caritatem eorum offendere, quibus ex debito est respondendum: maximè autem ad id faciendum cogit me mandatum Domini ac beatissimi Papæ Eugenii. Et sicut fratrum justis & devotis postulationibus nihil negare debeo, ita, immo multò ampliùs tantis jussionibus non obedire non audeo. Valet profectò ad evidentiam hujus quæstionis, ut disputationem quam ego habui in urbe regia Constantinopoli cum Nechite Archiepiscopo Nicomediæ, in unum colligam, & sub dialogo distinguam, quatenus lectori evidentiùs appareat, quid vel Græcus, vel Latinus de processione Spiritus sancti sentiat. Prædictus namque Archiepiscopus cùm esset magnus apud illos religionis typo & acerrimus ingenio, & eruditissimus Græcarum literarum studio, & facundissimus eloquio, & cautissimus in dando & accipiendo responso, nihil eorum in disputatione seu collatione tacendo neglexit, quæ viderentur posse spectare ad suæ sententiæ firmitatem, vel ad nostræ sententiæ destructionem; præsertim cùm ipse inter duodecim electos Didascalos, qui studiis Græcorum ex more solent præesse, tunc temporis fuerit præcipuus, & ab universis in officium nostræ disputationis adversum me electus. *Explicit Prologus.*

Digitized by Google

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

sint defectiva nomina, sed sufficientia, nullam remissionem vel minorationem secundùm substantiam significantia.

X. Quòd Spiritus sanctus neque secundùm substantiam quæ communis est, neque secundùm personam quæ ad se dicitur, sed secundùm relationem procedens dicitur.

XI. Utrum Filius sicut Pater dicatur rectè Spiritus sancti emissor, quod Græci dicunt provolens.

XII. Quòd Spiritus sanctus amborum est sympnia, id est, concordia, & est amborum synevsis, id est, respectio.

XIII. Quòd nemo silentio seu patienter ferre debet blasphemum se vocari, sicut nec Dominus, quando dictum est ei, Dæmonium habes; & quòd Spiritus sanctus propter diversos effectus diversa sortitur vocabula.

XIV. Quòd nullus sensum Scripturæ, quæ divina meruit appellari, suo sensui, sed potiùs suum sensum illi debet accommodare.

XV. Quòd Dominus insufflando dederit Apostolis Spiritum sanctum, nec tamen flatus ille corporeus fuerit ille Spiritus sanctus, sed processionis ejus significatio; & qualiter intelligendum sit: Accipite Spiritum sanctum. (Iohan. 20. 22.)

XVI. Quòd aliquando spiritualia corporalibus, aliquando corporalia spiritualibus comparantur.

XVII. De eo quòd muliere fimbriam Domini tangente, virtus de illo exibat; & quòd virtutis nomine Spiritus sanctus appellatur, qui ab ipso procedit.

XVIII. Quòd sicut Spiritui sancto hoc est esse à Pa-

Digitized by Google

tre, ita ei hoc est esse à Filio, quod procedere à Patre.

XIX. *Utrum Spiritus sanctus æqualiter procedat à Patre, sicut & à Filio, Filius autem à Patre sit; & similitudo de Adam primo plasmate, & de Æva plasmatis decisione, & de Abel utriusque decursione.*

XX. *Quòd sicut in Evangelio non invenitur, Spiritus sanctus procedit à Filio; ita quoque in Evangelio nequaquam reperitur, Spiritus sanctus non procedit à Filio; nec invenitur quòd à solo Patre procedat.*

XXI. *Quòd nihil cum temeritate sit affirmandum, & nihil cum iracundia refellendum.*

XXII. *Quòd non sit temerarium addere aliquid Evangelio, quod non contra Evangelium: sicut in Nicæno Concilio & in multis aliis Conciliis factum est.*

XXIII. *Quòd fides sanctæ Trinitatis ad plenum condita est in Conciliis, quibus præsedit Spiritus sanctus Pantoscopos, id est, omnium Episcopus, qui & auctor priùs & conditor fuit Evangelii.*

XXIV. *Quòd multi Græcorum Auctores dixerunt Spiritum sanctum procedere à Filio, sicut à Patre.*

XXV. *Quòd Spiritus sanctus, licèt ab utroque procedat, tamen à Patre propriè & principaliter procedere invenitur, tam apud Latinorum, quàm Græcorum Scriptores.*

XXVI. *Quòd quidam Græcorum, & etiam quidam*

Digitized by Google

Latinorum putaverunt Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, inducentes quasdam similitudines minus idoneas.

XXVII. *De concordia hujus quæstionis, & de tollendo scandalo de medio utriusque gentis auctoritate Romani Pontificis per Concilium generale.*

INCIPIT LIBER SECUNDUS ANTICYMENON DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI. UTRUM SECUNDÙM GRÆCOS A PATRE TANTÙM PROCEDAT, AN SECUNDÙM LATINOS A PATRE SIMUL ET A FILIO.

CAPITULUM I.

Qualiter Dialogus habitus sit in urbe Constantinopoli de processione Spiritus sancti ab Anselmo Havelbergensi Episcopo, & Nechite Archiepiscopo Nicomediæ, & de modo interpretationis inter colloquentes.

IGITUR cùm essem constitutus in urbe regia, & crebrò varias à Græcis quæstiones susciperem, & itidem alias illis proponerem, placuit Imperatori piissimo KALOJOHANNI, placuit etiam Patriarchæ civitatis N. viro religioso, ut publicus conventus fieret: & statuta est dies, ut in audientia omnium ea sonarent, quæ hinc & inde dicerentur. Convenientibus itaque quampluri-mis sapientibus in vico qui dicitur Pisanorum, juxta Ecclesiam Ayeerinee, quæ lingua Latina sanctæ Pacis nuncupatur, mense Aprili, die decimo, si tamen bene memor sum, positisque silentiariis, sicut ibi mos est, & datis arbitris, & sedentibus notariis, qui omnia quæ hinc inde dicerentur, fideliter exciperent & scri-

Digitized by Google

pro commendarent, universa multitudo, quæ ad audiendum avida convenerat, conticuit. Aderant quoque non pauci Latini, inter quos fuerunt tres viri sapientes, in utraque lingua periti, & litterarum doctissimi; JACOBUS nomine, Veneticus natione; BURGUNDIO nomine, Pisanus natione. Tertius inter alios præcipuus Græcarum & Latinarum litterarum doctrina apud utramque gentem clarissimus, MOÏSES nomine, Italus natione ex civitate Pergamo; iste ab universis electus est, ut utrimque fidus esset interpres.

Qui in conventu aderant viri docti.

Cunctis itaque ordinatis, & sedibus è regione positis, dato silentio, omnibus ad audiendum avidis & suspensis, ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Patres reverendi, ego ad contentiones non veni, quia ita dicit Apostolus: *Non in contentione & æmulatione*; & iterum: *Si quis contentiosus est, nos hujusmodi consuetudinem non habemus*; sed veni ad inquirendum & cognoscendum de fide vestra atque mea, maximè quia vobis ita placuit. NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Placet quod dicis, & humilitas tua nobis placet; nam in colloquendo & humiliter conferendo citiùs elucescit veritas, quàm si superbè & ad vincendum avidi contendamus. ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Non debemus esse immemores, quòd scriptum est in Evangelio, quoniam JESUS *junxit se duobus Discipulis euntibus ab Ierosolymis in castellum Emaüs, & loquentibus de ipso, & ibat cum illis, & cognoverunt eum in fractione panis.* Nos quoque si simul ire & sine disceptatione colloqui simul de veritate voluerimus, ipsa veritas se nobis jungendo approximabit, & in fractione panis, id est, divinæ Scripturæ eam cognoscemus. Itaque simul gradiamur viam caritatis, non contendentes superba raciocinatione, sed simul investigantes veritatem humili inquisitione. NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Videtur mihi quòd ea quæ dicturi sumus, electus interpres de verbo ad verbum fideliter exponat, quia hoc modo meliùs nos invicem intelligere possumus, & ipse hoc faciliùs facere potest.

Colloquuntur Anselmus & Nichetes.

Rom. 13. 13.

1. Cor. 11. 16.

Luc. 24. 35.

Digitized by Google

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Ego hujusmodi usum loquendi non habeo: & præterea suspecta est mihi talis interpretatio, quia fortè capi possum in verbo, si dispariliter fuerit interpretatum, nec decet nos contendere verbis. Verùm talis interpretatio in medio currat, quæ sermonem utrimque continuatum pleno & collecto verborum sensu excipiat & exponat: hoc enim modo locutionis seu interpretationis non videbimur verborum observatores, sed sententiarum investigatores. NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Fiat sicut dicis, nam & hoc mihi placet, quia tibi placet.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Adhuc quædam præmittere volo; quia de quæstione difficili tractare proponimus, & ego ad conventum istum subitò vocatus sum, & ab heri & nudius-tertius nihil horum sum præmeditatus, precor reverentiam omnium assidentium & circumastantium, ut si fortè mihi aliquod verbum fuerit elapsum, sicut nonnumquam in talibus fieri solet, quòd alicujus vestrûm aures offendat, non statim adversum me excusso plausu exclametis, sed juxta mansuetudinem vestram finem sermonis patienter expectetis, memores quòd hospes sum in medio vestri: nam & hoc ipsum priùs veritus sum in illo genere interpretationis de verbo ad verbum, & ob hoc illud à nostra collatione tunc submovi. Non sit igitur inter nos verborum litigium, sed exquisita veritas sententiarum. NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Bene dixisti, & ego id ipsum rogo. Universi dixerunt: Bonum est, honestum est, & ita fiat, fiat.

Quæstionem de processione à Patre & Filio proponit Anselmus: cui respondet Nechites.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Nos sequentes sanctam & apostolicam doctrinam credimus & docemus Patrem & Filium & Spiritum sanctum unum Deum in substantia, trinum in personis. Credimus etiam Patrem ingenitum, Filium à Patre genitum, Spiritum sanctum ab utroque, Patre scilicet & Filio, procedentem. Hoc credimus & docemus. NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Ea quæ dicis, Catholica

Digitized by Google

lica sunt & suscipienda; sed quòd dicis Spiritum sanctum à Filio procedere sicut à Patre, ad hoc non accedimus, nec suscipimus, præsertim cùm nulla ratio, nulla auctoritas canonicarum Scripturarum, nullum denique generale Concilium hoc dicat vel doceat.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Quoniam tria posuisti, rationem, canonicarum Scripturarum auctoritatem, generalia Concilia; & quia rationem primò posuisti, velim etiam primò scire qua ratione prohibearis ne credas vel dicas Spiritum sanctum procedere à Filio sicut & à Patre. NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: In omni Philosophia, & maximè in summa Theologia cavendum est, & sapientissimi Græcorum hactenus vitaverunt dicere poliarchiam, id est, multa principia; vitaverunt etiam anarchiam quæ est sine principo; elegerunt autem & venerati sunt, & nobis venerandam docuerunt monarchiam, hoc est, unum principium. Idcirco autem noluerunt suscipere in Deo poliarchon, id est, multa habens principia, quia quod habet multa principia, dixerunt esse litigiosum. Noluerunt etiam suscipere in Deo anarchon, id est, sine principio, quia hoc quod est sine principio, dixerunt esse inordinatum. Hæc itaque duo non inconvenienter fugientes conversi sunt rationabiliter ad venerandam monarchiam, quam & nos veneramur & amplectimur, & à qua nullum qui orthodoxæ fidei sit, oportet recedere. Porro si duo essent principia, vel utrumque insufficiens esset, aut alterum superfluum esset: si enim aliquid uni deesset quod alterum haberet, non summè perfectum esset; si verò nihil unde esset quod alterum haberet, cùm in uno omnia essent, alterum superflueret. Itaque Patrem & Filium & Spiritum sanctum unum Deum esse credimus; Patrem quidem ingenitum, Filium verò ex Patre genitum, Spiritum sanctum à Patre tantùm, & non à Filio procedentem. Nam si à Patre & à Filio Spiritum sanctum procedere diceremus, cùm Pater esset principium Spiritus sancti, & similiter Filius esset principium Siritus sancti, sta-

Græci dicunt Spiritum à Patre, non à Filio procedere.

tim consequenter accurreret nobis duo esse principia, & incideremus in poliarchiam, id est, multa principia: quod est contra omnem rationem. Credimus ergo & docemus Patrem esse principium Filii quem genuit, & eumdem Patrem solum esse principium Spiritus sancti, qui ab ipso solo procedit. Sic autem dicimus Patrem esse utriusque principium, scilicet non tempore, sed causa; ambo enim à Patre tamquam ab uno principio, iste generatione, ille processione, non temporaliter, sed causaliter.

Capitulum II.

Quòd in Domino non anarchia, id est, nullum principium; non poliarchia, id est, multa principia; sed monarchia unum principium sit.

Anselmus Havelbergensis Episcopus dixit: Ego multa principia, quod tu vocas poliarchon, in Deo tecum nego, quia omni rationi contrarium est; tamen quia quidam hæresiarcha, natione Perses, nomine Manes, de quo Manichæi, qui ferè totam Africam polluerunt, à Catholica Ecclesia meritò damnatus est, eò quòd contendebat duo esse principia, & nonnulla alia Christianæ fidei contraria docebat. Similiter quod tu vocas in Deo anarchon, id est, sine principio, seu non principium, nequaquam in Deo suscipio, sicut nec tu; quia Deus, nisi summum principium esset, sine seipso esset, & si sine seipso esset, omnino non esset. Itaque in Deo neque dicenda sunt multa principia, quia hoc litigiosum esset; neque dicendum est nullum principium, quia hoc inordinatum esset, quorum utrumque dissolutionem ac destructionem minatur. Sive enim dicatur quòd eo quòd multa sint principia, necesse sit multa quoque esse litigia: sive dicatur quòd eo quòd nullum sit principium, nihil etiam sit ordinatum: sive, inquam, hoc, sive illud dicatur, utrumque est absurdissimum; quoniam, sicut dixi, utrumque dissolutioni ac destructioni proximum est: alterum propter eam quæ ibi est litem, alterum propter eam quæ ibi est inordinationem.

Digitized by Google

Unum igitur principium quod tu vocas monarchon, tecum in Deo suscipio, quoniam quidem Deus summum ac plenum est principium, quod videlicet principium ipsemet est sibimet. Est autem sine principio, quod præter ipsum & extra ipsum sit, quod omnino nullum est; & ita in Deo non principia multa, non principium nullum, sed ipse sibi unum in seipso est principium, per seipsum in seipso propriè monarchiæ liberrimum tenens principatum; & sicut ipse sibi est vita qua vivit, ita ipse est sibi principium quo principatur.

Attamen quod dicis, si Spiritus sanctus procedit à Patre & à Filio, ergo duo sunt principia. Hanc tuam argumentationem cum tam festinato enthymemate nequaquam suscipiendam judico. Ex hoc enim verè quod præmissum est, non sequitur illud falsum quod illatum est: verum est autem quòd Spiritus sanctus procedit à Patre & à Filio, sed falsum quòd duo sint principia, ideoque nulla est ibi cohærentia. Intendat itaque caritas tua: Spiritum sanctum dicimus procedere à Patre & à Filio, nec tamen exinde concedimus duo esse principia, quia Pater & Filius unum sunt principium, sicut sunt unus Deus. Sicut autem dicimus Deus de Deo, nec tamen duo dii, & sicut dicimus tropicè lumen de lumine, nec tamen duo substantialia lumina, & sapientia de sapientia, nec tamen duæ sapientiæ; ita profectò dicimus principium de principio, nec tamen duo principia. Unde Dominus in Evangelio interrogatus: *Tu quis es?* de seipso respondens dicit: *Ego principium qui & loquor vobis;* ostendens se esse unum & idem principium cum Patre in unitate ejusdem substantiæ, qui tamen est de principio proprietate filialis personæ. *Iohan. 8. 25.*

Considerandum quippe est quid, de quo, & propter quid, & secundùm quid dicatur. Nam cùm dicit: *Ego sum principium qui & loquor vobis;* & cùm non dicit: *Ego sum principium quod & loquor vobis;* satis insinuavit quòd ipse est unum cum Patre eadem consubstantialitate, qui tamen non est unus cum Patre proprietate personæ. Est enim Filius idem principium quod Pater ipse *Iohan. 8. 25.*

est secundùm substantiam; sed ipse non est idem qui Pater est secundùm personam. quamvis & aliter intelligi possit hoc quod dixit: *Ego principium qui & loquor vobis*; videlicet se Creatorem ostendere volens & principium creaturæ, sicut & Pater est principium creaturæ, eò quòd ab ipso sunt omnia. Unde in libro Geneseos: *In principio creavit Deus cælum & terram*. Et quòd ipse sit principium in principio & cum principio, audi Johannem Evangelistam: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat.* Et in Psalmis: *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Proinde Pater quidem ad creaturam relativè dicitur principium ex quo omnia; Filius quoque ad creaturam relativè dicitur principium per quem omnia, Spiritus sanctus quoque ad creaturam relativè dicitur principium in quo omnia, nec tamen sunt tria principia, sicut nec tres Creatores, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis. Unum ergo principium ad creaturam dicitur Deus, non duo vel tria. Quòd si ad se invicem in Trinitate referantur, tunc si gignens, ad eum qui gignitur, principium est, Pater ad Filium principium est, quia gignit eum. Utrum autem Pater rectè dicatur principium ad Spiritum sanctum, quia ab ipso procedit, & utrum Filius rectè dicatur principium ad Spiritum sanctum, quia & ab ipso procedit, apud nonnullos aliqua quæstio est. Verùm si is qui datur, scilicet Spiritus sanctus, habet principium eum à quo datur, quippe non aliunde accepit quod inde procedit, non incongruè videtur fatendum esse Patrem & Filium principium esse Spiritus sancti, non tamen duo principia: quia sicut Pater & Filius unus Deus, sic relativè ad Spiritum sanctum unum sunt principium; qui videlicet Spiritus sanctus non aliunde, sed à Patre & Filio qui sunt unum principium, datur & procedit. Porro Pater principium, & Filius idem est principium: nam si Filius aliud à Patre, & non idem cum Patre principium esset, jam ipse in hoc quòd aliud esset, principium esse desineret,

Iohan. 8. 25.
Gen. 1. 1.
Iohan. 1. 1.
Ibid. 1. 3.
Psal. 109. 4.

Digitized by Google

Quidquid ergo dederimus Patri, demus & Filio: si enim Pater in Filio, & Filius in Patre, & omnia Patris Filii, & omnia Filii Patris sunt; profectò principium Patris principium Filii est. Hoc est principium quod Pater est, principium est quod Filius est, & ita Spiritus sanctus procedens ab utroque, Patre scilicet & Filio, non duo, sed unum suæ processionis habet principium. Dicitur enim tribus modis principium in Deo, substantivè ad seipsum; relativè autem invicem in Trinitate, sicut Pater ad Filium; & iterum relativè, quantum ad creaturam Creator.

CAPITULUM III.

Quòd id quod æternum est, non ob hoc sine principio est, sicut Filius Patri est coæternus, sed non est sine principio, quia de Patre est.

ET fortasse miraris, quia non dicantur synarcha, id est, simul principia vel conprincipia, quæ sunt simul coæterna. Sed notandum quòd id quod sine principio est, etiam æternum est: sed quod æternum est, non ob hoc sine principio est. Quippe Pater & Filius & Spiritus sanctus totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt & coæquales, sed non totæ simul sunt sine principio: nam Pater quidem anarchon, id est, sine principio est, & ipse est principium coæqualis & coæterni & consubstantialis sibi Filii. Principium autem ut causa, & ut fons, & ut æternum lumen, aut licèt sit coæternus & consubstantialis Patri, nequaquam tamen est anarchon, id est, sine principio, quia Patrem habet principium & causam, & ipse est principium universorum. Principium autem quando dico, non tempus admittas, neque medium aliquod interponas inter generantem & genitum; neque dividas naturam aliqua intercisione malè excogitata & malè immixta & interposita his qui semper sibi coæterni sunt. Si enim tempus esset Filio antiquius, tunc itaque Pater prima causa esset temporis,

Digitized by Google

non Filii; nec Filius esset factor temporum, qui esset sub tempore; nec naturâ esset dominus omnium, sed gratiâ Patris * in dominium assumptus, vel etiam omnino non dominus. Et ita prorsus de Deitate ejiceretur Filius tamquam Patri non coæternus, sed sub tempore constitutus.

* & divinum

Est itaque Pater principium Filii ut causa, & est Pater simul & Filius principium Spiritus sancti ut causa. Manifestum est autem quòd non omnino antiquior est causa his quorum causa est, sicut nec sol lumine proprio antiquior. Unde manifestissimum est totas tres simul personas coæternas esse sibi & coæquales, sed non totas tres simul esse sine causali principio. Est igitur, sicut dictum est, Pater anarchos, id est, sine principio temporali vel causali, quia non aliunde, sed ab ipso est; Filius verò non anarchos, quippe Patrem ut causam sui habet principium non temporale, sed causale. Si autem id quod ex tempore est, principium intelligas; ita Filius quoque est anarchos, & Spiritus sanctus est anarchos, id est, sine temporali principio: non enim incœpit cum tempore vel sub tempore, quæ temporum factrix est, Trinitas. Sanè Pater & Filius & Spiritus sanctus tota simul Trinitas sicut unus est Deus, ita est unum & idem substantiale principium, quod vos vocatis monarchon, pantocraton, id est, unum principium, seu unus principatus omnitenens.

Nullatenus autem duo vel tria principia quæ vos vocatis diarchon vel triarchon. Sic enim in Symbolo Athanasii, quod est venerabile per omnem Ecclesiam, legitur: *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus; & tamen non tres æterni, sed unus æternus. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus; & tamen non tres immensi, sed unus immensus. Et Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus; & tamen non tres dii, sed unus est Deus. Et Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus; & tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.* Ita quoque principium Pater, principium Filius, principium Spiritus sanctus; & tamen

Athan. in Symb. 10.
Idem ibid. 11.
Idem ibid. 9.
Idem ibid. 15.

Digitized by Google

non tria principia, sed unum est principium. Omnes quidem tres simul unum principium, & singuli idipsum plenum atque perfectum principium. Et sicut tres personæ rectè dicuntur consubstantiales, nec tamen rectè dicuntur tres consubstantiæ; ita fortasse tres personæ rectè dicuntur conprincipiales, sed tamen non rectè dicuntur tria conprincipia, quod Græci dicunt synarcha, Latini verò in nullo latinitatis usu habent. Et fortasse quis argumentosa, sed falsa opinione deceptus, idcirco duo dici posse putat principia, quia cùm dicitur principium sine principio, & iterum dicitur principium de principio, duo videntur constitui principia? Sed non bene attendit, quòd rectè quidem dicitur Deus, non de Deo, scilicet Pater: & iterum rectè dicitur Deus de Deo, scilicet Filius; nec tamen ob hoc sunt duo dii. Et rectè dicitur lumen, non de lumine, & item rectè dicitur lumen de lumine; nec tamen duo sunt lumina. Quòd si quis dixerit principium qui Pater, non est principium qui Filius; & principium qui Filius, non est principium qui Pater; & inde inferre voluerit quòd duo sunt principia: omnino fallitur, quoniam cùm dicitur principium qui Pater, qui Pater non est principium qui Filius. Et patet, cùm dicitur principium qui Filius non est principium qui Pater. Cùm hoc, inquam, dicitur, nihil aliud dicitur, vel intelligitur, nisi quòd Pater non est Filius, & Filius non est Pater, quod semper personarum discretionem distinguit. Sicut autem secundùm distinctionem personarum rectè dicitur negativè principium qui Pater non est principium qui Filius, & principium qui Filius non est principium qui Pater; ita secundùm identitatem ejusdem essentiæ rectè dicitur affirmativè, Pater idem est principium quod Filius, & Filius idem est principium quod Pater: & licèt iste non sit ille, tamen iste est id quod ille; & licèt is non sit is idem, tamen idem est id idem; & licèt qui hic non sit qui hic, tamen hic est ipsum hoc quod hic; nec ipse est ipse, sed ipsi sunt ipsum & idipsum, semper unus

Digitized by Google

Deus, semper una majestas, semper unum principium; numquam duo dii, numquam duæ majestates, numquam duo principia.

Proinde si Spiritus sanctus non procedit à Filio, sicut tu putas, ostende, si potes, quomodo verum esse possit, quòd procedat à Patre. Nam si secundùm te credendum est eum non procedere à Filio, credendum est etiam secundùm te eum non procedere à Patre, cùm Pater & Filius unum sint, sicut ipse dicit: *Ego & Pater unum sumus*; & iterum: *Ego in Patre, & Pater in me est.* Qui ergo dicit Spiritum sanctum procedere à Patre qui in Filio est, oportet ut etiam dicat eumdem Spiritum sanctum procedere à Filio qui in Patre est. Cogitur hoc quoque negare eumdem Spiritum sanctum procedere à Patre qui in Filio est: Pater enim & Filius unum sunt; & cùm vicissim dicitur, ille est in illo, nequaquam aliud in alio tamquam substantialiter aliud, sed id quod substantialiter unum & idem est, intelligitur. Unde Dominus ad Philippum postulantem: *Domine, ostende nobis Patrem & sufficit nobis. Philippe, qui videt*, inquit, *me, videt & Patrem, quia ego in Patre, & Pater in me est.* Quod propter ejusdem substantiæ unitatem dictum est. Et cùm dicitur: *Ego & Pater unum sumus*; unum propter unitatem substantiæ, contra Arrium dicitur; sumus propter pluralitatem personarum, contra Sabellium dicitur. ac si diceret: Ego & Pater unum, hoc est quod ille, hoc ego secundùm substantiam. Itaque hoc modo videtur esse confectum, ut dum tu vis mihi persuadere, ne credam Spiritum sanctum à Filio procedere, ne incidam in duo principia. Tu quoque quod priùs credebas, videlicet Spiritum sanctum procedere tantùm à Patre, jam negare cogaris, & incidisti per hoc in talem laqueum, ut qui priùs alterum negabas, scilicet processionem à Filio, & alterum affirmabas, scilicet processionem à Patre, jam nunc aut neutrum secundùm te confiteri audeas, aut utrumque secundùm fidem Catholicam & juxta propositas rationes justè mecum fateri debeas.

Iohan. 10. 30.

Ibid. 38.

Iohan. 8. 9.

Ibid. 9.

Iohan. 10. 30.

NECHITES.

Digitized by Google

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Satis videntur suscipienda ea quæ de principio disseruisti. Sed quoniam dicis Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, nec tamen recipis duo principia, & hoc probas ea ratione, quia Pater & Filius unum sunt; simili ratione probari potest, quòd idem Spiritus sanctus procedat à semetipso sicut & à Patre & à Filio, quia Pater & Filius & Spiritus sanctus una sunt divinitatis essentia: & ita si procedit ab illis, cum quibus ipse est substantialiter unum, necesse est dicere ut etiam procedat à semetipso, cum quo & ipsi sunt substantialiter unum.

CAPITULUM IV.

Quòd sicut Pater genuit, sed non se, & sicut Filius genitus est, sed non à se; ita quoque Spiritus sanctus procedit, sed non à se.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus; non tamen tres dii, sed unus est Deus. Et quamvis rectè dicatur, Pater Deus genuit Filium Deum, cùm sit unus Deus; non tamen rectè potest dici de Patre Deo, Deus Pater genuit seipsum; nec rectè potest dici de Filio Deo, Deus Filius genitus est à seipso: sic quoque quamvis Pater & Filius & Spiritus sanctus unus Deus sit, & Spiritus sanctus rectè credatur à Patre & Filio procedere; tamen idcirco non rectè dicitur procedere à seipso, quia cùm ipse sit substantialiter unum cum Patre & Filio, nequaquam tamen ipse aut Pater est, aut Filius est, ut ita à se ipso debeat procedere, sicut procedit ab illis. Igitur sicut Pater genuit, sed non se, & sicut Filius genitus est, sed non à se; ita quoque Spiritus sanctus procedit, sed non à se. Quod etiam manifestè probatur ex Evangelio Johannis, ubi scriptum est de Spiritu sancto: *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur.* Non loquetur à semetipso, quia non est à [illegible]metipso; & quia non est à semetipso, nec pro-

Iohan. 16. 13.

cedit à semetipso, cujus esse est idem quod procedere. Unde ergo est, inde procedit; & unde procedit, inde est. Ejus esse nihil aliud est quàm procedere. Sicut autem Patris proprium est generare Filium; & sicut Filii proprium est generari à Patre; ita profectò Spiritus sancti proprium est procedere ab utroque tamquam ab uno principio.

Nechites Archiepiscopus Nicomediæ dixit: De processione Spiritus sancti tractare proposuimus, sed tu ad probandam sententiam tuam de generante Patre & de genito Filio induxisti, non quidem, ut fateor, inconvenienter, quia satis placet quod dixisti: verumtamen responde paulisper de hoc ipso. Quæ vel qualis, putas, est ista Spiritus sancti processio de qua loquimur? Verumne videtur tibi quòd secundùm communem substantiam, an secundùm discretam & propriam personam dicendum sit Spiritum sanctum procedere?

Capitulum V.

Quòd sicut incognitum est, qualis sit Patris ingeneratio, & qualis sit Filii generatio; ita incognitum est, qualis sit æterna Spiritus sancti processio.

Anselmus Havelbergensis Episcopus dixit: Dic mihi quæ vel qualis sit Patris ingeneratio, & quæ vel qualis sit Filii generatio; & ego narrabo tibi quæ vel qualis sit Spiritus sancti processio; & ambo insaniemus divina mysteria perscrutantes, & de his rationem investigare volentes, quæ tamquam ineffabilia supra omnem intellectum rationalis creaturæ esse dignoscuntur, & sua profunditate vel altitudine omnem sensum humanum, necnon & angelicum supergrediuntur. Quòd si mihi instare, & super hac quæstione molestus esse volueris, hoc tibi sufficiat audire, quod mihi sufficit credere: sufficit nempe mihi credere Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum sanctum procedentem. Qualiter autem hic ingenitus sit, vel qualiter

Digitized by Google

hic genitus sit, vel qualiter iste procedat, reverendo silentio honorandum puto; & sit nobis magnum ita credere sicuti est, & non sit nobis curiosum investigare qualiter est: nam qualiter, neque Angelis, necdum nobis excogitare conceditur. Pater autem qui genuit, & Filius qui genitus est, & Spiritus sanctus qui ab utoque procedit, ratione sibi tantùm æternaliter conscia simul norunt divinam & æternam Filii generationem, & divinam & æternam Spiritus sancti processionem, & ejusdem generationis & processionis modum & qualitatem: quod utique nostræ humilitatis caliginosam nubem excedit, quibus aliquando vanitas pro varietate occurrit. Hoc tamen non inconvenienter dici puto, quòd Pater ingenerabiliter semper fuit & est, & Filius generabiliter semper fuit & est, & Spiritus sanctus processibiliter semper fuit & est; & ipsius Patris generare, concurrit simul ejusdem Patris essentiæ; & ipsius Filius generari, concurrit ejusdem Filii essentiæ; & Spiritus sancti procedere, concurrit ejusdem Spiritus sancti essentiæ: nec hoc, nec illud est prius aut posterius.

Capitulum VI.

Quòd in summa Trinitate aliud est ibi esse, aliud Patrem, aliud Filium, aut Spiritum sanctum esse.

Verumtamen in illa summa Trinitate non hoc est ibi generare quod esse, nec hoc est ibi gigni quod esse, nec hoc est ibi procedere quod esse; quoniam non eo quo est, eo Pater est; nec eo quo est, eo Filius est; nec eo quo est, eo Spiritus sanctus est; sed eo quo est, substantia est quæ ibi una est: & eo quo ille tamquam Pater generat, & eo quo iste tamquam Filius gignitur, & eo quo hic tamquam Spiritus sanctus missus procedit; eo non jam una, sed tres ibi personæ sunt: & ita substantia, seu potiùs essentia qua sunt tres, unum sunt; & personalitate qua distinguun-

tur tres, tres sunt. Quoniam quidem, sicut dixi, non hoc est ibi esse, quod Patrem esse; nec hoc est ibi esse, quod Filium esse; nec hoc est ibi esse, quod Spiritum sanctum, seu procedentem esse; sed hoc est ibi esse, quod Deum esse, quod magnum, quod bonum, quod sapientem esse: & illa tria singula singulis sunt propria ac personalia, & hoc unum singulis per se & simul omnibus est substantiale.

CAPITULUM VII.

Quare Spiritus sanctus solus dicatur Spiritus sanctus, & tertia in Trinitate persona, & hoc non gradus dignitate, sed numerandi ordine, & propriæ personæ designatione.

ET Pater quidem Spiritus est, & sanctus est; sed non est is qui Spiritus sanctus est, tertia videlicet in Trinitate persona: similiter & Filius Spiritus est, & sanctus est; sed non est is qui Spiritus sanctus est, tertia videlicet in Trinitate persona. Ita quoque Spiritus sanctus Spiritus est, & sanctus est, & ipse solus tantùm rectè dicitur Spiritus sanctus, & tertia persona in Trinitate. Et fortasse ideo ipse Spiritus sanctus rectè solus dicitur Spiritus sanctus, quoniam solo spiraculo ejusdem Deitatis ambos & seipsum in unam connectit essentiam, unitatem in trinitate, & trinitatem in unitate ineffabiliter distinguendo, mirabiliter conjungendo; ita ut credamus in illa summa unitate & trinitate singulariter distincta & distinctè conjuncta, quod paradoxon, id est, extraneum vel inopinabile est omni humano intellectui. Est itaque Spiritus sanctus coæterna amborum connexio, amborum communio, amborum concordia, amborum caritas, amborum suavitas, amborum sanctitas. Quomodo enim Pater Deus, si non sanctus? & quomodo Filius Deus, si non sanctus? Quòd si hanc sanctitatem Deo Patri, seu Deo Filio subtra-

Digitized by Google

xeris, sublata hac sanctitate, Deitatem quoque abstulisti. Quæ enim vel qualis Deitas, quæ non sancta? nonne imperfecta, si non sancta? nonne prorsus nulla, si non sancta? Quia igitur Spiritus sanctus (sicut dixi) coæterna amborum sanctitas est, rectè ipse Spiritus sanctus dicitur sanctitate communi unum cum Patre & Filio existens, & proprietate personæ Trinitatem complens. Porro ejusdem substantiæ unitas indivisa & simplex & una in se manet æternaliter indivisa & simplex & una in se, nullo umquam numero suscepto; & hoc nobis est unus Deus. Personarum verò pluralitas ab unitate nascendo non temporaliter, sed æternaliter & causaliter, mota, ut ita dixerim, ad dualitatem procedens stetit in Trinitate coæterna coæternè, & sanctæ Trinitatis numero coæternaliter sine omni tempore habito; & hoc nobis est Pater & Filius & Spiritus sanctus, qui licèt tres sint numero, quoniam alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, & una est persona Patris tantùm, & duæ sunt personæ Patris & Filii, & tres personæ Patris & Filii & Spiritus sancti; tamen nullus gradus dignitatis in hac coæterna sibi Trinitate succedenter quærendus est. Nusquam enim in aliqua scriptura eorum qui tractaverunt de sancta Trinitate, sicut puto, reperitur juxta gradum Trinitatis prima Patris persona, secunda Filii persona, licèt de persona Spiritus sancti aliquando inveniatur tertia in Trinitate persona: quod non secundùm gradum dignitatis, sed secundùm distinctam discretæ ac singularis personæ demonstrationem sive designationem dicitur. Non enim ordinata succedente sibi numero in dignitate, sed continua numero est Trinitas & æqualis dignitate, ita ut verè & semper ibi sint continuatim & simul tres personæ; non autem dicantur gradatim prima, secunda, tertia persona, quoniam hoc notat gradum discretæ ac ordinatæ dignitatis: ipse verò numerus per se, videlicet tres, non gradum dignitatis, sed pluralitatem Trinitatis pluraliter significat. Porro cùm dicitur Spiritus sanctus tertia in Trinitate persona, non dicitur respectu pri-

Digitized by Google

mæ vel secundæ personæ, quasi minor dignitate; sed dicitur tertia, id est, ex tribus una, videlicet illius personæ speciali designatione. Unde Augustinus Hipponensis civitatis Episcopus, egregius Doctor, scribens ad Orosium ita dixit: Et Spiritus Domini ferebatur super aquas, qui tertia est in Trinitate Persona. Item idem in libro quæstionum veteris & novi Testamenti, cap. CXIII. Cur Filius Dei missus sit, & non alius: Post Deum Patrem diabolus Deus dici voluerit. quod etiam nunc usque contendit, cùm utique non illum hæc res contingeret, sed esset hic Filius Dei, qui post Patrem Deum secundus est, non natura, sed ordine. Item idem Augustinus in eodem libro cap. CXCV. adversus Eusebium: Spiritus sanctus tertius est ordine, non natura, non gradu, non divinitate, non persona, non ignorantia. sicut enim Filius Dei secundus à Patre est, & divinitate minor non est; ita & Spiritus sanctus sequens à Filio est, non impar, sed æqualis divinitate substantiæ. Item Hilarius Pictaviensis Episcopus, Catholicæ fidei quondam famosissimus ac disertissimus assertor, in libro XII. de Trinitate: Filius ex te Deo Patre Deus verus, & à te genitus, post te ita confitendus ut tecum, quia æternæ originis suæ auctor æternus es. Nam dum ex te est, secundus à te est, secundus, inquam, ex modo existendi, non ex differentia dignitatis; hic quippe à Deo Patre quasi primo loco subsistit, cùm Spiritus sanctus tamquam tertio loco à Patre, secundo autem loco à Filio subsistat. Unde & Hieronymus Presbyter Latinarum & Græcarum & Hebraïcarum litterarum eruditus, Patrem principalem Spiritum ad Filium nominat, opere videlicet illo suo de tribus virtutibus ita loquens: David in Psalmo tres Spiritus postulat dicens: Spiritu principali confirma me. Spiritum rectum innova in visceribus meis. Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Qui sunt isti tres Spiritus? Spiritus principalis Pater est, Spiritus rectus Christus est, Spiritus sanctus ipse Spiritus sanctus est. Itaque Spiritus sanctus tertius est à Patre, secun-

Aug. l. diverſ. quæſt. Oroſii quæſt. 69. & quæſt. 22.

Hilarius lib. 12. de Trinitate ſub fine.

Hieronymus in Commentariis in Pſalmos, & explanatione in hunc verſum Pſalmi quinquageſimi Spiritu principali confirma me.

Digitized by Google

dus autem à Christo secundùm numeri ordinem, ac si diceretur secundùm ordinatam & congruam computationis ordinationem, videlicet juxta ipsum existendi modum & numerandi seriem, quæ in ipsis personis est, non secundùm aliquos earum dignitatis gradus. Pater quippe à nullo est, Filius à Patre solo est, Spiritus sanctus ab utrisque suum esse contrahit. Ideoque nullam, ut ita dixerim, secunditatem naturæ seu dignitatis, sed ordinem tantùm in modo existendi & in ordine dicendi animadvertas. Item Augustinus in libro quæstionum veteris & novi Testamenti cap. XXII. de principio: Nihil differt à Patre Filius, nihil planè differt in substantia, quia verus Filius est; differt autem in causa, vel gradu, quia omnis potentia à Patre in Filio est: & si in substantia minor non est Filius, auctoritate tamen major est Pater, ipso Domino testante & dicente: *Si diligeretis me, gauderetis, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Quem modum custodiens Apostolus Paulus: Unus, inquit, Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso; & unus Dominus JESUS, per quem omnia, & nos per ipsum. Ut primus gradus sit ex quo sunt omnia, secundus per quem omnia, tertius in quo omnia. Et quia nullus de his degener est, in unitate Dei significati sunt, dicente Apostolo: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Postulat itaque ratio, & fides Catholica docet, ut in designatione Trinitatis talis ordo pronuntiationis rectissimè servetur, scilicet Pater, Filius, Spiritus sanctus. Qui enim æquales sunt in dignitate, simul æqualiter dici non possunt in pronuntiatione; & quibus est ejusdem majestatis unitas, est etiam discretæ personalitatis trinitas, sublato omni gradu distinctæ dignitatis, concesso tamen succedenter ordine distinctæ enuntiationis: quem videlicet enuntiationis ordinem in Trinitate ipse Filius Dei qui omnia novit, patenter edocuit, ita loquens ad Discipulos: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,*

Hieron. in ep. 17. in explan. Symb. ad Damasum.

August. & Hier. ibid. & ad Cyrillum epist. 18. in explan. Symb.

Iohan. 14. 28.

Digitized by Google

CAPITULUM VIII.

Quòd nomina Trinitatis transposita inveniantur.

CETERUM aliqui solent præjudicare Spiritui sancto, quòd ideo degener intelligatur, quia in ordine tertius ponitur, cùm tanta simplicitas sit in Scripturis divinis, ut aliquando invenias tertium primum positum: ut enim se causa tulerit, sic & ponuntur. nullius enim injuria est, quia una eorum divinitas est. Denique legimus in Isaia, Domino dicente: *Ego sum primus, & ego in aternum, & manus mea fundavit terram, dextera mea solidavit cælum.* Et in subjectis: *Ego locutus sum, ego vocavi, ego adduxi eum, & prosperum iter ejus feci; accedite ad me, & audite hac, non in occulto ab initio locutus sum. Cùm fierent, illic eram, & nunc Dominus misit me & Spiritus ejus.* Quem itaque putamus esse, qui fundavit terram? Ipse est qui dicit, Ego sum primus, & ipse est qui dicit se missum esse. Numquid Patrem hunc esse putamus, quia dicit, Ego sum primus? Absit; nam quod subjecit, Et nunc Dominus misit me & Spiritus ejus, manifestè ostendit Filium esse, qui se missum dicit à Deo & Spiritu sancto: & tamen dicit, Ego sum primus. Ecce paria sunt ista inter Filium & Spiritum sanctum. Sicut enim à Patre & Filio Spiritus sanctus legitur missus; ita & à Deo & Spiritu sancto missus est Christus: hoc autem solius Patris peculiare est, ne missus dicatur. Videamus quoque dicta Apostoli, qui alio ordine complectitur Trinitatem; dicit enim inter cetera in Epistola secunda ad Thessalonicenses: *Dominus dirigat corda vestra in caritate Dei & patientia Christi.* Quem putas hîc dici Dominum, nisi Spiritum sanctum, qui dirigit corda nostra in caritate Dei Patris mittentis Filium, & in patientia Christi obedientis Patri usque ad mortem? Et ad Corinthios in Epistola prima præterito ordine qui in traditione Fidei est, à Spiritu sancto incipit gratiarum

Isai. 48. 13.
Ibid. 15.
Ibid. 16.
Ibid. 17.
2. Thess. 3. 5.

Digitized by Google

tiarum & ministrationum memorare operationes, & subjungit Dominum JESUM, & tertium ponit Deum, quem in Spiritu sancto & in Domino dicit operari, sicut etiam ait ipse Dominus: Pater manens in me ipse operatur; per id enim quod de Deo Patre est, & Spiritus sanctus & Christus, operatio eorum opus est Dei. Denique Spiritum sanctum eumdem dicit & Dominum, & Dominum eumdem dicit & Deum; & hoc propter unitatem naturæ. Cùm ergo hoc loco eumdem Deum qui est & Dominus, dicat operari omnia in omnibus, inferiùs sic conclusit dicens: *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Ecce transposito ordine nominum personalium in Trinitate tres unius operationis esse dicuntur, quia videlicet uno operante rectissimè tres dicuntur operari. Quare? Nisi quia sunt unius divinitatis, quocumque ordine nomina eorum posita inveniantur. Et David in Psalmo quinquagesimo orat & invocat Deum Spiritum, nominibus trium personarum simplici fide transpositis, credens eamdem tribus divinitatis naturam. *Cor mundum crea in me, Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Spiritum rectum Christum dixit. Item: *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Spiritum sanctum dixit ipsum Spiritum sanctum. Item infrà: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Spiritum principalem Patrem dixit, qui sibi principium est & principalis causa, sive causale principium est Filii & Spiritus sancti. Et Johannes in Apocalypsi: *Ego sum A & Ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est & qui venturus est omnipotens.* Et infrà: *Ego sum primus & novissimus, & fui mortuus, & ecce sum vivens.* Item infrà: Hæc dicit primus & novissimus, qui fuit mortuus, & vivit. Ecce videmus simplicitatem Scripturæ, quomodo transponit nomina Trinitatis, nunc Patrem, nunc Filium, nunc Spiritum sanctum anteponens seu postponens: quod quidem nihil obest Fidei Catholicæ, quæ confitetur tres esse ejusdem naturæ.

1. Cor. 12. 11.

Psal. 50. 11.

Ibid. 12.

Ibid. 13.

Apoc. 1. 8.

Ibid. 17.

Digitized by Google

CAPITULUM IX.

Quòd Pater & Filius & Spiritus sanctus non sint defectiva nomina, sed sufficientia, nullam remissionem vel minorationem secundùm substantiam significantia.

ET sciendum quòd Pater & Filius & Spiritus sanctus nequaquam sunt nomina defectiva, ut quia Pater non est Filius, nec Spiritus sanctus, in hoc sit deficiens; & quia Filius non est Pater, nec Spiritus sanctus, sit & ipse in hoc deficiens; & quia Spiritus sanctus non est Pater, nec est Filius, sit & ipse quoque in hoc deficiens: sed sunt nomina indefectiva & sufficientia, nullam remissionem vel minorationem secundùm substantiam significantia. Dicimus autem hunc Patrem, hunc autem Filium, hunc autem Spiritum sanctum, ut inconfusibile trium hypostaseon, id est, personarum custodiatur in una natura & digna Deitate. Quamvis autem cùm dicuntur tres personæ, Pater & Filius & Spiritus sanctus, juxta vocum significationem pluralitas personarum occurrat intellectui; tamen unitas ejusdem essentiæ à fide & intellectu rectè credentium non debet abesse. Et cùm dicitur unus Deus, quamvis singulariter unitas divinæ essentiæ secundùm propriam vocis significationem occurrat humano intellectui, qui in se minùs est sibi sufficiens; tamen pluralitas personarum nequaquam debet abesse à fide & intellectu rectè credentium: ita ut in corde credamus & ore confiteamur unitatem in divina substantia, salva personarum trinitate, & trinitatem personarum, salva unitate divinæ essentiæ. Et sic nostrum unum non fit Sabellianum, sed Christianum, nec sit in personarum confusa unitate, sed sit in vera & simplici ejusdem substantiæ unitate. Et itidem nostrum tres non sit Arianum, sed Catholicum, nec fit in substantiarum pluralitate, sed in personarum recta distinctione, ne vel in illud Aria-

Digitized by Google

næ, vel in illud Sabellianæ impietatis promunctorium impingentes in profunda dimersi pereamus, ubi multi periclitati sunt, & incautè navigantes naufragium hæreticæ damnationis passi sunt. De fide quidem sæpe & multùm disputantes, sed numquam ad fidei pertingentes veritatem, dum ignorant & ea quæ loquuntur, & ea de quibus affirmant. Quòd si humani sermonis inopia potuisset adinvenire unum solum nomen, quod aptè & sufficienter significaret in Deo unitatem substantiæ, & trinitatem personarum, & hoc pleno ac sufficienti intellectu, nimirum Ecclesia Dei nequaquam adeo laboraret in dicendo & credendo, quæ totiens laboravit, multa verba de Deo sive nomina multiformiter & fideliter exponendo. Nec tamen in sola nudorum nominum, & verborum confessione, sed in ipsa trinitatis & unitatis mera veritate consistit Fides Christiana, & fit ex ipsa veritate; qua verè unus Deus verus est, & verè vera trinitas est personarum, vera & salubris confessio sermonum. Itaque cùm dicitur Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, nemo ibi existimet esse Tritheiam, id est, tres Deitates, vel triplicem Deitatem: quoniam his qui sunt ejusdem naturæ, convenit etiam ejusdem divinitatis & honoris identitas, quod apud Græcos, sicut ego puto, dicitur homotimia. Nec decet Christianos tritheites, id est, trium Deorum cultores, sed monotheites, id est, unius Dei cultores, dici & esse.

CAPITULUM X.

Quòd Spiritus sanctus neque secundùm substantiam quæ communis est, neque secundùm personam quæ ad se dicitur, sed secundùm relationem procedens dicitur.

QUÒD autem interrogasti, utrum Spiritus secundùm eam quæ communis est, substantiam, aut secundùm eam quæ distincta & propria est, personam procedens

Digitized by Google

dicatur: ad hoc ita respondendum. 1. Spiritus sanctus consubstantialis est Patri & Filio; quippe ex eadem & non alia substantia est, quia sicut illis est commune, ut sint unus & idem Deus; ita illis est commune, ut sint una eademque substantia. Attamen nec neque secundùm substantiam, nec secundùm personam, aut Pater ingenitus, aut Filius genitus, aut Spiritus sanctus procedens dicitur. Si enim secundùm substantiam qua unum sunt, Pater ingenitus, & Filius diceretur genitus, & Spiritus sanctus diceretur procedens; tunc utique Pater secundùm eamdem communem substantiam ingenitus & genitus diceretur, & procedens diceretur: & ita fieret quædam nova & confusa commixtio ingeniti & geniti & procedentis; quæcumque enim de divina substantia secundùm substantiam dicuntur, ea tribus oportet esse communia. Si ergo secundùm substantiam diceretur Pater ingenitus, & Filius genitus, & Spiritus sanctus procedens, tribus utique simul oporteret omnia esse communia; ita quòd Pater diceretur simul ingenitus & genitus & procedens, & Filius similiter ingenitus & genitus & procedens, & Spiritus sanctus similiter diceretur ingenitus & genitus & procedens: & sic pro nimia confusione nec personarum distincta trinitas, nec ejusdem substantiæ indivisa staret identitas. Rursus si secundùm substantiam diceretur ingenitus & genitus & procedens, tunc cùm is qui ingenitus est, non sit is qui genitus est, nec sit is qui procedens est; nec is qui genitus est, sit is qui ingenitus est, aut qui procedens est; nec is qui procedens est, sit is qui ingenitus est, aut qui genitus est: jam non una tantùm substantia, sed tres ibi diversæ essent substantiæ, secundùm quas ab invicem differentes, & ille ingenitus, & iste genitus, & hic procedens diceretur; & ita jam non homousion, id est, ejusdem substantiæ, sed heterousion, id est, alterius substantiæ esset Trinitas, ac per hoc in altero quidem confusio & commixtio personarum in Sabellianum barathrum nos projiceret, in altero verò substantiarum pluralitas in Aria-

Digitized by Google

num profundum nos involveret. Non igitur secundùm substantiam Spiritus sanctus dicitur procedens, licèt ejus processio sit substantialis. Porro si secundùm personam Spiritus sanctus diceretur procedens, non minor, sed eadem inde nasci videretur absurditas. In illa enim summa & ineffabili & incomprehensibili Trinitate hoc nomen, persona, ad se dicitur; quidquid autem ad se dicitur, secundùm substantiam dicitur: unde fit ut personam in substantia dici conveniat; manifestum quippe est personam subjectam esse naturæ, nec præter naturam personam posse dici. Ideoque in Trinitate cùm dicimus, persona Patris, nihil aliud dicimus quàm substantia Patris; & cùm dicimus, persona Filii, non aliud dicimus quàm substantia Filii; & cùm dicimus, persona Spiritus sancti, non aliud dicimus quàm substantia Spiritus sancti: quamvis ibi una semper dicatur substantia, tres autem ibi semper sint & dicantur personæ. Quia ergo persona sicut & substantia ad se dicitur, Spiritus sanctus non secundùm personam, sicut nec secundùm substantiam procedens dicitur. Relinquitur ergo dicendum quòd sicut Pater secundùm relativum ad Filium dicitur Pater, & ingenitus ad genitum, & sicut Filius secundùm relativum ad Patrem dicitur Filius, & genitus, & verbum, & imago, & sigillum, & character, & splendor; ita etiam Spiritus sanctus secundùm relativum dicatur Spiritus sanctus procedens, & missus ab utroque mittente, donum ab utroque donante, amor ab utroque amante. Profectò notandum est quid, de quo, & secundùm quid, & propter quid dicatur, quoniam quæ dicuntur ad se, secundùm substantiam dicuntur; quæ autem non ad se, relativè in ipsa personarum distinctione dicuntur: quamvis hoc nomen, persona, propter maximam verborum inopiam ab antiquis inventum, ut serviat huic significationi, qua intelligitur trinitas in ipsa trinitate, non relativè, sed ad se dicatur, sicut & substantia, vel ut potiùs dicatur essentia. Inter alia verò Latini sermonis nomina, ea quæ singulorum singula sunt, quemadmodum Pater & Filius & Spiritus

sanctus, non communiter, sed singulariter dicuntur; quæ autem communia omnium sunt, quemadmodum substantia, Deus, omnipotens, & cetera his similia, non singulariter tantùm, sed & communiter dicuntur. Sicut enim Pater solus Pater, & sicut Filius solus Filius, & sicut Spiritus sanctus solus Spiritus sanctus dicitur, & hoc singulariter; ita sanè simul omnes tres & singuli trium dicuntur Deus, substantia, omnipotens, & cetera hujusmodi, quæ tam singulariter singulis, quàm communiter tribus conveniunt. Et in hunc modum, sicut ea quæ numero & personis differunt, secundùm numerum dissimiliter proferuntur; ita ea quæ nec numero, nec substantiâ differunt, secundùm substantiam eodem modo & non dissimiliter proferuntur.

CAPITULUM XI.

Utrum Filius sicut Pater dicatur rectè Spiritus sancti emissor, quod Græci dicunt provolvens.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Satis placet quod dixisti; sed quæso, concedis quòd Pater Spiritus sancti qui est processibilis, sit emissor, quod Græci nostri vocant *provolvens?* ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Quid sit provolvens, ignoro, quippe non Græcus, sed Latinus sum. Bene autem concedo Patrem emissorem Spiritus sancti, Spiritum sanctum verò emissum; ita tamen quòd etiam Filium dicam similiter ejusdem emissorem. Nam hoc manifestè dicit Evangelium de utroque; de Patre quidem: *Paraclitus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo;* de Filio autem: *Cùm venerit Paraclitus quem ego mittam vobis.* Et infrà: *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Hoc itaque modo dico Patrem emissorem & Filium emissorem esse Spiritus sancti; Spiritum sanctum autem ab utroque emissum, ab uno tamen, idest, à Filio promissum.

Johan. 15. 16.
Johan. 16. 17.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Si

Digitized by Google

Pater emissor, & Filius est emissor Spiritus sancti: ergo sunt duo emissores, quo sunt datores; & ita videntur esse duo principia Spiritus sancti. ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Sicut video, callidè voluisti mihi inducere duo principia, & ea quæ superiùs, cùm de principio tractaremus, determinata sunt, rursus tamquam oblita in quæstionem revocas, ut incautum, & eorum quæ dicta sunt, quasi immemorem capias. Verùm ego duo principia nusquam in divina Scriptura suscipio. Utrum autem duo emissores, seu duo datores rectè dici queant, tua interest dicere, qui induxisti hoc nomen Græcum, provolvens, quod apud nos, sicut tu dicis, sonat, emissor. Quia verò hujus Græci nominis propria significatio incerta est, nihil certum super interim diffinire volo. Sed jam nunc velim ut patienter audias me. Tu Spiritum sanctum dicis non procedere à Filio. Cùm hæc dicis, maximam utrique, Filio scilicet & Spiritui sancto, injuriam facis: nam cùm Pater & Filius se invicem habeant, ut gignens & genitus, & item Pater & Spiritus sanctus se invicem habeant, ut emissor & emissus, & ut donator & donum; dic, quæso, numquid non magnam injuriam facis Filio & Spiritui sancto, quibus nullam ad invicem relationem tribuis, quinimo quos, ut ita dixerim, à socia processionis communione disjungis? Quid enim est quòd Filius aliqua media relatione respiciat Spiritum sanctum, seu Spiritus sanctus Filium, si processionem istius ab illo de medio amborum abstuleris? Sunt sanè, ut ita dixerim, respicientes se Pater & Filius generatione; & sunt rursus, ut ita dixerim, respicientes se Pater & Spiritus sanctus processione: sed Filius & Spiritus sanctus secundùm te manent sine aliqua vicissim communione, vel relationis habitudine, qua se invicem respiciant: & hoc ita dicere, quid aliud est, quàm summam & venerabilem Trinitatem aliquatenus dissolvere?

Digitized by Google

Capitulum XII.

Quòd Spiritus sanctus amborum est sympnia, id est, concordia, & est amborum synevsis, id est, respectio.

NEMPE Spiritus sanctus est amborum sympnia, id est, concordia, & est amborum synevsis, id est, respectio sanctitate propria ac naturali, Patri ac Filio communicans, idem in substantia, non idem in persona, trinitatem in unitate, ut ita dixerim, complens vel complectens, & unitatem propter trinitatem dissolvens. Attende igitur quid dicas, & vide quid sentias, & cave ut sic in Filium & Spiritum sanctum offendas, quatenus utrosque simul & Patrem non perdas. Qui enim peccat in Filium, peccat & in Patrem, & qui offendit in Filium, offendit & in Patrem; ipse namque Filius ita dixit: *Qui me spernit, spernit eum qui me misit.* Item: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Certum est autem, quòd ille non honorificat Filium, qui hunc ei honorem negat, quòd Spiritus sanctus ab illo sicut & à Patre procedat. Rursus certum est quòd ille Spiritui sancto non parvam blasphemiam irrogat, qui hunc à communione Filii, sublata processionis habitudine, fide non sana separat. Ambos ergo offendit, Filium scilicet, quia eum indignum existimat, ut ab ipso Spiritus sanctus *; Spiritum verò offendit, quia ipsum quoque indignum judicat, ut à Filio procedat: & ita in utrosque simul & in Patrem gravissimè peccans, totam Trinitatem blasphemat. Quæ enim major blasphemia in Spiritum sanctum, quàm credere & docere Spiritum sanctum à Filio non procedere? Siquidem quod scriptum est: *Qui peccaverit in Patrem, seu in Filium, remittetur ei; qui autem peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro;* non solùm de Macedoniana hæresi dictum esse videtur, qui dicebat Spiritum

Luc. 10. 16.

Iohan. 5. 23.

* procedat

Luc. 12. 32.

ritum sanctum esse creaturam & non Deum ; verum-etiam de isto blasphemiæ in Spiritum sanctum peccato scriptum esse manifestum est. Quod videlicet peccatum blasphemiæ, seu infidelitatis, seu impatientiæ qui fecerit, nisi resipiscat, neque in hoc sæculo, neque in futuro remittetur, quamvis & alijs multis modis ille locus Scripturæ possit exponi.

CAPITULUM XIII.

Quòd nemo silentio seu patienter ferre debet blasphemum se vocari, sicut nec Dominus, quando dictum est ei, Dæmonium habes; & quòd Spiritus sanctus propter diversos effectus diversa sortitur vocabula.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Satis acutè contexuisti de proposita quæstione; sed quod tandem subjunxisti, scilicet quòd nos qui negamus Spiritum sanctum procedere à Filio, utrique injuriam faciamus, immo totam Trinitatem in hoc offendamus, &, sicut tu dicis, blasphemiam inferamus; hæc æquo animo audire nec debemus, nec possumus, præsertim cùm omne genus increpationis patientiam postulet, hoc autem nullam omnino. Quis enim patienter ferat se vocari blasphemum? Nam Dominus, forma totius patientiæ, postquam omnia verba contumeliosa sibi à Judæis illata audivit patienter, quando eum vocaverunt voracem & potatorem vini, & filium fabri, & alia multa hujusmodi; denique cùm dicerent ei: *Dæmonium habes*; &: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*; respondit: *Ego dæmonium non habeo*: manifestè docens quòd omnia opprobria quæ adversum nos dicuntur, patienter suscipere debemus; nullus verò silentio debet transire, siquando ei imponitur, quòd non * Catholicum, sed * hæreticum putatur, unde ipse à Spiritu sancto alienus & dæmoniorum esse socius videatur. Quapropter ad ea quæ dixisti, ego responde-

Iohan. 7. 49.

* Catholicus
* hæreticus,

bo, sicut & Dominus me docet: Nos in nullo sanctam & individuam Trinitatem offendimus, sed sicut verè Catholici eam in unitate ejusdem substantiæ debito divinitatis honore veneramur, nec divinam substantiam concidentes dividimus, sicut Arius, nec personas confundimus, sicut Sabellius, nec cum Macedonio Spiritum sanctum creaturam dicentes, à Deitate eum * separamus, nec sicut Pneumatomachitæ Spiritum sanctum impugnantes blasphemiam aliquam irrogamus: adoramus quippe Patrem Deum, Filium Deum, Spiritum sanctum Deum, tres personas, Deitatem unam, gloria, & honore, & imperio, & substantia non partitam. Audi adhuc, si Spiritum sanctum blasphemamus: Nos credimus adorandum cum Patre & Filio Spiritum sanctum, unum Deum Deificatorem & vivificatorem, per baptisma spiritum Dei, spiritum Christi, intellectum Christi, spiritum Domini per se Dominum, spiritum Filiationis, hoc est, Filii Dei, vel adoptivæ nostræ filiationis, spiritum veritatis, spiritum liberationis, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilii & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, spiritum timoris Domini. Etenim effectivus horum omnium Spiritus sanctus Deus omnia substantiâ replens, omnia continens, repletivus mundi secundùm substantiam, incomprehensibilis mundo secundùm virtutem, bonus, rectus, principalis, sanctificans; non sanctificatus; vivificans, non vivificatus; mensurans, non mensuratus; participatus, non participans; replens, non repletus; continens, non contentus; hereditatus post Christum ab Apostolis; clarificans, glorificans, connumeratus in Trinitate personarum, digitus Dei, ignis ut Deus, amor, caritas, spiritus qui cognoscit omnia, qui docet, qui spirat ubi vult & quantum vult, dirigens, loquens, tentatus in deserto, irritatus quando Jesus ejecit vendentes & ementes de Templo, conturbatus in resuscitatione Lazari, illuminator, vivificator, magis autem per seipsum lumen, & per seipsum vita, templificativus, deificans, perficiens ut & præ-

* separantes speramus,

Digitized by Google

veniat baptismum per fidem, & exquiratur post baptismum per manus impositionem; agens quæcumque Deus, partitus per gratiam in linguis igneis, dividens charismata, faciens Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores, Doctores; intellectualis, manifestus, magnus, immensus, inprohibitus, incoinquinabilis, qui æqualiter potest, qui sapientissimus & multiformis est actionibus, manifestativus omnium, propriæ potestatis, inalterabilis, omnipotens, *pantepiscopos*, id est, omnium Episcopus, per omnes transiens spiritus intellectuales, puros, subtilissimos, angelicas virtutes, necnon etiam propheticas & apostolicas virtutes, & etiam alias virtutes in alios & alios partitas secundùm idem & non in eisdem locis, quo etiam demonstratur incircumscriptibilis. Quæcumque autem dicuntur humiliùs de Spiritu sancto, ut dari, mitti, partiri, chrisma, donum, insufflatio, repromissio, interpellatio, sive quid aliud tale, ad primam causam reducenda sunt, ut quid ex quo monstretur. Cùm talia de Spiritu sancto credimus & docemus, nullius blasphemiæ inremissibilis reos nos esse confidimus; sed si eum à Filio procedere facilè non credimus, non miteris, quia quantumlibet ratiocinationum adducas, non subitò accedere possumus; præsertim cùm nulla nobis auctoritas Evangelii, vel canonicarum Scripturarum, vel etiam sanctorum Conciliorum hoc ad credendum suadeat, vel doceat.

CAPITULUM XIV.

Quòd nullus sensum Scripturæ, quæ divina meruit appellari, suo sensui, sed potiùs suum sensum illi debet accommodare.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Si auctoritates ad persuadendum tibi hoc expostulas, utinam cùm eas audieris, recto sensu suscipias; sed vereor quòd contingat hoc proverbium de te, quod apud nos dicitur, Lupus positus est ad discendos api-

Digitized by Google

ces; sed ipse semper clamavit agnum, agnum, agnum; non attendens quod foris à docente audivit, sed quod intus in corde gessit. Quòd si tu cor tuum indurasti, & animum tuum obstinatum adeo obserasti, ut quidquid dicatur, tu tamen acquiescere nolis: quid ergo valet quidquid dixerimus? Melius est autem humiliter tacere, quàm inutiliter loqui, & aërem verbis otiosis verberare, quia tempus est loquendi, & tempus est tacendi. Si autem propositas auctoritates ad tuum sensum retorquere niti volueris, & non potiùs tuum sensum divinæ Scripturæ accommodare curaveris, timeo ne fortè in hoc quoque Spiritui sancto adverseris & resistas, dum ea quæ dictante Spiritu sancto scripta sunt, extra intellectum Spiritus sancti temere evertere, & ad tuum sensum retorquere non erubescis, & nos non ad vincendum, sed ad investigandum quid verum sit, convenimus; ita quippe Veritas dicit: *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Et alibi: *Spiritus vitæ* qui erit in vobis, scilicet sanctarum Scripturarum.

Iohan. 6. 64.
Ezech. 10. 17.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Quantum malum sit, intellectum Scripturæ, quæ divina meruit appellari, ad proprium sensum quasi violenta expositione distorquere, ac non potiùs proprium sensum omnino divinæ Scripturæ humiliter mancipare & accommodare, nulli debet esse incognitum qui sacris lectionibus vacare consuevit, & ideo bene monuisti; fac ergo & tu quod tu in me monuisti; & si vis proponere sacras auctoritates, ita eas exponas, ne videaris tuam sententiam, quia tua est, non quia vera est, extorta expositione velle probare; scriptum quippe est: *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum; & qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Sed jam dic, si quas auctoritates habes tuæ sententiæ in proposita quæstione faventes.

Prov. 30. 33.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Hoc adhuc præmittendum videtur, quoniam quamdiu propriis verbis locuti sumus, uterque nostrûm in suo sensu abundare potuit. Sed jam cùm divina verba tracta-

Digitized by Google

re cœperimus, decet ut sine contentione loquamur, & debita reverentia invicem supportantes, Spiritui sancto, qui est auctor divinæ Scripturæ, honorem deferamus, quatenus ipse nobis dignetur veraciter aperire, quod ipse vult nos humiliter & sine contentione investigare. Sunt enim aliqui, quos dum vrget veritas Scripturæ, in disputatione malunt etiam victi litigare, & perversis vocibus veritati reluctari, quàm proprios errores confiteri, qui dum non inveniunt quid tandem respondeant, tacere tamen humiliter ignorant.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Bene dixisti, sed hoc quoque non est silentio prætereundum, ut si fortè alter nostrûm ab altero in exponenda Scriptura dissenserit, quia hoc plerumque sana fide fieri potest, non statim error vocetur quod dicitur, quoniam de una Scriptura sæpe diversi boni intellectus eliciuntur, & nequaquam sunt spernendi, quamvis ad præsentem quæstionem minimè spectare videantur. ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Optimè dicis, tu tantùm benevolus sis, & ad credendum non tardus, nec difficilis; & ne quæras, sicut vulgò dicitur, nodum in scirpo, quia sicut *in malivolam animam non introibit sapientia*, ita in benivolam animam ultro se ingerit divina sapientia. NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Bono animo esto, ego quod credendum est libenter credo, si tamen convenienter ad hoc inductus fuero; sed jam tamen dic.

Sapient. 1.4.

CAPITULUM XV.

Quòd Dominus insufflando dederit Apostolis Spiritum sanctum, nec tamen flatus ille corporeus fuerit Spiritus sanctus, sed processionis ejus significatio; & qualiter intelligendum sit: Accipite Spiritum sanctum.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Dominus JESUS post resurrectionem repræsentans

Digitized by Google

Iohan. 20. 22. se Discipulis suis, *insufflavit & dixit: Accipite Spiritum sanctum.* Quid aliud, quæso, significavit illa insufflatio, nisi quòd procedat Spiritus sanctus & de seipso? Neque enim flatus ille substantia Spiritus sancti fuit, sed demonstratio etiam à Filio procedere Spiritum sanctum. NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Tecum dico, quòd flatus ille corporeus non fuerit substantia Spiritus sancti; sed non tecum dico quòd illa insufflatio fuerit processionis quæ à Filio sit, significatio. ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Si Christo insufflante ac dicente, *Accipite Spiritum sanctum*, Apostoli acceperunt Spiritum sanctum; quare ipsa insufflatio non credatur processionis ejus significatio? Rursus si Spiritus sanctus Discipulis datus est à Filio insufflante, cùm dicit: *Accipite Spiritum sanctum*; dic, quæso, quomodo à Filio donante pervenit in Discipulos accipientes, nisi ab illo procedendo, cum quo semper est, & ad istos perveniendo, quibus tunc in usu muneris datus est? Ut enim Apostoli Spiritum sanctum acciperent, oportuit ut esset qui daret, & sic à dante in accipientes procederet; quamvis tametsi non essent qui acciperent, tamen non minùs esset qui procederet, æterna enim & & substantialis est ejus processio; & ita licèt tunc datum non aptè diceretur, tamen non minùs donum vel donabile dici posset: dicitur enim donum, sive donabile, quod quidem dari potest, quamquam non detur; datum verò non dicitur, nisi cùm datur. Quippe Spiritus sanctus propria naturali essentia, qua à Patre & Filio est, processibilis est, donabilis est, nec est nisi procedendo, nec datur nisi procedendo, nec accipitur nisi procedendo, nec quidquam operatur nisi procedendo. Ideoque cùm dicitur sive à Patre, sive à Filio mitti vel dari, non aliter quàm procedendo dicitur mitti, nec aliter quàm procedendo dicitur dari; ipsius enim donatio sive missio ipsius est processio. Duobus quippe modis procedit Spiritus sanctus à Patre & Filio: est enim una processio ejus æterna, quæ est secundùm affectum, id est, caritatem, qua Pater diligit Filium &

Ibid.

Digitized by Google

Filius Patrem; & est illa processio temporalis, quæ est secundùm effectum, id est, dona ejus quæ dantur hominibus.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Cùm Spiritus sanctus ubique sit per essentiam, nec etiam in cordibus Apostolorum per præsentiam defuerit, quid putas Christum insufflando dedisse, vel etiam Apostolos accepisse, quando ad eos dictum est: *Accipite Spiritum sanctum?* Si enim dicantur accepisse Spiritum sanctum, qui est tertia persona in Trinitate, & qui ubique est, & qui in cordibus eorum jam erat; quomodo rectè dici potest hunc eos tunc accepisse, quem jam habebant, & qui in cordibus eorum jam per præsentiam erat. ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Spiritus sanctus qui à Patre & Filio procedit, qui tertia est in Trinitate persona, qui plenus & perfectus est Deus, qui ubique est, & nusquam deest per divinitatis essentiam, ipse in Apostolorum cordibus fuit per ejus divinitatis præsentiam, quibus tanquam humilibus & electis postea datus est per inhabitantem gratiam. Ita quippe de seipso dicit: *Super quem requiescam, nisi super humilem, & quietum, & verba mea trementem?* Item: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Acceperunt itaque Spiritum sanctum jam fructificantem per inhabitantem gratiam, qui priùs apud illos tamquam sterilis erat, tantùm ubique per divinitatis essentiam; tanquam diceret: Accipite Spiritum sanctum in gratia, qui priùs apud vos erat solâ essentiâ. Accipite in donum, quod priùs apud vos erat tamquam alienum. Accipite in usu & munere, quod priùs apud vos erat sine muneris acceptione. Accipite in effectu spiritualis gratiæ, quod hactenus apud vos erat solâ præsentiâ essentiæ. Accipite per sanctificationem, quod priùs apud vos erat per divinitatis immensitatem. Accipite in virtutum operatione, quod priùs apud vos erat sine alicujus virtutis manifestatione. Sicut si diceretur alicui claros oculos sine visibili spiritu habenti, Accipe oculos ut videas, quos priùs ad videndum non habebas: Et ad surdum

Iohan. 20. 22.

Iac. 4. 6.

Digitized by Google

aures habentem diceretur, Accipe aures ad audiendum, quas priùs habuisti præter audiendi usum: Et ut muto linguam habenti diceretur, Accipe linguam in usum loquendi, quam priùs sine hoc usu habuisti: Et manus aridas habenti diceretur, Accipe manus ad operandum, quas priùs habuisti præter operandi officium: Et claudo pulcros pedes habenti diceretur, Accipe pedes ad ambulandum, quos priùs habuisti præter ambulandi beneficium: Aut si diceretur alicui habenti pecuniam alterius apud se repositam, Accipe hanc pecuniam, & tua sit ad utendum, quæ priùs apud te erat præter omnem tuæ necessitatis vel utilitatis usum. Hoc itaque modo videtur esse dictum: Accipite Spiritum sanctum in usu & in dono spiritualis gratiæ, qui priùs apud vos erat divinitatis immensitate; quamvis tamen ante tam solennem, ac tam manifestam sancti Spiritus donationem omnino non fuerint Apostoli expertes spiritualis gratiæ. Unde Dominus Petro Christum Filium Dei confitenti dixit: *Beatus es, Simon Petre, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis.* Videlicet ac si diceret, per cælestem ac divinam inspirationem hoc accepisti, non humana carnis aut sanguinis revelatione; habebant quippe & alii Apostoli fidem divinitus inspiratam ante datum Spiritum sanctum; sed non tantam, quantam habere oportet eum qui per fidem salvandus est. Quidquid autem minùs habuerunt, hoc per solemnem ac manifestam Spiritus sancti donationem suppletum est. Quidni? Nonne Petrus Apostolorum Princeps, qui cum Christo se dicebat paratum & in mortem & in carcerem ire, subitò ad vocem ostiariæ ancillæ Christum negavit, qui tamen postea post datum Spiritum sanctum, indutus virtute ex alto, Principibus Sacerdotum comminantibus & interdicentibus, ne in nomine Christi prædicaret, fiducialiter respondit: *Oportet nos Deo magis obedire, quàm hominibus.* Et hæc quidem donatio Spiritus sancti primò facta est in terra per insufflationem propter dilectionem proximi, & postmodùm facta de cælo

Matth. 16. 17.

Act. 5. 29.

Digitized by Google

cælo in variis linguis propter dilectionem Dei, ubi etiam aliquatenus instruimur, quòd quia bis datus est Spiritus sanctus, à duobus quoque non bis, sed simul & semel procedere sit credendus; &.de cælo quidem tanquam de Patre qui in cælis est, in terra verò tamquam de Filio qui per humanitatem in terra cum hominibus conversatus est: quamvis idem Filius cùm eum daret, non tunc in terra inter mortales jam mortalis esset, sed post Resurrectionem & ante Ascensionem, ea qua sibi placuit, apparitione Apostolis se manifestaret, Spiritum sanctum eis abunde tribuens.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Cùm de arce summæ Theologiæ sermo est, hujusmodi similitudines rerum corporalium non videntur habere locum, nec oportet ex inferioribus superiorum similitudines suscipere: nec enim potest ad plenum cognosci stabilis natura immobilium ex fluxibili natura mobilium. Sanè spiritualia corporalibus comparare, aut divina humanis adaptare, quid aliud est quàm viventem inter mortuos exquirere?

CAPITULUM XVI.

Quòd aliquando spiritualia corporalibus, aliquando corporalia spiritualibus comparantur.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Fateor quod dicis; neque enim possibile est aliquod assimilatorum pervenire ad commodam & puram veritatem ejus rei, cui assimilatur: similitudo enim numquam ex toto, sed aliqua ex parte inducitur, alioquin jam non similitudo, sed potiùs identitas dicenda esset. Nullum quippe simile est simile cui est simile, nec etiam in rebus corporalibus, si quando sibi invicem ex similitudine aliqua comparantur; sed ita damus vel suscipimus hujuscemodi similitudines tamquam scenicas, non quidem quæ ipsarum rerum puram veritatem exprimant, sed animum audientis ad majorem ipsius rei cognitionem

pertrahant; & fit plerumque per informationem talis doctrinæ cognitum, quod priùs pro magna suæ naturæ altitudine fuit incognitum. Surgit quippe animus per cognita quæ novit, ad incognita quæ non novit. *Et invisibilia per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, & multa in hunc modum. Sicut autem spiritualia sæpe per similitudines corporalium intelliguntur, ita quoque nonnumquam corporalia per spiritualia discuntur. Ita quippe ad Moïsem dicitur: *Vide omnia facias ad exemplar eorum quæ vidisti in monte.* Ubi manifestè jubetur vniversa ad instructionem tabernaculi corporaliter disponere ad similitudinem eorum quæ priùs spiritualiter viderat in monte: ideo doctrinales rerum corporalium seu incorporalium similitudines nequaquam sunt contemnendæ, quamvis ipsarum rerum veritatem ad perfectum nequeant exprimere. Et sæpissime* per intellectus visibiles invisibiliter intrinsecus in invisibili anima nescientis formantur verba, formantur etiam visibiliter visibiles litterarum apices in visibili membrana, & tacendo loquuntur, & loquendo tacent. Et rursus per eosdem apices visibiles formatur invisibilis intellectus in anima legentis; & fit quoque, ut si quando primi intellectus, ad quorum formam iidem apices primò facti sunt, oblivione superveniente deleantur, per eosdem apices inspectos renascantur. Ac ita vicissim ad similitudinem invisibilium intellectuum fiunt verborum sermones & visibiles apices: & iterum ad similitudinem sermonum, seu apicum visibilium, vel novi intellectus invisibiles generantur, vel antiqui invisibiles regenerantur; quamvis tamen visibilia & invisibilia non ejusdem, sed prorsus diversæ naturæ inveniantur. Et Dominus plerumque in parabolis per similitudines locutus est, modò corporalia spiritualibus, modò spiritualia corporalibus comparans. Sanè de creatura ad Creatorem nullam similitudinem ad liquidum adaptandam existimo posse facilè inveniri. NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Satis probo ea quæ de his nunc dixisti; sed si quas adhuc habes auctoritates de processione Spiritus sancti à Filio, propone.

Greg. Hom. 11. in Evang.

Exod. 25. 40.

* *Alius Cod. MS.* Et sæpissime per intellectus visibiles invisibiliter visibiles litterarum apices in visibili membrana & tacendo

Digitized by Google

CAPITULUM XVII.

Quòd muliere fimbriam Domini tangente virtus de illo exibat; & quòd virtutis nomine Spiritus sanctus appellatur, qui ab ipso procedit.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Audi & intende quid Filius dixerit de muliere quæ fluxum sanguinis patiebatur, & quæ tetigit fimbriam vestimenti ejus, & sanata est: *Tetigit me aliquis, ego enim sensi virtutem de me exisse.* Hîc virtutis nomine appellari Spiritum sanctum, clarum est, quod ex eo loco patenter cognoscitur, Angelo docente, ubi ad MARIAM dixit: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Cùm enim præmisisset Angelus, Spiritus sanctus superveniet in te; competenter subjunxit, Et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ut videlicet ostenderet quòd Spiritus sanctus sit idem quod virtus Altissimi. Et ipse Dominus promittens eum Discipulis ait: *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Et iterum: *Accipietis*, inquit, *virtutem Spiritus sancti supervenientis in vos, & eritis mihi testes.* De hac virtute credendus est dicere Evangelista: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Manifestum est itaque Spiritum sanctum & de Filio procedere, nisi fortè id quod luce clarius est, oculis sponte clausis videre nolis, & Scripturam clamantem & se tibi ingerentem surdis auribus sponte velis non audire. NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Si ergo de Patre & Filio, sicut tu affirmas, procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit, De Patre procedit; & de processione ejus à seipso tacuit? ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Cur putas, nisi quemadmodum ad Patrem solet referre, quod ipsius est de quo & ipse est? Unde & illud est quod ait: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Si igitur sic intelligitur ejus doctrina, quam tamen dicit non suam, sed Patris, quantò magis illic intelli-

Luc. 8. 46.

Act. 1. 8.

Luc. 6. 19.

Iohan. 7. 16.

Digitized by Google

gendus est & de ipso procedere Spiritus sanctus, ubi sic ait, De Patre procedit, ut non diceret, De me non procedit? A quo autem habet Filius ut sit Deus? est enim de Deo Deus. Ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus, ac per hoc Spiritus sanctus, ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. Quod etiam convenienter & manifestè insinuatur in Evangelio, ubi ait: *Quem ego mittam vobis à Patre;* ostendens Spiritum sanctum & Patris esse & Filii. Qui etiam cùm dixisset, *Quem mittet Pater*, addidit *in nomine meo;* non tamen dixit, Quem mittet Pater à me, quemadmodum dixit, *Quem ego mittam vobis à Patre.* Videlicet ostendens quòd totius divinitatis, vel si meliùs dici potest, deitatis principium Pater est, qui & auctor generationis & processionis est. Qui ergo procedit à Patre & Filio, rectè ad eum refertur à quo natus est Filius. Est ergo Spiritus sanctus virtus Altissimi, Patris scilicet; est & virtus Filii, qui & ipse Altissimus est: & quoniam amborum est, ab ambobus etiam procedere rectè credendus est, quia sicut non unius eorum, sed amborum est communio, ita non ab uno eorum, sed ab ambobus est ejus processio.

Iohan. 15. 16.

Ibid. 15. 16.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Confitemur quòd Spiritus sanctus amborum est, habemus quippe ipsum Dominum dicentem: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Habemus & Apostolum dicentem: *Si Spiritus ejus qui suscitavit* JESUM *ex mortuis, habitat in vobis;* hîc nempe spiritum Patris intelligi voluit. Item Apostolus: *Misit*, inquit, *Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater.* Et alio in loco: *Quisquis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Propter hæc itaque & multa alia testimonia quibus instruimur bene, sicut dixi, confitemur Spiritum sanctum qui in Trinitate tertia persona est, Patris esse & Filii: nec tamen ab utroque eam procedere fateri audemus, quia fortasse aliud est eum à Patre esse, & aliud est eum procedere.

Matth. 10. 20.

Rom. 8. 11.

Gal. 4. 6.

Rom. 8. 9.

Digitized by Google

CAPITULUM XVIII.

Quòd Spiritui sancto hoc est esse à Patre, quod procedere à Patre; ita ei hoc est esse à Filio, quod procedere à Patre.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Spiritus sanctus qui à Patre est, & qui à Patre procedit, aut eo est à Patre, quo procedit à Patre; aut eo non est à Patre, quo procedit à Patre. Quòd si eo quo est à Patre, eo etiam procedit à Patre: quare similiter eo quo est à Filio, non etiam procedat à Filio? eo enim quo est à Patre, eo est & à Filio; & eo quo est à Filio, eo est & à Patre. Ideoque cum esse à Patre & à Filio, consequenter dat ei procedere à Patre & à Filio, nisi fortè quis audeat dicere, quòd aliud esse habeat à Patre, & aliud esse à Filio; quod prorsus insani capitis est dicere. Non enim habet aliud esse à Patre, & aliud esse à Filio, nec habet aliam processionem à Patre, & aliam à Filio; sed unum & idem esse, & unam eamdemque processionem tam à Patre quàm à Filio habet. Neque enim bis est, neque bis procedit, neque duo esse, neque duas processiones habet, neque etiam, quod impiissimum est dicere, duo Spiritus sancti procedentes sunt. Sicut autem certum est eum esse à Patre, nihil aliud esse quàm procedere à Patre; ita nulli dubium esse debet eum esse à Filio, nihil aliud esse quàm procedere eum à Filio: substantialis quippe est ejus processio. Si autem das ei aliud esse à Patre, & aliud procedere à Patre, profectò eum à seipso diversificas, cui certè nihil aliud est à Patre esse, quàm à Patre procedere. Procedendo enim à Patre est, & existendo à Patre procedit substantiali processione & processiva sive processibili substantia. Proinde ostende, si potes, Spiritum sanctum habere aliud esse à Patre, aliud esse à Filio; & iterum ostende, si potes, aliud esse eum esse à Patre & Filio, & aliud esse eum procedere: & sic eum à seipso diversificasti, & ita sanam fidem quæ de Spiritu sancto

Digitized by Google

est, satis impudenter evacuasti. Rursus si idem est ei à Patre esse quod procedere, tunc si à Filio idem est ei esse quod à Patre, à Filio quoque procedit sicut à Patre. Quòd si à Filio non procedit, à Filio quoque non est ei idem esse quod à Patre. Quòd si non est ei idem esse à Filio quod à Patre; ergo aut aliud esse, aut omnino nullum esse habet à Filio: quod utrumque absonum est. Si autem à Filio non est, nec à Patre est, unum quippe sunt Pater & Filius. Si autem à Patre non est, nec à Patre procedit. Iterum: Si quia possibiliter * à Patre est, à Patre procedit; simili ratione quia possibiliter * à Filio est, à Filio quoque procedit. Par enim vel potiùs idem est Spiritui sancto à Patre esse, & à Filio esse, & à Patre procedere, & à Filio procedere, quia scriptum est de illo: Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur. Unde igitur audiet, inde loquetur; & unde loquetur, inde procedit. Itaque unde illi essentia, inde illi audientia, & unde illi audientia, inde illi scientia, & unde illi scientia, inde illi processio; & ita eum à Patre & à Filio esse, est ab utroque existendo, audiendo, sciendo procedere. Quare autem esse Filii à Patre dicatur nasci à Patre, & esse Spiritus sancti à Patre & à Filio non dicatur nasci, sed procedere, & quæ differentia sit inter esse quod est nasci, & inter esse quod est procedere, difficillima quæstio est; quamquam & ipse Filius dicatur procedere à Patre, sicut ibi: *Exivi à Patre, & veni in mundum.* Et iterum: *Ego processi à Patre*; quæ tamen processio, scilicet Filii, omnino alia est, differens à processione Spiritus sancti. Filius enim sua propria missione ac processione nascendo mittitur, & nascendo procedit à Patre; & Spiritus sanctus sua propria missione ac processione procedendo procedit, & procedendo mittitur tam à Filio, quàm à Patre. Vide igitur quid dicas, & cave ne sic processionem Spiritus sancti à Filio neges, ut etiam esse quod habet à Filio, convincaris ei auferre. Quia enim eum Spiritum sanctum esse, & eum procedere, idem est, quicumque negat eum procedere à Filio, ne-

* processibiliter

* processibiliter

Iohan. 16. 28.

Iohan. 8. 42.

Digitized by Google

gat eum & esse à Filio; & qui negat eum esse à Filio, negat etiam eum esse à Patre, unum quippe sunt; & qui negat eum & esse, seu procedere tam à Filio, quàm à Patre, negat eum Spiritum sanctum esse: & ita consequenter nihil aliud est hoc & illud dicere, quàm totam Trinitatem dissolvere. Quod quàm sit iniquum & impium, tu videris.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Hoc primum respondendum puto, quoniam qualis Pater, talis Filius, talis est Spiritus sanctus, & hoc secundùm substantiam; sed non qualis est Patris generare, tale est Filii generari, nec tale est Spiritus sancti procedere. Et quamvis, sicut tu paulò ante dixisti, non sit facile ad investigandum, nec sit possibile ad diffiniendum, qualiter vel Pater generet, vel Filius generetur, vel Spiritus sanctus procedat; tamen hoc non temere dicitur, quoniam aliter hic generat, & aliter hic generatur, & aliter hic procedit. Attamen nullatenus aliqua actio vel passio circa hæc existimanda est. Et licèt idem substantialiter sit Patris esse & Filii esse, & Spiritus sancti esse; tamen aliud est personaliter tantùm Patrem esse, & non Filium, & non Spiritum sanctum; & aliud est personaliter tantùm Filium esse, & non Patrem, & non Spiritum sanctum; & aliud est personaliter tantùm Spiritum sanctum esse, & non Patrem aut Filium: illud enim ejusdem substantiæ in tribus notat identitatem, hoc autem in eisdem tribus personalem distinctionem. Proinde cùm tu argumentando investigas, utrum Spiritui sancto sit idem esse à Patre & à Filio; & iterum inquiris, utrum sit ei idem esse, & idem procedere; & ita probare niteris, quòd sicut ei ab utroque idem est esse, ita quoque ab utroque sit ei idem procedere: cùm hoc, inquam, dicis, hoc nimirum attendere debueras, quòd licèt Spiritus sanctus amborum sit, & ab ambobus sit, tamen ab ambobus non videtur æqualiter esse, ideoque nec æqualiter procedere. A Patre quippe est, tamquam ab eo qui à nullo est, & qui à nullo habet quod Spiritus sanctus ejus est, & quod ab eo est;

Digitized by Google

à Filio autem est, tamquam ab eo qui à Patre est, & qui hoc ipsum à Patre habet, quod Spiritus sanctus ipsius quoque est, & ab ipso etiam est; & ita videtur quòd Spiritus sanctus amborum quidem & ab ambobus sit veraciter, non autem quòd amborum sit æqualiter, vel ab ambobus procedat æqualiter.

CAPITULUM XIX.

Utrum Spiritus sanctus æqualiter procedat à Patre, sicut & à Filio, cùm Pater à nullo, Filius autem à Patre sit; & similitudo de Adam primo plasmate, & de Æva plasmatis decisione, & de Abel utriusque decursione.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Pater qui à nullo est, nec à Filio, nec à Spiritu sancto quidquam habet; sed nec Filius qui à Patre est, à Spiritu sancto quicquam habet. Habet autem omnia à Patre Filius, etiam ut sit Deus; est enim de Deo Deus, & habet ab illo, ut etiam de seipso procedat Spiritus sanctus. Porro Spiritus sanctus habet ab ipso Patre, ut procedat etiam à Filio, sicut procedit à Patre; & ita quidquid est Filius, seu quidquid habet Filius, & quidquid est Spiritus sanctus, ab ipso Patre principaliter totum est. Qui Pater tamquam auctor & principium generationis & processionis à nullo est, & à nullo quidquam habet, & fortasse ob hoc putatur quòd Spiritus sanctus nec amborum sit æqualiter, nec ab ambobus procedat æqualiter. Sed quid hoc? Nostra disputatio suscepta est, non qualiter ab utroque, sed utrum ab utroque Spiritus sanctus procedat. Quod ubi concessum fuerit, consequenter, si placet, de hoc etiam investigandum est. Attamen hoc velim; ut ad hoc ipsum breviter intendas, quia tibi placet. Dico autem quòd nequaquam videtur auferre Spiritui sancto, quantùm ad seipsum, æqualitatem existendi & procedendi

cedendi ab utroque, quod alter à quo est, & à quo procedit, scilicet Pater à nullo est, alter verò à quo similiter est, & à quo similiter procedit, scilicet Filius à Patre est, quia nec prius, nec posterius, nec minus, vel plus propter hoc ab altero est, vel procedit; sed simul & semel ab utroque nullo inæqualitatis modo, sed æqualiter, id est, cognita sibi æqualitate æternaliter procedit: quamvis tamen à nonnullis videatur bene posse dici, quòd magis propriè sit & procedat à Patre, tamquam à prima causa, quàm à Filio, cujus ipse est causa. Cùm enim dicitur, Pater à nullo est, & Filius à Patre est; nequaquam intelligenda est ibi prioritas seu posterioritas, aut in hoc majoritas, aut in illo minoritas; sed in utroque ejusdem majestatis æqualitas. Et licèt Pater nullam habeat sui causam, & Filius Patrem habet sui causam, tamen eadem potestas & gloria est, ut ita dixerim, causati & incausati, id est, habentis causam, & non habentis causam; & ita qui ejusdem æternitatis, majestatis, potestatis, virtutis, voluntatis, æqualitatis sunt, quomodo non æqualiter, sed inæqualiter Spiritum sanctum à se procedentem emittant? Substantialis quippe est Spiritus sancti processio, sicut & substantialis est Filii generatio. Quod ita par qualecumque simile potest videri, Adam per se, id est, sine causa ulla generante, solius Dei plasma fuit: Æva ejusdem plasmatis, tamquam causæ præcedentis decisio fuit, Abel ab utroque non plasmatione, nec plasmatis decisione, sed naturali humanæ generationis decursione descendit. Adam homo, Æva homo, Abel homo, ideoque homoousion, id est, similis substantiæ vel ejusdem naturæ, sed nec qui Adam, Æva vel Abel, nec quæ Æva, Adam vel Abel, nec qui Abel, Adam vel Æva. An non putas Abel æqualiter quantum ad se generatione descendisse tam à Patre Adam, qui à nulla generante seu decidente causa erat, quàm à matre Æva, quæ ab ipso Adam tamquam à causa non generatione, sed decisione descenderat? Sicut enim verum est Adam & Ævam Abel simul & semel genuisse, ita similiter

verum est Abel ex eis æqualiter quantum ad se genitum esse; & licèt inter generantes aliqua possit assignari dissimilitudo, videlicet plasma & plasmatis decisio, tamen in generato ejusdem generationis non dissimilis, sed eadem est decursio, nec priùs Adam pater, quàm Æva mater, sed simul & ille pater & illa mater, & simul Abel utriusque filius ab utrisque æquali nativitatis decursione descendens. Et quòd Æva est ab Adam decisione, non impedit, quin Abel ita sit filius unius sicut & alterius, & non plus minusve unius quàm alterius. Habet quidem Æva ab Adam quod est decisione, & habet ab eo quod Abel qui filius Adam est, ipsius quoque Ævæ filius est generatione: ac per hoc id quod ipsa mater est Abel ejus quem genuit, habet ab Adam, qui & ipse pater est ejus quem genuit Abel. In hac autem proposita similitudine tamquam in scena contemplari oportet. Nemo itaque dicat Spiritum sanctum aliter, id est, procedendo à Patre esse, & aliter id est, non procedendo à Filio esse, quamvis Pater à quo est, & à quo procedit, à nullo sit, & Filius à quo similiter est, & à quo similiter procedit, à Patre sit: nam sicut superiùs disputavimus, Spiritus sanctus ab utroque idem habet esse, & idem esse est ei ab utroque, procedere tam veraciter, quàm ineffabiliter; & hoc ita credere tam est necessarium fidei, quàm proximum saluti.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Secundùm ea quæ suffragio rationis contexuisti, neque videtur absurdum, quòd Spiritus sanctus idem esse habeat à Patre & à Filio, nec tamen videtur ob hoc adhuc probatum, quòd ab utroque vel æqualiter, vel inæqualiter procedat. ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Quoniam concedis & idem esse ab utroque, necesse quoque est te fateri idem ei esse procedere ab utroque; præsertim cùm satis evidenter superiùs ostensum sit, ei idem ab utroque esse, quod ab utroque procedere, & idem ab utroque procedere, quod ab utroque esse: proinde sicut Patris est, ita &

Filii est, nec aliter Patris, & aliter Filii est. Est autem Patris procedendo ab ipso, cujus equidem esse quod habet tam à Filio, quàm à Patre, nihil aliud est, quàm ab utroque procedere. Adhuc audi. Concedis quòd Spiritus sanctus à Filio mittitur, scio quòd concedis, quia manifestè hoc legitur in Evangelio, nisi fortè aliqua impietas hoc à vestris codicibus, quod minimè puto, subtraxerit: *Quem*, inquit Filius, *ego mittam vobis*. Concedis etiam quòd ab eodem Filio, cujus equidem idem ipse est, accipiat & annuntiet. Nam & hoc est in Evangelio, nisi fortè abrasum est, ut dixi, in codicibus Græcorum: *Ille*, inquit, *de meo accipiet, & annuntiabit vobis; nec enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur.* NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Omnia hæc concedo, videlicet quòd ab eo est, quòd ab eo mittitur, quòd de suo accipiat & annuntiet, quòd ab illo audiat, quòd ab illo loquatur, hæc omnia docente Evangelio concedo: sed processionem ejus à Filio, quam Evangelium non docet, ego non doceo, nec docere præsumo. ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Valde miror prudentiam tuam, quòd hoc verbum, *procedit*, tantùm abominaris de Spiritu sancto à Filio, cùm æquipollentia & idem significantia habeas in Evangelio, & ex Evangelio securus concedas. Quid enim aliud est, aut etiam quid aliud esse potest à Filio ejus missio, quàm ab ipso ejus processio? Si quidem illo mittente, consequens est dicere istum ab illo à quo mittitur, missum procedere, nec tamen ab hoc missus abest à mittente, nec elongatur, semper præsens à semper præsente. Rursus qui illius est, & qui totum quod est à Patre, ita ab illo est, & sicut à Patre, ita ab illo habet: quomodo ab illo non procedere putandus est, cùm, sicut sæpe dictum est, ejus procedere nihil aliud sit, quàm ejus esse, & ejus esse nihil aliud sit, quàm ejus procedere, & ejus audire & ejus loqui nihil aliud sit, quàm ejus esse & ejus procedere, & hoc totum non à seipso? Procedendo enim est, & existendo procedit, cujus est esse, processibilem esse. Est

Iohan. 16. 13.

Digitized by Google

ergo, sicut ex his omnibus quæ data sunt, indubitanter colligitur, Spiritus sanctus Patris, & est Filii, est à Patre, & est à Filio, mittitur à Patre, mittitur & à Filio, & ita procedit à Patre, procedit & à Filio. NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Negare non possum, quin & rationibus & auctoritatibus usquequaque exquisitis & satis convenienter inductis, id quod proposuisti, videaris probasse, & ego Spiritui sancto nollem resistere; sed volo ut adhuc audias, quod me vehementer movet, & quod me ab hoc verbo processionis vehementissimè exterret. Dominus noster JESUS CHRISTUS Salvator generis humani, conditor Fidei, conditor Evangelii, amator nostræ salutis, fidem sufficientem ad omnium salutem Apostolis instituit: non enim esset sufficiens Salvator, nisi fuisset sufficiens Doctor; nusquam verò de processione Spiritus sancti à Filio quidquam dixit, quemadmodum de processione ejusdem à Patre: unde valde temerarium mihi videtur, quòd aliquis Fidei Christianæ ad plenum jam conditæ, & ad salutem sufficienti aliquid addere, vel etiam demere præsumat, maximè in fide sanctæ Trinitatis, & videtur mihi quòd Evangelio debitam reverentiam deferentes, verbum processionis quod ascriptum est Spiritui sancto, quòd procedat à Patre dicamus. Quia verò eidem Spiritui sancto non est ascriptum, quòd procedat à Filio, nequaquam dicamus: sic enim videtur, ut tutè ambulemus in Fide, nihil addentes, nihil dementes, sed simpliciter quod ex Evangelio docti sumus, tenentes; sicut enim in tantum est aliquid demere, ita periculosum est aliquid addere.

CAPITULUM XX.

Quòd sicut in Evangelio non invenitur, Spiritus sanctus procedit à Filio; ita quoque in Evangelio nequaquam reperitur, Spiritus sanctus non procedit à Filio; nec invenitur quòd à solo Patre procedat.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Sicut tuam decet maturitatem & tanti viri prudentiam, locutus es: verumtamen nequaquam trepidandum est, ubi timor non est; sed sta hìc, & his quæ dico, diligenter intende. Si vereris dicere quòd Spiritus sanctus procedat à Filio, quia in Evangelio verbum hoc, procedit à Filio, minimè in loco scriptum est, dic, quæso, qua fronte quave temeritate non formidas dicere hanc negativam processionis, videlicet, non procedit à Filio, cùm hoc in ullo loco Scripturæ, nec usquam in Evangelio scriptum reperiatur? Quare non taces, ubi, sicut tu putas, tacet Evangelium? Unde tibi illud non negativum, quod te non docet Evangelium? Quis umquam tibi persuadere potuit, ut diceres, non procedit à Filio, cùm Evangelium hoc non dicat; & non potuit tibi persuadere, ut diceres, procedit à Filio, cùm & hoc Evangelium non neget nec prohibeat? Veneraris Evangelium, ut non audeas dicere, procedit à Filio; & non veneraris Evangelium, ut non audeas dicere, non procedit à Filio. Ibi times, ubi non est timendum; & ibi non times, ubi est timendum. Fateor tibi hoc verbum, procedit à Filio, in illo loco Scripturæ apud nos non ita simpliciter inveniri; & necesse est te quoque fateri, quòd hoc verbum, non procedit à Filio, nusquam in eodem loco inveniatur. Quid ergo? disputabimus de verbis nunc hoc, nunc illud significantibus? Decetne nos sequi litteras, seu syllabas, seu dictiones, relicta rerum veritate? Magis autem relinquamus hoc pueris in Grammatica &

Digitized by Google

Dialectica ludentibus ; at verò nos magis sententiam investigare, quàm verbis inhærere oportet. Proinde Spiritum sanctum aut à solo Patre, aut à non solo dicis procedere. Si à solo Patre dixeris, hoc certè ex Evangelio non habes ; si autem à non solo dicere elegeris, oportet ut sicut à Patre, ita quoque à Filio, seu ab alio nescio quo eum procedere fatearis: sed fortasse nec hoc, nec illud eligere audebis, præsertim cùm neutrum inveniatur in Evangelio, cui tu nihil prorsus addendum opinaris. Relinquitur ergo ut nos libera fide, tam sine contradictione Evangelii, quàm sine contradictione tua dicamus Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere. Cùm enim Evangelium à Patre, & non à solo Patre dixerit, satis liberè à non solo Patre, sed etiam à Filio dicendum concessit. NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: In hoc quod tu dicis, procedit à Filio, & in hoc quod tu dicis, procedit à Patre non solo, cogis me dicere, procedit à Patre solo ; & cogis temere & extra Evangelium hoc negare, quod tu temere & extra Evangelium videris affirmare : non enim dicentis magis sunt sermones, quàm dicere cogentis.

CAPITULUM XXI.

Quòd nihil cum temeritate sit affirmandum, & nihil cum iracundia refellendum.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Tale fuit illud Platonicum dogma in scholis Academicorum: Sine temeritate affirmare, & sine iracundia refelli; est enim ratio fallax, quæ nonnumquam similitudine veri fallitur, & est ratio non fallax, qua veritas rerum certa scientia comprehenditur. Et sicut illa quæ fallax est, ratio justè sine iracundia refellitur, sic ea quæ non fallax est, ratio non superba temeritate, sed humili assertione, & laudabili humilitate rectè defenditur. Itaque temeritatem tuam, non meam ac-

Digitized by Google

cusare debes, quia ego hanc processionem Spiritus sancti à Filio, de qua tractamus, tam multis testimoniis Evangelii & aliarum Scripturarum probatam habeo, & sine temeritate non fallaci ratione astruo, & fideliter credo; tu autem negationis nullam Evangelii vel aliarum Scripturarum auctoritatem habes, vel habere potes: ideoque tua temeritas potiùs accusanda est, cùm temerè negas quod nec Evangelium, nec alia Scriptura negat, & temere improbas quod utrum probandum, vel improbandum sit, ignoras; non autem accusanda est mea fides quam affirmo & quam scio, & quam testimonio Scripturarum nulla temeritate, sed Spiritu sancto adjuvante probo. Itaque sicut ego id quod certum est, non temere astruo, sed fideliter credo, & ad credendum veraciter probo; ita tu quoque id quod tibi incertum est, sine iracundia sustine refellendum. Igitur aut mecum tandem confitere, quòd Spiritus sanctus procedat etiam à Filio; aut si nondum audes, quia forsitan nimis pusillanimis es, & trepidas ubi non est timendum: saltem hoc fac, ut me confitente tu taceas, & non denega hoc impudenti negationis monosyllabo verbulo *non*, de quo tu dubius & incertus es, & quod ego certus & securus affirmo. Si autem tu vis respondere, hoc responde, te videlicet omnino nescire, utrum Spiritus procedat, vel non procedat à Filio: & tunc rectè respondisti, tuam quidem ignorantiam interim confitendo, meam autem fidem non negando. Quod enim quis ignorat, quomodo de hoc rectè judicat? Tu autem jam de hoc tuam ignorantiam diffiteri non potes.

Cesset igitur & de hoc judicium tuum, & jam ampliùs hoc quod tibi incertum est, negare non præsumas, quod hactenus tamquam nescius temere solebas negare. Quippe incongruum est, ut is qui secus viam errat, & errare se ignorat, ambulantem in via scienter & rectè corrigere contendat; & is qui dubius est, ei qui dubius non est, dubietatem inferat: nisi fortè illa Academicorum fallax sententia adhuc apud vos, vel apud ali-

Digitized by Google

quos vestrûm stat, qua ipsi putabant summam esse sapientiam exquisitam, omnium rerum ignorantiam, unde & magistri ignorantiæ appellati sunt, quoniam ad omnium quæstionum solutionem ita consueverant respondere. Quid si falleris? Unde & quidam illorum sapiens dictus Aristoteles dicit: Dubitare de singulis haud erit inutile.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Sapientes Græcorum numquam opinionem pro veritate suscipiendam dixerunt, & potiùs elegerunt de ambiguis circa fidem humiliter dubitare, quàm aliquid temere diffinire: quoniam quidem quod residuum est, vel Scriptura minùs dicente, vel humano intellectu ad capiendum minùs sufficiente, igni Spiritus sancti tradendum videtur: homines enim sumus, unde aliter aliquid sapere, quàm se res habet, humana tentatio est; nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus usque ad præcidendæ communionis, vel condendi schismatis, vel hæresis sacrilegium prævenire diabolica præsumtio est. In nullo autem sapere aliter quàm se res habet, angelica perfectio est. Ergo quia homines sumus, & plerumque fallimur & dubitamus. Interim caveamus diabolicam præsumtionem, donec perveniamus ad angelicæ sententiæ perfectionem; siquidem majores nostri hujus processionis verbum affirmativum, *procedit à Filio*, humiliter hactenus vitaverunt, ignorantes quidem rei veritatem, & caventes vocis temeritatem; verbum verò negativum, *non procedit à Filio*, etiam numquam dixerunt, metuentes errorem, & fugientes offensionem Scripturæ neutrum manifestè dicentis, nisi fortè irritati, & aliquorum Latinorum hoc temere affirmantium improbitate commoti, qui in supercilio suo ad nos venientes, & in sublimitate sermonis gradientes, & aërem clamosis disputationibus verberantes, scientiolam suam voluerunt ostendere, & conati sunt fastu superbiæ magnam Græcorum sapientiam sophisticis nebulis obfuscare, vel etiam, si possent, opprimere: quibus nec ad horam quidem cessimus, sed

sed semper confusione plenos, sicuti digni erant, remisimus. Tu autem, carissime serve Dei, quoniam verbum hoc, quod potest salvare animas nostras, humiliter & in mansuetudine dicis, & item quod nos dicimus humiliter, & in mansuetudine suscipis, nec contentioni, sed rationi & auctoritati subservis. Idcirco tuam dulcedinem libenter audimus; & ut verum fatear, tibi hoc in hac nostra disputatione concessum est, quod nulli Latinorum ambulanti supra se, & extollenti se adversus scientiam Dei, hactenus in hac urbe regia in publico conventu concessum est. Verùm adhuc procedamus.

Quidnam est quòd in Nicæno Concilio primo, cui interfuerunt trecenti decem & octo Patres, nihil de processione Spiritus sancti à Filio tractatum est? Sanè Symbolum in illo Concilio compositum, & tantorum Patrum auctoritate roboratum; nihil hujusmodi continet: quidquid autem continet, hoc ita clarè anathematis seratum est, ut nihil addi, nihil auferri sine maximo Ecclesiæ scandalo & animæ periculo possit. Quomodo ergo illud anathema te putas effugere, qui non times processionem Spiritus sancti à Filio ibi priùs non dictam inducere, & Fidei superaddere: si tamen Nicænum Concilium omnibus Catholicis venerabile suscepisti?

Capitulum XXII.

Quòd non sit temerarium aliquid addere Evangelio, quod non sit contra Evangelium: sicut in Nicæno Concilio & in multis aliis Conciliis factum est.

Anselmus Havelbergensis Episcopus dixit: Symbolum Nicæni Concilii debita veneratione amplector, & ejusdem Concilii XXII. Capitula, quæ ad nos per exemplaria pervenire potuerunt, sicut Catholicus suscipio. Sed cùm processionem Spiritus sancti à Filio, quæ ibi non prohibetur, affirmo, nihil contrarii doceo vel appono, unde illud anathema mihi sit formidandum: hoc enim sub anathemate ibidem in-

hibitum est, ut nihil quod contrarium sit, illi Symbolo addatur; non autem prohibitum est, ut nihil aliud doceatur.

Nec enim aliter, sed aliud doceri permittitur; tu autem cùm sis litterator Evangelii, & superiùs asseruisti, dicas quòd Fides à Domino JESU in Evangelio statuta sufficiat credenti ad salutem, quàm qui vel augeat, vel minuat, in utroque prævaricatorem evangelicæ Fidei se constituat, & nolis vel unum iota, vel unum apicem addere, vel demere, vel etiam mutare, aut sensum evangelicæ Scripturæ aliis verbis eumdem sensum significantibus exponere. Dic mihi, quomodo umquam potuit tibi persuaderi, ut reciperes Nicænum, seu aliquod aliud Concilium, cùm in omnibus ferè generalibus Conciliis tam multa Christianæ Fidei necessaria statuta sint, quæ in Evangelio minimè repeṙiuntur? Dic etiam, si processionem Spiritus sancti à Filio non vis recipere ea sola ratione, ne videaris Evangelio aliquid, quod ibi patenter non sit scriptum, addere? Quare non eadem ratione respuis Fidem Nicæni Concilii à Catholica Ecclesia probatam & susceptam, cùm utique eadem Fides nusquam in Evangelio ita distincta & exposita inveniatur? Credis in Patrem & Filium & Spiritum sanctum? adoras Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unum Deum in substantia, trinum in personis? Credis in Patrem & Filium & Spiritum sanctum sanctam Trinitatem, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem essentialem & consubstantialem, coæternam & omnipotentem, unius voluntatis, potestatis, & majestatis, Creatorem omnium creaturarum?

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Credo, quia non Arianus, sed Christianus sum.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Credis singulam quamque in Trinitate sancta personam, unum verum Deum, plenum & perfectum?

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Ita credo, quia Catholicus sum, non Sabellianus: & hæc est Fides rectè credentium, ut nec cum Arianis substan-

Digitized by Google

tiam in Deo dividamus, nec cum Sabellianis personas confundamus.

Anselmus Havelbergensis Episcopus dixit: Non irascatur, quæso, fraternitas tua, neque indignetur, si adhuc paululum interrogavero, quoniam non ideo quæro, ut tamquam insidiator in responsione tua observem te; sed ut aliquid discam à te, vel si fortè fieri potest, ut tu discas aliquid ex me, & invicem ignoscamus, & cognoscamur de Fide tua atque mea.

Nechites Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Interroga liberè quod vis, quia gratum habeo.

Anselmus Havelbergensis Episcopus dixit: Credis ipsum Filium Dei Verbum Dei, æternalem, natum de Patre, consubstantialem, omnipotentem & æqualem Patri per omnia in Divinitate, temporaliter natum de Spiritu sancto & Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum & hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, non phantasticum, unicum & unum Filium Dei in duabus & ex duabus naturis; sed unius personæ singularitate, impassibilem & immortalem in Divinitate; sed in humanitate pro nobis & pro nostra salute passum vera carnis passione.

Nechites Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Hæc omnia credo & suscipio, quia post Nestorianam hæresim, qui duas in Christo putavit esse personas, & post Eutychianam hæresim, qui unam tantùm in Christo putavit esse naturam, & postquam plurimos errores in hac tua propositione breviter & distinctè per singula verba sopitos ita sanxit sancta mater Ecclesia.

Anselmus Havelbergensis Episcopus dixit: Credis etiam Spiritum sanctum, plenum & perfectum, verumque Deum, Patri & Filio coæqualem & coessentialem, coomnipotentem & coæternum per omnia?

Nechites Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Hæc est Fides Catholica, post Macedonianam hæresim confirmata, & in Alexandrino Concilio à pluribus ortho-

Digitized by Google

doxis roborata, qui de Divinitate Spiritus sancti tractantes, eum in consubstantiali Trinitate comprehenderunt; ideoque qui hanc Fidem non ex integro tenuerit, verè Christianum se non esse ostendit.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Bene credis, bene adoras, bene dicis. Dic ergo, frater carissime, media caritate strata inter nos; dic, inquam, ubi invenitur in Evangelio ista Fides tua ita distincta? Nam ut credas in Deum Patrem & in Deum Filium, manifestè quidem ibi docetur, dicente Filio: *Creditis in Deum, & in me credite*. Quòd autem credis in Spiritum sanctum, rectè quidem credis; sed me sciente nusquam in Evangelio ita patenter & ita simpliciter verbis hoc ostenditur. Apostolus tamen Spiritum sanctum Deum esse patenter clamat, ubi dicit: *Nescitis quia templum Dei estis?* Statimque subjicit: *Et Spiritus Dei habitat in vobis*. Deus enim habitat in templo suo, non autem tanquam minister habitat Spiritus Dei in templo Dei; cùm alio loco evidentiùs dicat: *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti quem habetis a Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno, glorificate ergo Deum in corpore vestro*. Item: *Templum Dei sanctum est quod estis vos*. Quòd adoras Deum Patrem, rectè facis, quia & hoc docet Evangelium: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*. Quòd etiam adoras Deum Filium, rectè facis, quia in quem credis ut Deum, hunc jure adoras ut Deum; & hoc quoque ex Evangelio insinuatur: *Ego & Pater unum sumus; Et ego in Patre, & Pater in me est*. Quia enim alter in altero verè unus Deus est, consubstantialis quidem, non autem, ut ita dicam, compersonalis, rectè alter in altero unus Deus adoratur. Quòd autem adoras Spiritum, cum Patre quidem & Filio coadorandum & conglorificandum; ubi, quæso, hoc in Evangelio usquam distinctè & manifestè reperitur? Quamvis aliquis prudens lector, si diligenter inquireret id quod scriptum est: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*; profectò totam, puto, Trinitatem ado-

Johan. 14. 1.
1. Cor. 3. 16.
Ibid. 17.
1. Cor. 6. 19.
Ibid. 20.
1. Cor. 3. 17.
Johan. 4. 23.
Johan. 10. 17.
Ibid. 38.
Johan. 4. 23.

Digitized by Google

randam, ibi inveniret. Cùm enim dicitur, *veri adoratores adorabunt Patrem*, continuò sequitur, *in spiritu;* & iterum subjungitur, *in veritate:* videlicet ut apertè intelligatur & Patrem in spiritu & veritate, qui Filius est, & Filium in Patre & Spiritu sancto, & Spiritum sanctum in Patre & Filio adorandum.

Iohan. 4. 23

Verumtamen quidam hæretici textum Evangelii supra modum planè & nimis negligenter, immo stultè obambulando pertransientes, nec spiritum & vitam, quæ in verbis evangelicis recondita sunt, scrutantes, Spiritum sanctum nequaquam affirmaverunt adorandum, pudore inquientes Evangelicæ Scripturæ neutrum manifestè ostendentis, videlicet utrum adorandus sit, necne. Vide ergo quomodo hæc tua sententia stare possit, qua dicis te ita Evangelium venerari, ut nihil addere ad Fidem quam ibi putas sufficienter institutam. In hoc quippe convinceris adversum teipsum dixisse, quòd illud equidem primùm sensisti & dixisti ad Fidem Evangelii nihil addendum; & postea Christiana professione Fidem sanctæ Trinitatis in Nicæno Concilio, & aliis Conciliis distinctam & traditam & contra hæreses roboratam confessus es.

Capitulum XXIII.

Quòd fides sanctæ Trinitatis ad plenum condita est in Conciliis, quibus præsedit Spiritus sanctus Pantoscopos, id est, omnium Episcopus, qui & auctor priùs & conditor fuit Evangelii.

Anselmus Havelbergensis Episcopus dixit: Verumtamen jam ampliùs non ita restringas Fidem Evangelii, ut Symbolum Nicæni Concilii tibi videatur esse superfluum, vel etiam alia orthodoxorum Patrum Concilia, quibus præsedit auctor Spiritus sanctus, quem tu paulò antè vocasti Pantoscopum, id est, omnium Episcopum; in quibus Conciliis Fides Catholica adeo roborata & confirmata est, ut si illa Concilia celebra-

Digitized by Google

ta non fuissent, ipsa Fides quam tenemus, & qua unitatem in trinitate, & trinitatem in unitate confitemur & credimus, aut hodie nulla esset; aut si esset, innumeris hæresibus subjecta laboraret & fluctuaret. Unde & Dominus sciens tam multa adhuc addenda ad instaurationem Catholicæ Fidei, postquam Discipulis suis universa quæ illi tempori congruebant, dixerat, adjecit ita dicens: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò; cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Meminit fraternitas tua, quòd Dominus in Evangelio de seipso dicit: *Ego sum via & veritas & vita.* Et hìc dicit: Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ecce Spiritus sanctus amor Patris & Filii, connexio amborum, communicatio amborum, caritas amborum, Spiritus, inquam, Filii qui est veritas, spiritus veritatis docens omnem veritatem, qui & ipse procedens à Filio, qui est veritas, Evangelium condidit, & Fidem secundùm tempus sufficientem Apostolis instituit. Ecce à Filio, qui adhuc multa se ad dicendum habere dicit, promittitur, ut videlicet ipse congruo tempore dicat, quòd Filius adhuc ad dicendum se habere dicebat. Quid ergo aliud putas eumdem Spiritum sanctum Spiritum veritatis docuisse, nisi quòd novit Filium, qui est veritas, à quo procedit, adhuc ad dicendum habere: id ipsum quippe, & non aliud docuit, quàm quòd Filius se ad dicendum adhuc habere dixerat. Siquidem Spiritus sanctus procedens ab ore veritatis, qui Christus est, Evangelium priùs condidit, postea sanctorum Patrum Conciliis auctor & doctor veritatis, sicut promissus fuerat, interfuit. Fidem quam idem ipse in Evangelio breviter condiderat, in Conciliis sanctorum Patrum explanavit, & quæ Filius adhuc dicere habuit, ipse procedens à Filio veraciter edidit, & pleniter docuit; ut quæ tunc soli Apostoli non potuerunt portare, ea nunc tota simul portet Ecclesia per universum mundum diffusa.

Iohan. 16. 12.
Ibid. 13.
Iohan. 14. 6.

Itaque, sicut dixi, Spiritus sanctus, sicut promissus

fuerat, ut veniens doceret tunc & nunc & semper omnem veritatem, sanctorum Patrum Conciliis interfuit, & tamquam Doctor omnium præfuit, fidem sanctæ Trinitatis, quam tenemus, inter impietatem Arii qui divinam substantiam separavit, & impietatem Sabellii qui personas confudit, docens, paulatim omnem veritatem tradidit, Sacramenta ecclesiastica instituit, formam Baptismi quem Dominus instituerat, convenienti moderamine ordinavit, & ritum quem in consecratione corporis & sanguinis Domini tenet sancta Ecclesia, disposuit: Patriarchas, Metropolites, Archiepiscopos, Episcopos, Presbyteros; Diaconos, & alios inferiores ordines * ecclesiasticos in ministerium divinum ad decorem domus Dei instauravit, chrismales unctiones, necnon sacramentum Pœnitentiæ, & impositiones manuum ordine sacratissimo & bono distinxit; Missarum solemnia & cetera divina officia in laudem Dei apposuit per catholicos Doctores, quasi per organum suum sacras Scripturas veteris & novi Testamenti nobis tamquam extrinsecùs pluendo aperuit; arcana quoque divina sub sigillo divinarum Scripturarum mysterialiter clausa familiari inspiratione nobis insinuando tamquam intrinsecùs rorando innotuit; hæreses paulatim succrescentes, quia virtus Altissimi est, potenter dissipavit. Leges ecclesiasticas ad conservandam Christianam Religionem per Apostolicos viros dictavit. Et ut omnia sub brevitate colligam, totam Ecclesiam in sancta disciplina eruditam, omnem paulatim docens veritatem lumine veræ scientiæ illustravit, & adhuc illustrat, & semper illustrabit. Ita quippe promisit qui non mentitur Deus: *Et dabo vobis Spiritum, ut maneat vobiscum in æternum.* Et item: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi;* videlicet per inhabitantem Spiritus sancti gratiam. Itaque & ipsum Evangelium & ipsa Concilia ab orthodoxis Patribus celebrata idem Spiritus sanctus dictavit, & paulatim docens omnem veritatem, nihil veritati contrarium dixit; ideoque securè jam potes dicere, quòd Spiritus sanctus procedat à Fi-

* *An.* inferioris ordinis

Matth. 28. 20.

lio, quoniam quod idem Spiritus sanctus in hoc de seipso minùs apertè in Evangelio videtur expressisse, hoc postea in diversis Conciliis tamquam magister utriusque Scripturæ manifestè supplevit.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Satis convenienter contexuisti Evangelium & sancta sanctorum Patrum Concilia, & probabiliter ostendisti eumdem Spiritum sanctum esse auctorem Evangelii & eorumdem Conciliorum, quod & nos credimus, & ideo pari veneratione cum Evangelio ipsa Concilia veneramur. Proinde ut tibi verum fatear, nos & plerique nostrorum sapientes à vobis non dissentimus in sensu hujus processionis; sed sicut jam sæpe dixi, verbum hujus processionis hactenus apud nos fuit alienum; nec horremus processionis sensum, quia rectus est, sed processionis verbum, quia insolitum est. Multi etiam Græcorum Doctores qui divinas Scripturas exposuerunt, licèt eumdem processionis hujus sensum convenientibus verbis satis expressè nobis insinuaverint, tamen hoc verbo processionis non adeo evidenter usi sunt, nec nobis in usu loquendi reliquerunt.

CAPITULUM XXIV.

Quòd multi Græcorum Auctores dixerunt Spiritum sanctum procedere à Filio, sicut à Patre.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Cur hoc dicis? Athanasius ille famosissimus Alexandrinorum Archiepiscopus, contra Arianam hæresim disputator acerrimus, in Fide Catholica perfectus & doctissimus, nulli sapientum Græcorum alienus, ita dicit in Symbolo Fidei: *Spiritus sanctus à Patre & Filio esse;* atque subjunxit, *procedens*. Manifestè docuit eum ab utroque procedere, cum ad utrumque procedere, sicut & esse retulit; præsertim cùm non aliter à Patre & Filio Spiritus sanctus esse habeat, quàm procedendo.

Athanas. in Symb. 22.

Didymus.

Digitized by Google

Didymus etiam Græcorum Doctor non minimus, qui multos libros edidit, & de sancta Trinitate tres libros fecit, & Origenis opus de principiis, id est, *periarchon*, commentatus, in eis explanationes reliquit eximias: ille, inquam, Didymus oculorum quidem passione visu privatus, sed intus perfectè illuminatus, in libro de Spiritu sancto, quem noster Hieronymus Græca & Latina & Hebraïca lingua eruditus transtulit, Spiritum sanctum à Filio quoque procedere patenter ostendit dicens: Spiritus sanctus qui est Spiritus veritatis, Spiritusque sapientiæ, non potest audire Filio loquente quæ nescit, cùm hoc ipsum sit quod profertur à Filio, id est, procedens Deus de Deo, Spiritus veritatis procedens à veritate, consolator manens de consolatione. Hæc ita Didymus. Quæ quidem veritas quæ sit, à qua ipse procedit; symbolum Ephesini Concilii ducentorum Episcoporum, quod etiam Græcorum fuisse constat, manifestè his verbis determinat: Quamvis in substantia sua sit Spiritus Filii, & intelligatur in persona proprietas, juxta quod Spiritus est, & non Filius, non est tamen alienus ab ipso: nam Spiritus appellatur veritatis, & veritas Christus est, unde & ab isto similiter sicut & ex Deo Patre procedit. Item Cyrillus Episcopus Alexandrinorum in epistola VIII. Nestorio directa, quæ sic incipit: Reverentissimo & Deo amantissimo, &c. Si est, inquit, in substantia spiritus spirituali, vel certè intelligitur per se secundùm quod Spiritus est, & non Filius, sed tamen est non alienus ab eo: Spiritus enim veritatis nominatur, & profluit ab eo sicut denique ex Deo Patre. Item Johannes Chrysostomus Homilia XXVI. de expositione Symboli, quæ sic incipit: Universalis Ecclesia gaudet. Iste est Spiritus procedens à Patre & Filio, qui dividit propria dona prout vult. Item in Homilia XXVIII. in alia expositione ejusdem Symboli, quæ sic incipit: Super fabricam totius Ecclesiæ. Itaque credendum est Spiritum sanctum Patris esse & Filii. Item istum Spiritum sanctum dicimus Patri & Filio esse coæqualem, & procedentem de Pa-

Hieron.

Chrysost. Hom. de sancto & adorando Spiritu.

Idem ibid.

Digitized by Google

Idem Hom. de sancto & adorando Spiritu.

» tre & Filio. Hoc credite, ne colloquia mala corrumpant » mores vestros bonos. Item: Videte ubique sacramentum Trinitatis, ecce & in Spiritum sanctum credimus, qui Spiritus sanctus procedens à Patre & Filio, caritate conjungitur.

Augustinus quoque Hipponensis Episcopus, Legatus Provinciæ Numidiæ in Africa, vir clarus, & omnium Scripturarum eloquentia Afer disertissimus, qui multis Africanorum Conciliis interfuit, qui non paucos libros contra hæreses Manichæorum & Donatistarum conscripsit, & in explanatione veteris & novi Testamenti multa scripta edidit, cujus innumera volumina ubique terrarum in magna leguntur auctoritate, ipse quamplurima testimonia de processione Spiritus sancti à Filio usquequaque in scriptis suis manifestissimè inseruit. Item Hieronymus, Ambrosius, Isidorus, Hilarius, & alii quamplures Latini sermonis Doctores, necnon & Leo Magnus amplissimæ urbis Romæ summus Pontifex, multa de processione Spiritus sancti à Filio scriptis suis inseruerunt; quos idcirco tibi cum scriptis suis non propono, quia fortasse apud Græcos non sunt tantæ auctoritatis his temporibus Latini Doctores, sicut essent, si Græci essent. Quod id ipsum si ita est, nequaquam laudabile est, salva pace inter nos & vos dictum sit. Non enim personarum acceptor est Deus, & *Spiritus ubi vult spirat.*

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Quòd nostros Doctores introducere voluisti, placet mihi; sed quæro si tu auctoritatem illorum quos nominasti, & aliorum nostrorum Doctorum, cùm sis Latinus, recipias.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Ego nulli Christianorum, Græco, sive Latino, seu cujuslibet gentis fideli Christiano, donum sancti Spiritus intercludo, nullum contemno, nullum abjicio, nec abjiciendum judico; sed omnem hominem recta loquentem, & ea quæ contra Apostolicam doctrinam non sunt, scribentem, libera mente suscipio & amplector.

Digitized by Google

NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit : Videor mihi inveniſſe hominem Latinum verè Catholicum ; utinam tales Latini iſtis temporibus ad nos venirent ? Nam ſi aliqui veniunt, ambulant in magnis & in mirabilibus ſuper ſe, & nequaquam talia, nec tam Catholica, nec tam humilia, ſed ſuperba & intolerabilia nobis loquuntur. Proinde Doctores noſtri, cùm de fide ſanctæ Trinitatis, ſive de Symbolo fidei aliqua conſcripſerunt, ſi quando incidenter occaſione explanandæ ſententiæ dixerunt Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere vel profluere, non dixerunt hoc ea ſignificatione proceſſionis vel profluxionis, ſicut dicitur à Patre procedere : nam quòd à Patre procedit, propriè procedit ; & quia propriè procedit, propriè quoque procedere dicitur. Quòd autem à Filio procedere vel profluere à nobis aliquando dictum invenitur, nullatenus propriè dicitur, quia nec propriè ita procedit vel profluit à Patre, quippe propriè tamquam ab eo qui eſt prima cauſa & principium ſui, procedit ; à Filio autem ſi quando invenitur vel dicitur procedere ſeu profluere, non ita propriè dicitur vel eſt, quia quòd à Filio eſt, vel à Filio procedit vel profluit, hoc non eſt, vel hoc non facit tamquam à prima cauſa : quia ipſe quoque Filius id quod eſt, & quòd Filius eſt, & quòd ipſe Spiritum ſanctum procedentem ſeu profluentem mittit, hoc non à ſeipſo, ſed à Patre tamquam à prima cauſa & principio ; ideoque ſicut dixi, à Patre tamquam à prima cauſa Spiritus ſanctus propriè procedere dicitur.

Hanc itaque proceſſionem Spiritus ſancti tam à Patre quàm à Filio ita diſtinxerunt ſapientiſſimi Græcorum, adſcribentes propriè Patri primam cauſam proceſſionis, à quo propriè eſt & Filius generatione, & à quo Spiritus ſanctus eſt proceſſione. Filio autem adſcribentes ejuſdem Spiritus ſancti proceſſionem, non tam propriè, quoniam ipſe Filius non eſt à ſemetipſo, nec eſt cauſa ſuimetipſius, ideoque nec propriè, nec prima cauſa eſt Spiritus ſancti, ut ab eo propriè, ſicut à Patre propriè procedat. Itaque Pater à nullo eſt, Fi-

Digitized by Google

lius à Patre propriè est, Spiritus sanctus ab utroque est; à Patre tamen propriè est, quia Pater à nullo est, Filius à Patre propriè est, Spiritus sanctus ab utroque est. A Filio autem non ita propriè est, quia Filius non à nullo, sed à Patre est, & à Patre habet quòd Spiritus sanctus ab ipso est: & ita concedo Spiritum sanctum à Patre qui à nullo est, propriè procedere; à Filio autem, quia & ipse à Patre est, non ita propriè procedere, & hoc est quod distinxerunt, sicut jam dixi, sapientissimi Græcorum.

CAPITULUM XXV.

Quòd Spiritus sanctus, licèt ab utroque procedat, tamen à Patre propriè & principaliter procedere invenitur, tam apud Latinorum, quàm Græcorum Scriptores.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Quòd Spiritus sanctus à Patre propriè procedat, non negamus, quia id ipsum Doctores nostri nos docuerunt, sive hoc ipsi à vestris, sive vestri hoc ab ipsis habuerint. Unde Hieronymus noster in definitione Fidei Catholicæ, Nicænique Concilii exponens, ait: *Credimus in Spiritum sanctum qui de Patre procedit.* Item: *Spiritum sanctum verum Deum invenimus in Scriptura, & de Patre propriè esse.* Et iterum: *De Patre Filius & Spiritus propriè, & verè de Patre Filioque, quia procedit.* Primum igitur accipe, quòd de Patre propriè est Spiritus sanctus, dicente Scriptura: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et Salvator ait: *Spiritus veritatis qui de Patre procedit.* Item beatus Augustinus Doctor egregius in XV. libro de Trinitate cap. 17. „Non frustra in hac Trinitate non dicitur Verbum „Dei, nisi Filius; nec donum Dei, nisi Spiritus sanctus; „nec de quo genitum est Verbum, & de quo procedit „principaliter Spiritus, nisi Deus Pater. Idem de lib. XV.

Hieron. in explanatione Fidei ad Cyrillum, initio ep. & sub finem.

Psal. 32. 6.

Iohan. 15. 26.

August. lib. 15. de Trinit. cap. 17.

Digitized by Google

de Trinitate cap. 17. Et Spiritus sanctus principaliter de illo procedit, de quo natus est Filius. Ideo autem addidi, principaliter, quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit non jam existenti, & nondum habenti, sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo bonum commune procederet. Item Augustinus lib. xv. de Trinitate cap. 26. Sicut Filio præstat essentiam sine initio temporis, sine ulla mutabilitate naturæ de Patre generatio; ita Spiritui sancto præstat essentiam sine ullo initio temporis, sine ulla mutabilitate naturæ de utroque processio. Idem in eodem: Filius de Patre natus est, & Spiritus sanctus de Patre principaliter, & ipso sine intervallo temporis dante communiter de utroque procedit. Et infrà: Non ab utroque est genitus, sed procedit ab utroque amborum Spiritus. Item in sequenti capitulo: Neque possumus dicere quòd non sit vita Spiritus sanctus, cùm vita Pater, vita Filius sit; ac per hoc sicut Pater cùm habeat vitam in semetipso, dedit & Filio vitam habere in semetipso, sic ei dedit vitam procedere de illo, sicut & procedit de se ipso.

August. lib. 15. de Trinitate cap. 17.

August. lib. 15 de Trinitate cap. 26.

Idem ibid.

Idem ibid.

August. lib. 15. de Trinitate cap. 27.

Ex his verbis beatorum Doctorum Hieronymi & Augustini satis concedendum puto, Spiritum sanctum propriè & principaliter ex Patre tamquam à prima causa procedere, quia sic ex Patre procedit quasi primo loco, dum cùm Pater ab alio non habeat, sed à seipso, Pater quippe prima causa est, & primæ causæ causa non est; Filius verò cùm à seipso non sit, sed à Patre, hunc ipsum Spiritum sanctum à se quoque procedentem non à se, sed à Patre habet, à quo & ipse per generationem esse habet. Est itaque Pater principalis auctor & causale principium tam generationis ad Filium, quàm processionis ad Spiritum sanctum: ideoque tametsi non legatur adeo propriè & principaliter à Filio procedere; tamen sicut verum est eum à Patre procedere, ita quoque sublata omni ambiguitate verum est eum à Filio procedere, & nulla processionis ejus inæqualitas admittitur, cum ab utroque, sicut dictum est,

Digitized by Google

æqualiter procedere affirmatur. Quamquam autem persona Patris à quo propriè procedit, non sit eadem persona Filii à quo nihilominus procedit; tamen nequaquam videtur dicendum, duas esse processiones differentes, nec duos Spiritus sanctos, sicut duæ sunt personæ Patris & Filii differentes: sed una tantùm & unius dicenda est processio ab utroque, quia nec priùs à Patre, nec postea à Filio; sed simul à Patre & à Filio est una eademque Spiritus sancti æterna & substantialis processio. Qui videlicet Spiritus sanctus ab utroque simul & semel substantialiter & æternaliter procedens, totam Trinitatem unà cum Patre & Filio personaliter, id est, personali pluralitate constituit.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Satis videmur jam posse convenire, quia & nostri & vestri Doctores non inveniuntur usquequaque in hac sententia discrepare; si tamen eorum scripta rectè intelligantur, qui vel apud nos, vel apud vos de hac quæstione diligentiùs scripsisse inveniuntur. Sed quid dicis de hoc, quòd quidam Græcorum sapientes dicunt Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere.

CAPITULUM XXVI.

Quòd quidam Græcorum, & etiam Latinorum, putaverunt Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, inducentes quasdam similitudines minus idoneas.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Ignota sunt mihi ista verba & inusitata, ideoque quid super hoc respondeam, ad præsens non habeo, nisi quod Apostolus monet: *Verborum novitates devita.* Verumtamen qui hoc dicunt, quo sensu dicant, ipsi viderint. Ego profectò legi in quodam libro, quem conscripsit Hilarius Pictaviensis Episcopus, Doctor quondam famosissimus, de Trinitate in tomo XII. quædam his similia; ita enim loquitur idem Hilarius ad Deum Patrem:

1. Tim. 6. 20.

De ipso & Filio in sancto Spiritu tuo ex te profecto & per eum misso. Item: Ex te per eum Spiritus sanctus tuus est. Item: Filium tuum unà tecum adorem, Spiritum sanctum tuum, qui ex te per Unigenitum tuum est, promerear. Ista dicit Hilarius, quæ ego puto satis suscipienda cum præmissa determinatione, quoniam Pater à nullo hoc habens, Filius autem à Patre hoc habens, Spiritum sanctum uterque à se procedentem emittunt.

Hilarius lib. 12. de Trinit. sub finem.
Hilar lib. 12. de Trin. sub finem.
Idem ibid. sub finem.

Quòd autem Spiritus sanctus de Patre procedat in Filium, & sic per Filium procedat ad sanctificandam creaturam, & non simul de utroque procedat, absurdissimum est, non solùm dicere, sed etiam cogitare, quamquam aliqui admodum insipientes, & de hoc stultè theologizantes, tale stultitiæ suæ proponunt exemplum. Sicut, inquiunt, Filius hominum * ex Patre procedit in matrem, & ex matre procedit in hanc lucem, naturaliter de substantia utriusque existens; ita profectò Spiritus sanctus à Patre in Filium, & per Filium ad sanctificandam creaturam procedit. Tales qui talia dicunt, quoniam in tempore sunt, temporaliter loquuntur, & seipsos fallunt assignantes temporalia æternis: cùm enim Filius hominum procedit ex Patre in matrem, tunc non procedit ex matre in lucem; & cùm in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex Patre. Ideoque trahentes hanc ineptam similitudinem, trahuntur non immeritò in errorem, & in ejusdem erroris justam condemnationem.

* *f.* hominis

Alii se supra se in Theologiam extendentes, & tamen multùm infra Theologiam remanentes, non minùs ineptam similitudinem sibi adinveniunt, dicentes, quòd sicut lacus ex fonte, non ex rivo, sed per rivum procedere dicitur, in quem videlicet rivum aqua ipsius lacus de fonte prodiens, per eum transit ac pervenit in stagnum; sic & Spiritus sanctus ex Patre propriè procedere dicatur, quasi à summa origine in Filium quasi in rivum, & ita per Filium quasi per rivum ad sanctificandos homines quasi in stagnum hujus sæculi. Verùm ego

miror & perhorresco hujusmodi similitudines de comprehensibilibus ad incomprehensibilia erectas, quæ cùm ad cognitionem veritatis attingere nequeant, longè infrà remanent, & animos intendentium sua occupatione impediunt, & plerumque à recta fide avertunt, cùm objecta mole corporalium creaturarum, iter pervestigandæ veritatis in divinis & spiritualibus occludunt. Sicut autem ambulantes in Fide omnia talia postponunt, & post se projiciunt, & in fide speculativo intellectu proficiunt, & se supra se humiliter erigentes in altiora transcendunt; ita ambulantes in ratione, & in similitudine veri inhærentes, sarcinâ humanæ ignorantiæ gravati, & sopore falsæ opinionis depressi, retro remanent digni, qui post fidem cum ratione remanente remaneant; & indigni, qui cum fide præcedente rationem antecedant. Itaque tales & tam ridiculosæ similitudines nequaquam à sapientibus indicantur; sed sicut jam suprà, sicut puto, satis determinatum est, Fides Catholica teneatur de processione Spiritus sancti à Patre & Filio: etsi fortè aliqua aliena scriptura invenitur, quæ tamen propter auctoritatem scribentis in veneratione suscipienda & legenda est, quemadmodum præfati Hilarii Episcopi, qui magnæ auctoritatis est in Ecclesia: illa, inquam, scriptura tametsi videatur aliquid alienum insinuare; tamen ita legenda, & eò usque exponenda est, quò ad illarum scripturarum concordiam perducatur, & ad legem caritatis catholico sensu perveniatur.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Iste Hilarius, de quo dicis, Pictavensis Episcopus multis Græcorum Conciliis antiquitus interfuisse invenitur, & magnæ opinionis apud nostros fuit & est, cujus scripta tu modò in medio prolata satis cautè determinasti. Nos quoque si quando his similia in codicibus nostrorum Doctorum invenimus, simili determinatione determinamus. Cùm enim in Scripturis sanctis de aliqua vera sententia constat, non est difficile prudenti lectori verba quolibet modo scripta ad veritatem sententiæ

tentiæ inclinare. Proinde noverit caritas tua, præmissis tot rationibus, & suppositis tot auctoritatibus, me & quoslibet sapientes Græcorum stare tecum in eadem sententia de processione Spiritus sancti: verumtamen nolo ut putes nos modò per te in hac tua disputatione superatos hoc confiteri, quoniam sapientes Græci semper hanc sententiam tenuerunt; & si quando à sapientibus Latinis hæc eadem quæstio humiliter mota est, quod corde crediderunt, ore confessi sunt, & omnibus quæ de hac quæstione scripta sunt revocatis ad legem caritatis, tam Latini sapientes, quàm Græci sapientes, concorditer in unum consenserunt. At verò nihil nostra interest, quid vel stulti Græci, vel superbi Latini inter se dicant & contendant.

CAPITULUM XXVII.

De concordia hujus quæstionis, & de tollendo scandalo de medio utriusque gentis, auctoritate Romani Pontificis per Concilium generale.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Gratias agamus Spiritui sancto, qui nos hanc quæstionem fraterna pace & concordi confessione in præsentia tantorum virorum, qui & ipsi nobiscum concordant, finire voluit. Nihil ergo jam aliud restat, nisi quòd Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere, sine aliqua hæsitatione, sicut credis, ita doceas, ita scribas, & cum sancta Romana Ecclesia, quæ mater est omnium Ecclesiarum, & quæ hoc docet & scribit, ejusdem fieri, concordiam habeas. Non enim habet Dei caritatem, qui Ecclesiæ non diligit unitatem, à qua etiam qui discordat, sicut beatus Ambrosius Mediolanensis Archiepiscopus dixit, hunc planè hæreticum esse constat; quicumque enim præsumtione atque obstinatione nititur, cum ratione & auctoritate suffragante superatur, sine venia ignorantiæ peccat, ideoque graviùs offendit. Decet etiam sanctitatem tuam & humilitatem meam, cùm

simus Episcopi, ut non solùm scienter doceamus ea quæ scimus, sed etiam patienter discamus ea quæ fortè ignoramus.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Tuam humilitatem, frater carissime, amplector, & eam devotionem quam habere videris ad veritatem Fidei, admiror & fateor: nequaquam possum non commoveri te loquente; assentio etiam omnibus quæ dixisti, & accedo toto animo & toto corpore. Porro verba hæc, *Spiritus sanctus procedit à Filio*, quoniam hactenus non sonuerunt publicè in Ecclesiis Græcorum, nequaquam subitò possunt induci, ut sine aliquo scandalo plebis vel aliquorum minùs prudentium publicè doceantur, vel scribantur; sed aliquod generale Concilium Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ auctoritate sancti Romani Pontificis, admittentibus piissimis Imperatoribus celebrandum esset, ubi hæc & nonnulla alia Catholicæ Ecclesiæ necessaria secundùm Deum diffinirentur, ne fortè vos vel nos in vacuum curreremus; extunc omnes nos qui in partibus Orientis Christiani sumus, unà cum sancta Romana Ecclesia, & cum ceteris Ecclesiis quæ sunt in Occidente, communi voto & pari consensu sine aliquo nostrorum scandalo verbum hoc, *Spiritûs sanctus procedit à Filio*, libenter susciperemus, & prædicaremus, & doceremus, & scriberemus, & in Ecclesiis Orientis publicè cantandum institueremus.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Utinam hoc videam, & tam sancto Concilio interesse merear, ubi Princeps Apostolorum Petrus in persona Vicarii sui Romani Pontificis cum universa Ecclesia in unum collecta, quæ illi à Deo commissa est, consedeat, & Spiritus sanctus, de quo tractavimus, super omnes descendens, & omnem veritatem tunc & usque ad consummationem sæculi docens, omnes unum in Christo cum Petro & in fide Petri faciat. Utinam hoc videam. Universi dixerunt: Utinam, utinam, utinam. Deus velit, Deus velit, Deus velit. *Doxasi o Theos*, *Doxasi o Theos*, *Doxasi o Theos*. Item alii clamantes dixerunt: Bonum

est, bonum est, bonum est. Ita fiat, fiat, fiat.
Explicit liber secundus.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

Digitized by Google

X. *Quòd licèt non soli Petro, sed etiam ceteris Apostolis data sit potestas ligandi & solvendi, & licèt non super solum Petrum, sed etiam super alios Apostolos Spiritus sanctus descenderit; tamen principatus Petri ceteris omnibus est excellentior.*

XI. *Quòd hæreses in Constantinopoli, vel ubique in Oriente ortæ sunt, etiam ibidem extinctæ.*

XII. *Quòd unum tantùm sit caput Ecclesiæ in terris, videlicet Roma, & non duo vel plura, sicut dicunt Græci; & quod Græcorum hæreses, non Græcorum, sed Romanorum Pontificum auctoritate destructæ sint.*

XIII. *Quòd auctoritate & institutione Romanorum Pontificum Melchiadis & Siricii dicunt se Græci fermento uti in sacrificio altaris.*

XIV. *De hoc quod credi potest, quòd Apostoli & eorum successores nunc azymo, nunc fermento indifferenter usi fuerint, & quòd Occidentalis Ecclesia alterum, Orientalis verò alterum paulatim totum deseruit.*

XV. *Quòd auctoritas plurium Romanorum Pontificum plus valere debet, quàm duorum; & quòd Synodus Synodum solvit, & quod Melchiades & Siricius Papa non videntur de hostia, sed de eulogiis instituisse.*

XVI. *Quòd Constantinopoli omnis & Orientalis Ecclesia sub obedientia Romanæ Ecclesiæ*

Digitized by Google

fuit, & jure esse debet, & eam in ritu Sacramenti imitari.

XVII. *Quòd in Cœna Dominica Christus azymum consecravit; & quòd nusquam in veteri Testamento fermentum, sed azymus offerri jubetur.*

XVIII. *Quòd fermentum in divina Scriptura nusquam in bono accipitur, & quòd minùs est habile ad tractandum cautè.*

XIX. *Quòd propter longum fermenti usum Græci non facilè possunt transire ad azymum; sed facto Generali Concilio, sive hoc, sive illud indifferenter satis suscipere, sublato utriusque gentis scandalo.*

XX. *De commixtione vini & aquæ in calice, quod aliter Græci, aliter Latini faciunt.*

XXI. *De Græcorum & Latinorum vario & diverso Baptismate.*

XXII. *De concordia sapientum Græcorum & Latinorum.*

INCIPIT LIBER TERTIUS DE DIVERSO EUCHARISTIÆ RITU GRÆCORUM ET LATINORUM, VIDELICET AZYMI ET FERMENTATI, ET DE AUCTORITATE ROMANÆ ECCLESIÆ.

CAPITULUM I.

De collatione quæ facta est in Basilica sanctæ Sophiæ in præsentia sapientum Græcorum.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Cùm in præterita hebdomada in loco, qui vocatur Pisanorum vicus, convenissemus, & de processione Spiri-

Digitized by Google

tus sancti tractaremus, idem Spiritus sanctus docens omnem veritatem, nobiscum adfuit, & quid de ipso, seu de sua processione sentiendum esset, ipse nos mutua collatione sufficienter edocuit, & post multos non contentiosæ & fraternæ disputationis anfractus, tandem in legem caritatis, & in ejusdem sententia concordiam nos humiliter composuit. Et quoniam omnium vestrûm excellentiæ placuit, ut in hac sancta Basilica sanctæ Sophiæ iterum conveniremus, in cujus absida nunc sedemus, sicut credendum est, quòd idem Spiritus sanctus, qui replet orbem terrarum, nusquam desit per divinam essentiam: ita quoque sperandum est, ut tantorum virorum conventui nunc etiam intersit per inhabitantem & abundantem gratiam. Ita quippe scriptum est: *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum*, dicit Dominus. Video etiam multò plures reverendas personas hîc convenisse, & valde mihi meticulosum est, & etiam erubesco inter tantos Doctores loqui, inter quos ego me tamquam nullum existimo; & si quid pro mea parvitate locutus fuero, idipsum ignoro, si vel commendatione, vel reprehensione dignum apud vos habeatur. Verùm si in medio Doctorum inventus fuero interrogans & audiens, nequaquam mihi hoc erit inglorium, præsertim cùm ipse Filius Dei, sapientia Dei, in medio Doctorum sedens, & interrogans & audiens, exemplum humilitatis seipsum nobis præbuerit. Ego sanè magis volo interrogando aliquid boni dicere, quàm pro nimia verecundia, cùm tempus est loquendi, tacere, & tacendo quod scire desiderabam, ignorare.

Matth. 18. 20.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Gratiâ Dei nos ita priorem quæstionem salva caritate pacificis verbis consummavimus, ut jam sit jocundum nobis tecum conferre, non in disceptatione verborum, sed in inquisitione sententiarum; ideoque non sit tibi meticulosa præsentia tantorum virorum, quia non idcirco huc convenerunt, ut tibi aliquam calumniam quacumque occasione inferrent, sed ut te loquentem consueta Græcorum mansuetudine audirent: audierunt

enim priùs de ea quam in præterita hebdomada nobiscum habuisti, quæstione, & summopere desiderabant & desiderant dulcedinis tuæ verba audire, & sive in interrogatione, sive in responsione tua, cupiunt aliquid novi quod bonum sit, apprehendere. Scriptum est enim: *Audiens sapiens sapientior erit.* Absit autem quòd aliquid tibi à quolibet nostrorum occurrat, quod vel tuam, vel nostram minùs deceat honestatem, vel unde tu justè turbari debeas, nisi fortè occasione disputationis hoc fiat, quod etiam studiosè cavendum est. Dic ergo quod placet.

Prov. 1. 5.

CAPITULUM II.

Quòd universalis Ecclesia tribus modis existere dignoscitur, sanctarum Scripturarum auctoritate, universali traditione, singulari institutione.

UNIVERSALIS Ecclesia per orbem diffusa tribus modis existere dignoscitur: nam quidquid in ea tenetur, aut auctoritas est sanctarum Scripturarum, aut traditio universalis, aut certè propria & singularis institutio; sed auctoritate tota Ecclesia constringitur, universali quoque traditione majorum nihilominus tota obligatur, privatis constitutionibus & propriis informationibus unaquæque, vel pro locorum varietate, vel prout unicuique bene visum est, subsistit & gubernatur. Unde miror valde quòd Orientalis Ecclesia tantùm differt ab Occidentali Ecclesia in diverso ritu sacrificandi, in Sacramentis altaris, in confectione corporis & sanguinis Domini, quod vos vocatis Eucharistiam, maximè cùm ista sit universalis majorum traditio, quin immo, ut verum, & quod majus est, dicam, ipsius JESU CHRISTI Domini nostri inviolabilis & semper tenenda institutio. Sancta enim Romana Ecclesia omnibus Catholicis jure imitanda studiosè & ex antiqua institutione in Sacramento altaris azymo utitur, & tam-

quam mater omnium Ecclesiarum omnibus Occidentalibus Ecclesiis id ipsum tradidit.

CAPITULUM III.

Quòd Græci contra universalem traditionem se à ritu Romanæ Ecclesiæ sequestrant, & in fermento sacrificant.

ORIENTALIS Ecclesia seipsam ab obedientia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ab unitate tantæ communionis sequestrans, dum mavult aliquid novum & singulare moliri, quàm tenere universalem consuetudinem, & quasi sacrilegio proprii schismatis seipsam sauciando vulnerat in confectione corporis Domini fermentato, & hoc facit studiosè, & quasi propriæ auctoritatis institutione. Quod dico, studiosè, ita volo intelligas ut Græcus in Sacramento altaris ita studeat habere fermentatum panem, ut si fortè fermentatum non habeat, nec ullatenus habere queat, potiùs à ministerio altaris prorsus abstineat, quàm azymum in consecratione corporis Domini offerat. Unde sicut dixi, valde miror, & hujusce consuetudinis rationem vel auctoritatem libenti animo te cognoscere desidero.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Patres nostri viri religiosissimi, & in lege divina eruditissimi ac devotissimi, qui in hoc patriachico, in quo nunc sedemus, præfuerunt, & hanc regiam urbem unà cum toto Oriente in Ecclesiastica disciplina gubernaverunt, quorum memoria hodie apud nos est, & in benedictione celebratur; qui etiam multa suarum sacrarum institutionum scripta nobis reliquerunt: ipsi in hac institutione fermentati & ritu sacramentali, nec ratione, nec auctoritate caruisse credendi sunt, ob quorum reverentiam nos ea quæ ad nos transfuderunt, inviolabiliter & debita veneratione tenemus, nec ea à quolibet retractanda judicamus, quantalibet officii auctoritate, seu vitæ sanctitate, seu eminentia scientiæ præfulgeat.

Digitized by Google

fulgeat. Ideoque si Romana Ecclesia aliud tenet, sive tenendum docet, facit quod sibi placet, & pro arbitrio suo modò eligit quod vult, modò abjicit quod vult, modò probat quod vult, modò improbat quod vult, modò statuit quod vult, modò mutat quod vult, modò scribit quod vult, modò delet quod vult, modò imperat quod vult, modò prohibet quod vult: & in his omnibus sua propria utitur auctoritate, & invenit qui eam sequantur & imitentur, aut simplicitate bona, aut simplicitate minùs docta; quod etiam fortasse aliquando fit obtemperandi sola consuetudine, aliquando obtemperandi necessitate. Nos autem quod à sanctis Patribus nostris statutum & traditum suscepimus, hactenus tenuimus & tenemus, nec facilè illud dimittere quacumque occasione audemus; quoniam si id tam præsumtuosè vellemus relinquere vel immutare, sanctorum Patrum semper venerandam & numquam spernendam reverentiam offenderemus, & ipsius Sacramenti ritum, quem hactenus servabamus, quasi nullus & inanis fuisset, evacuaremus, & nos ipsos totius levitatis & instabilitatis reprehensibiles toti mundo ostenderemus. Magis autem volumus prædecessorum nostrorum inventum & institutionem defendendo tenere, & in lectulo tantæ auctoritatis jam fessi accumbere, quàm inquirendo ampliùs etiam usitata reprobare, & ad inducenda nova laborare.

CAPITULUM IV.

Quòd melius est errorem, quamvis longo usu usitatum, considerata meliori ratione deponere, quàm in eo contumaciter perseverare.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Nemo dubitet veritati manifestatæ consuetudinem cedere, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit: melius est errorem, quamvis longo usu usitatum, considerata meliori ratione humiliter deponere,

Digitized by Google

quàm in eo superbè perseverare, ac pertinaci contentione defendere. Nam nec debet quisquam pro eò quod semel imbiberit, pertinaciter contendere, sed si quid melius &utilius audierit, libenter amplecti; & hoc quamplures boni fecisse leguntur. Cyprianus magnus magnæ Carthaginis quondam Episcopus, Martyr pretiosissimus, una mersione consueverat baptizare, abundans in suo sensu, & attendens unam Fidem, unum Dominum, unam mersionem; sed perspecta meliori ratione postea abundavit altiori sensu ter mergendo, & sanctam Romanam Ecclesiam imitando, attendens triduanæ sepulturæ sacramenta; & quòd resurrectio temporis exprimitur, dum infans tertiò ab aquis educitur, & quòd trina confessio rationabiliter postulat, ut sit trina mersio. Quamvis autem propter Trinitatis mysterium, & triduanæ sepulturæ sacramentum trina mersio rectè celebretur; tamen propter unitatem unius Fidei & propter unam substantiam unius Dei, unum quoque Baptisma rectè reputatur. Nollem autem à tua prudentia talia audire, quia nec tuam religionem, nec alicujus qui se velit esse Christianum, decet honestatem, tam aliena loqui de sancta Romana Ecclesia. Esto autem interim, ut tu dixeris, quòd fuerit in oculis tuis: quamvis ego si id æquo animo ferrem; à t utique æquo animo ferendus non essem; sum etnim specialis filius Romanæ Ecclesiæ, nec erubesco me esse servum ejus, & hoc tu bene nosti: ideoque decuerat prudentiam tuam, ut mihi parcendo parciùs de illa locutus fuisses, quoniam sciebas me nequaquam posse patienter sustinere, vel minimam injuriam matris ac dominæ Romanæ Ecclesiæ. Sanè ego sanctos Patres, qui Orientalem Ecclesiam bene rexerunt, digna veneratione, sicut & tu, frater carissime, amplector, quia & studiosi investigatores, & contestantes assertores Catholicæ Fidei plerique ipsorum fuere, quamvis etiam nonnulli eorum qui regiam hanc Metropolim visi sunt rexisse, aliquando multùm in Fide errasse inveniantur.

Digitized by Google

Capitulum V.

De primatu Romanæ Ecclesiæ; & quòd nullis hæresibus aliquando contaminata sed semper Catholica fuerit.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Quòd si eorum qui hîc præfuerunt, auctoritas tanta est apud vos, ut eorum qualiacumque statuta inviolabilia existimetis, & attenditis tantùm eorum qui illa statuerunt, nudam auctoritatem, & non potiùs eorum quæ statuta sunt, veritatem: quare non potiùs suscipitis statuta sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ per Deum & à Deo & post Deum proximo loco auctoritatis primatum obtinuit in universa quæ per totum mundum sparsa est Ecclesia? Ita enim de illa in Nicæno Concilio primo à trecentis decem & octo Patribus statutum legitur: Sciendum sanè est, & nulli Catholico ignorandum, quoniam sancta Romana Ecclesia nullis synodicis decretis prælata est, sed Evangelica voce Domini ac Salvatoris nostri primatum obtinuit, ubi dixit beato Petro Apostolo: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversum eam; & tibi dabo claves regni cælorum; & quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* Addita est societas in eadem urbe Romana beatissimi Pauli Apostoli, qui uno die unoque tempore gloriosa morte cum Petro sub Principe Nerone agonizans coronatus est, & ambo pariter sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino sanguine fuso consecraverunt, aliisque omnibus in universo mundo sua præsentia atque reverendo triumpho prætulerunt.

Matth. 16. 18.

Ibid. 19.

Matth. 18. 18.

Prima ergo sedes est cælesti beneficio Romanæ Ecclesiæ, quam beatissimi Apostoli Petrus & Paulus suo martyrio dedicaverunt. Secunda autem sedes est apud Alexandriam, etiam beati Petri nomine à Marco ejus

Digitized by Google

Discipulo & Evangelista consecrata, quia & ipse primus in Ægypto verbum veritatis directus à Petro prædicavit, & gloriosum suscepit martyrium: cui etiam successit venerabilis Abilius. Tertia verò sedes apud Antiochiam, etiam beati Petri Apostoli veneratione habetur honorabilis, quia illic priusquam Romam veniret, habitavit: & Ignatium Episcopum instituit vel constituit, & illic primùm nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. Itaque alias quidem sedes, secundam videlicet in Alexandria, tertiam verò in Antiochia sui nominis tantùm consecravit memoriæ; primam verò sedem, quæ est in eminentissima & triumphatrice urbe Roma, Princeps Apostolorum Petrus sui corporis honoravit præsentiâ. Ad hoc etiam sancta Romana Ecclesia præ ceteris à Domino prælecta, speciali privilegio ab ipso donata est & beatificata, & quasi quadam prærogativa omnibus Ecclesiis præeminet, & jure divino antecellit. Aliis namque diversis in temporibus variis hæresibus occupatis, & in Fide Catholica nutantibus, illa supra Petram fundata & solidata semper mansit inconcussa, nullis falsis & sophisticis hæreticorum argumentis à simplicitate Fidei, quam Simon Barjona, quod est filius Columbæ, tenuerat, avelli potuit, quia scuto divinæ sapientiæ Domino largiente contra dolosas quæstiones semper munita fuit; nullis etiam terroribus vel minis Imperatorum seu potentum hujus sæculi conquassari valuit, quia scuto fortissimæ patientiæ confortante Domino contra omnes impetus secura fuit. Unde & Dominus sciens alias Ecclesias hæretica impulsione nimiùm vexandas, & Romanam Ecclesiam, quam ipse supra Petram fundaverat, numquam in Fide debilitandam, dixit Petro: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; ac si apertè ei dicat: Tu qui hanc gratiam accepisti, ut aliis in Fide naufragantibus semper in Fide immobilis & constans permaneas; alios vacillantes confirma & corrige, & tamquam omnium provisor, & Doctor, & Pater, & Magister omnium, cu-

Luc. 22. 32.

Digitized by Google

ram & sollicitudinem gere. Meritò ita privilegium prælationis super omnes accepit, qui in conservanda integritate Fidei præ omnibus privilegium à Domino susceperat.

CAPITULUM VI.

Quòd Constantinopolitana Ecclesia ferè semper gravissimis hæresibus fermentata laboraverit.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: At verò Constantinopolitana Ecclesia, ut salva pace tua & omnium assidentium dixerim; non enim veritatem debetis negare, quam etsi interdum liceat silere, numquam tamen licet negare: quàm innumeris hæresibus sæpe fermentata, postposita sinceritate Fidei, contra Deum & Apostolicam Ecclesiam cavernosis adinventionibus inflata intumuit, & quantùm potuit, contra Fidem Petri & sanam ejus doctrinam se contumaciter erexit. Hîc viguit illa detestabilis Ariana hæresis, quæ primò in Alexandria pullulavit, & totum ferè Orientem venenoso fermento polluit, necnon etiam quosdam Episcopos de Occidente sibi immiscuit, quæ de Filio Dei tam infausta dicebat: Erat quando non erat, & priusquam nasceretur non erat; & quia ex nullis existentibus factus est, vel alia substantia, vel natura; & quia mutabilis & convertibilis est Filius Dei. In qua hæresi fuit præcipuus Eusebius, qui relicta hæreticorum civitate primò concupivit & possedit Nicomediensem Ecclesiam, postea verò hanc Constantinopolitanam Ecclesiam invasit, & eodem fermento infecit, & ad mortem usque occupavit. Hîc præfuit Constantinopolitanæ urbis Episcopus, hæresiarcha maximus, & fermentum suæ hæresis ubique diffudit, qui purum hominem ex sancta MARIA Virgine natum asseruit, ut aliam personam carnis aliam faceret Deitatis, nec unum Christum in verbo Dei & carne sentiret, sed separatim atque sejunctim alterum Filium Dei, alterum hominis prædicaret. Hîc Macedonius præfuit Ariana hæ-

Digitized by Google

resi involutus, & eodem pestifero fermento quoscumque potuit, contaminavit, qui etiam Spiritum sanctum creaturam asseruit. Hic Eutyches Presbyter & Archimandrites fermentum suæ hæresis effudit: confessus est enim ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post adunationem autem non duas, sed unam naturam confitens, faciens commixtionem & confusionem. Fuerunt hîc majores & minores complures Arianæ præsumtionis sectatores.

Hîc Eudoxius priùs in Antiochia, postea invasor hujus urbis Episcopus præfuit, Arianâ vesaniâ seductus: huic adstitit Eunomius hæreticus, quem idem Eudoxius in Cyzico fecit Episcopum, expellere nisus Eleusium. Qui videlicet Eunomius Sophista præsumsit contra Deum profana sophismatibus loqui, sic enim ait: „ Deus de substantia sua nihil novit ampliùs quàm nos, „ neque est illi potiùs nobis aut agnita minùs; sed quodcumque de illa novimus, hoc modis omnibus etiam „ ille novit. Quod autem rursus ille, hoc invenies im- „ mutabiliter in nobis. Infinita quoque turba diversorum hæreticorum fermentum hæreticæ pravitatis hîc semper expuere consueverunt.

Quis denique dinumerare queat omnes hæreticos & omnes eorum errores qui in hac civitate fuerunt, & sanctam & immaculatam Dei Ecclesiam falsis dogmatibus fermentaverunt, & tunicam Christi impio schismate scindere tentaverunt? Aut enim hîc ortæ sunt hæreses, & abhinc quacumque disseminatæ, aut undecumque per Orientem ebullierunt in hanc civitatem quasi in sentinam confluxerunt; & hîc coadunatæ cænosum stagnum fecerunt, in quo quasi lutosæ ranæ sedentes & argumentosis & sophisticis clamoribus perstrepentes auditum Fidei, qui verbum veritatis fit, nec ipsi audierunt, nec alios audire permiserunt. De hoc etiam hæresum stagno tamquam absinthio multitudo simplicium inebriata est. Omnes itaque sordes hæreticæ pravitatis semper hîc domicilium & quasi proprium nidum habuerunt; & hîc fermentum malitiæ &

Digitized by Google

nequitiæ suæ miscuerunt, & illud communicandum quacumque potuerunt per orbem terræ non solùm verbis, sed etiam fallacibus scriptis distribuerunt, & calicem mortiferum ab hac civitate sicut prima & ingens Babylon, Imperatoribus, Regibus & Principibus propinaverunt. De quo calice Ariana hæresi pleno biberat Constantius Imperator, filius Magni Constantini Imperatoris, sicut apparet in Dialogo, qui inter ipsum & reverentissimum Papam Liberium habitus est, quem conscripsit Theodoretus Episcopus, Ecclesiasticarum Historiarum conscriptor: in quo nimirum Dialogo sanctissimi Papæ Liberii, qui à Sylvestro post Julium tertius fuit, Fides supra firmam Petram fundata, & ejus mirabilis constantia ostenditur, quia in Arianam vesaniam, nec in damnationem Athanasii Alexandrinorum Episcopi, magni & incomparabilis viri, subscribere voluit, dum ab Imperatore multas promissiones, &, sicut ibi legitur, multas minas pateretur. Qui etiam quoniam columna immobilis erat, & propugnator veritatis, & petrinæ constantiæ privilegium obtinuit, ab eodem Imperatore in exilium in Thraciam deportari jussus est. Qui etiam bene Liberius vocatus est, quia libera fronte & libera voce veritatem qui Christus est, tunc confessus est.

Quapropter Constantinopolitana Ecclesia, & Alexandrina, & Antiochena, necnon & aliis ferè omnibus Ecclesiis per Orientem constitutis, in Fide Catholica laborantibus, & naufragium patientibus, sola navicula Petri, licèt multis persecutionum fluctibus tunderetur, & quantumlibet validus esset ventus; nullum tamen hæreticæ subversionis passa est naufragium; sed ut expurgaretur fermentum malitiæ & nequitiæ, quo hæretici corrumpebant Ecclesiam Dei, tam per se, quàm per Legatos suos, semper laboravit, & hodie laborat. Ita quippe beatus Petrus Apostolorum Princeps mandatum accepit à Domino dicente: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quia ergo sacrosancta Romana Ecclesia conservata virginitate rectæ

Luc. 22. 32.

Digitized by Google

Fidei, opitulante Domino, Ecclesiarum omnium mater esse meruit, meritò omnes qui filii Dei & Ecclesiæ dici & esse volunt, illam in omnibus ecclesiasticis Sacramentis debita humilitate imitantur; & licèt pro diversitate cujusque gentis diversi mores & ecclesiasticæ consuetudines habeantur, & in his minimè conformari possint omnes Romanæ Ecclesiæ; tamen in ecclesiasticis, sicut dixi, Sacramentis, nulla umquam debet esse discordia à sacratissima matre omnium Romana Ecclesia. Proinde quid putas? Estne securum Constantinopolitanæ Ecclesiæ decreta Romani Pontificis non suscipere, vel etiam, ut veriùs dicam, contemnere? Quòd si filii Ecclesiæ Romanæ nec esse, nec dici vultis, vos videritis, vos judicate. Si verò filii Ecclesiæ dici & esse vultis, cogitate quod scriptum est: *Fili, audi disciplinam patris tui, & ne derelinquas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo & torques collo tuo.*

Prov. 1. 8. Ibid. 9.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Ego in mera caritate meram veritatem sincerè & sine omni fermento falsitatis locutus sum, tu quoque in eadem caritate, utinam fermento dimisso, responde quidquid vis.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Satis magna & sublimia de dignitate Romanæ Ecclesiæ locutus es; sed ea quæ de hac Ecclesia subjunxisti, parciùs potuerat dixisse modestia tua: decet autem & te & me propter eorum reverentiam qui præsentes sunt, & qui te loquentem patienter audierunt, ut tu me respondentem ea æquanimitate audias, qua ego te audivi. Hoc enim postulat caritas in qua convenimus.

CAPITULUM VII.

Quòd Græci dicunt tres Patriarchales Sedes aliquando fuisse sorores, inter quas Romanæ Ecclesia primatum non negant.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Primatum Romanæ Ecclesiæ, quem tam excellentem

Digitized by Google

lentem mihi proponis, ego non nego, neque abnuo: siquidem in antiquis nostrorum historiis hoc legitur, quòd tres Patriarchales Sedes sorores fuerant, videlicet Romana, Alexandrina, Antiochena, inter quas Roma eminentissima sedes Imperii primatum obtinuit, ita ut prima sedes appellaretur, & ad eam de dubiis causis ecclesiasticis à ceteris omnibus appellatio fieret, & ejus judicio ea quæ sub certis regulis non comprehenduntur, dijudicando subjacerent. Ipse tamen Romanus Pontifex, nec Princeps Sacerdotum, nec Summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantùm primæ Sedis Episcopus vocaretur. Nam & Bonifacius tertius, natione Romanus, urbis Romæ Episcopus, ex Patre Johanne, obtinuit apud Phocam Principem, ut Sedes Apostolica beati Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, quia Constantinopolitana tunc temporis se primam omnium scribebat propter translatum Imperium. Verumtamen ne vel Romanus Pontifex, vel Alexandrinus, vel Antiochenus aliquid in suis Ecclesiis docerent vel instituerent, quod vel à Fide, vel aliorum concordia discreparet, & ut omnes unum dicerent & prædicarent, statutum est quòd duo Legati in Fide & sana doctrina eruditi à Romana Ecclesia semper mitterentur, quorum alter Alexandrino, alter Antiocheno Patiarchæ assisterent, qui eos in anologio stantes, & publicè de Fide prædicantes diligenter observarent. Similiter duo ab Alexandria mitterentur, quorum alter Romano Pontifici, alter Antiocheno in idem opus assisterent. Item ab Antiochia duo mitterentur, quorum alter Romano Pontifici, alter Alexandrino Pontifici in idem opus assisterent. Et ita quidquid in una istarum Ecclesiarum prædicaretur, quod Catholicum esset, auctoritate & testimonio aliarum confirmaretur: si quid verò fortè contrarium Fidei, & dissonum communioni, & alienum à veritate apud aliquam istarum Ecclesiarum diceretur, Legati aliarum fraterna caritate ac humili monitione hoc corrigerent; & siquidem corrigere

non possent, & ille tamquam temerarius, & de se præsumens, errorem suum contentiosè defendere vellet, statim per eosdem Legatos ad aliarum sororum audientiam hoc deferretur. Quòd si per epistolas canonicè missas revocari posset ad concordiam sanæ doctrinæ, bene esset; sin autem, Concilium generale super hoc celebraretur.

Quia verò divina voluntate in hanc regiam urbem translatum est Imperium, & factum est caput in Oriente, & nova Roma propter auctoritatem Imperii nuncupata est, statutum est etiam à CL. Episcopis, qui in hac urbe convenerunt, quando beatus Nectarius ordinatus est hujus sedis Episcopus, damnato Maximo Cynico, qui Apollinaris contagio laborabat: tunc, inquam, statutum est, adnitente piissimo Imperatore Theodosio Majore, quòd sicut antiqua Roma propter honorem Imperii primatum in causis ecclesiasticis à sanctis Patribus antiquitus obtinuit; ita quoque hæc junior & nova Roma propter dignitatem Imperii haberet primatum ecclesiasticum post illam; & sicut secunda Roma, ita & secunda sedes appellaretur & esset, & omnibus Ecclesiis totius Asiæ, Thraciæ & Ponti præesset, & causas ecclesiasticas tractaret, & auctoritate propria diffiniret. Itaque Legati custodes Catholicæ Fidei, qui priùs Romanam, Alexandrinam, Antiochenam Ecclesiam perlustrantes mutua & fraterna observatione Fidem custodiebant, destinati sunt in hanc quoque urbem regiam, & similiter hinc ad illos alii Legati in idem ministerium destinati sunt, quatinus omnes unum dicerent, & in nullo veritatis dogmate discreparent.

Digitized by Google

CAPITULUM VIII.

Quòd Græci dicunt ideo se subſtrahere à Conciliis Romanorum Pontificum, quia Monarchiam Romani Imperii diviſerunt.

NECHITES Archiepiſcopus Nicomediæ dixit: Ita, frater cariſſime, in antiquis hiſtoriis noſtrorum ſcriptum invenitur. Verùm Romana Eccleſia, cui nos quidem inter has ſorores primatum non negamus, & cui in Concilio generali præſidenti primum honoris locum recognoſcimus, ipſa ſe propter ſui ſublimitatem à nobis ſequeſtravit, quando Monarchiam, quod ſui officii non erat, diviſit, & Epiſcopos & Eccleſias Occidentis & Orientis diviſo Imperio diviſit. Et ob hoc ſi aliquando cum Occidentalibus Epiſcopis Concilium ſine nobis celebrat, illi decreta ejus ſuſcipiant, & debita veneratione obſervent, quorum conſilio dictat ea quæ dictanda judicaverit, & quorum conniventiâ ſtatuuntur quæ ſtatuenda decreverit. Nos quoque quamvis in eadem Catholica Fide à Romana Eccleſia non diſcordemus: tamen quia Concilia his temporibus cùm illa non celebramus, quomodo decreta illius ſuſciperemus, quæ utique ſine conſilio noſtro, immo nobis ignorantibus ſcribuntur? Si enim Romanus Pontifex in excelſo throno gloriæ ſuæ reſidens nobis tonare & quaſi projicere mandata ſua de ſublimi voluerit, & non noſtro conſilio, ſed proprio arbitrio, pro beneplacito ſuo de nobis & de Eccleſiis noſtris judicare, immo imperare voluerit, quæ fraternitas, ſeu etiam quæ paterternitas hæc eſſe poterit? Quis hoc umquam æquo animo ſuſtinere queat? Tunc nempe veri ſervi, & non filii Eccleſiæ rectè dici poſſemus & eſſe. Quòd ſi ſic neceſſe eſſet, & ita grave jugum cervicibus noſtris portandum immineret, nihil aliud reſtaret, niſi quòd ſola Romana Eccleſia libertate qua vellet, frueretur, & aliis quidem omnibus ipſa leges conderet, ipſa verò ſine le-

Digitized by Google

ge esset, & jam non pia mater filiorum, sed dura & imperiosa domina servorum videretur & esset.

Quid igitur nobis Scripturarum scientia? Quid nobis literarum studia? Quid magistrorum doctrinalis disciplina? Quid sapientum Græcorum nobilissima ingenia? Sola Romani Pontificis auctoritas, quæ, sicut tu dicis, super omnes est, universa hæc evacuat? Solus ipse sit Episcopus, solus magister, solus præceptor, solus de omnibus sibi soli commissis, soli Deo sicut solus bonus Pastor respondeat. Quòd si in vinea Dei voluerit habere cooperatores, ipse quidem conservato primatu suo exaltatus glorietur in humilitate sua, & non contemnat fratres suos, quos veritas Christi non in servitutem, sed in libertatem in utero matris Ecclesiæ generavit. *Oportet enim*, sicut dicit Apostolus, *omnes nos stare ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum.* Omnes dicit, Apostolus erat qui dixit, seipsum non excepit, nullum mortalium excepit. Omnes dixit, nec Romanum Pontificem quidem excepit. Proinde * nullo Symbolo hoc reperitur, quòd Romanam Ecclesiam confiteri specialiter jubeamur; quinimmo unam sanctam Ecclesiam Catholicam & Apostolicam confiteri ubique docemur.

1. Cor. 5. 10.

* in

Hæc de Romana Ecclesia, salva pace tua, dixerim, quam ego tecum veneror, sed non tecum per omnia sequor, nec ex necessitate per omnia sequendam arbitror: cujus etiam auctoritatem tam excellentem tu pro nobis proposuisti, ut deposito ritu nostro ejus formam & imitationem in Sacramentis indiscussa ratione & Scripturarum auctoritate susciperemus, & ut tamquam cæci clausis oculis ducentem sequeremur, quocumque illa proprio spiritu ducta præiret. Quod quàm securum, seu honestum nobis fuerit, judicent tam Latini quàm Græci sapientes.

Digitized by Google

CAPITULUM IX.

Commendatio Romanæ Ecclesiæ, quàm diligentissima sit in examinandis & dijudicandis ecclesiasticis causis.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Non gravetur caritas tua, si ego cursum verborum tuorum intercipio; multâ enim & valde nimiâ & ineptâ ironiâ videris mihi uti adversus Romanam Ecclesiam, ideoque subsannationem tuam sustinere non valens, sermonem tuum præoccupavi, ne inutilibus magis inutilia adhuc adderes. Quòd si nosses Romanæ Ecclesiæ religionem, sinceritatem, æquitatem, mansuetudinem, humilitatem, pietatem, sanctitatem, sapientiam, discretionem, benivolentiam, compassionem, constantiam, justitiam, fortitudinem, prudentiam, temperantiam, puritatem, & ad omnes caritatem, & super omnia in examinandis ecclesiasticis causis diligentissimam ejus investigationem, & liberrimam in danda sententia veritatem: si, inquam, hæc in Romana Ecclesia ita, sicut ego, certâ experientiâ cognosceres, nequaquam talia dixisses, vel etiam cogitasses; quin potiùs nullo invitante in omnem ejus communionem sine mora sponte transires, & ad obedientiam tantæ sanctitatis qua in se nitet, & æquitatis qua ad illos se extendit, festinando curreres, nec quemquam te retardare volentem audires: si tamen vis esse tam alienæ sanctitatis amator, quàm tuæ consuetudinis defensor.

Scimus quidem à se CL. Episcopis in hac urbe sub Theodosio collectis præsumtuosè statutum, quòd Constantinopolitana Ecclesia tamquam secunda Roma, secunda quoque sedes appellaretur & esset, & Ecclesias Ponti, & Asiæ, & Thraciæ, & eas quæ Barbaricis locis essent, auctoritate propria gubernaret, & earum causas ad se perlatas per se diffiniret. Scimus etiam quòd omnes Episcopi Calchedonensis Concilii numero DCXXX.

Digitized by Google

scripserunt Leoni Papæ, rogantes ut Martiano & Valentiniano Imperatoribus satisfaciens, Constantinopolitanæ Ecclesiæ præ ceteris Metropolitanis hoc præstaret, quatenus liceret ei ordinare Metropolitanos Provinciarum Asiæ & Ponti & Thraciæ. Sed Leo Papa reverentissimus rescripsit, omnia quidem gesta sanctæ Calchedonensis Synodi confirmans, sola verò illa infringens & omnino evacuans, quæ per præsumtuosam ambitionem Constantinopolitanorum gesta sunt, eò quòd essent contra statuta Nicæni Concilii. Unde miranda est tanti viri prudentia, quòd tu statutum, immo præsumtionem à CL. Episcopis in hac urbe factam pro auctoritate inducere voluisti, præsertim cùm ecclesiastica regula jubeat nullum ea debere habere vigorem, quæ præter Romani Pontificis sententiam præsumuntur, & quæ ab eo apostolica auctoritate ac subscriptione non firmantur; nisi fortè tu illud quidem statutum legisti, apostolicas verò epistolas à beatissimo Papa Leone contra idem statutum conscriptas non legisti, in quibus prorsus evacuatur, & tamquam Nicæno Concilio contrarium, in irritum ducitur.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: An videtur tibi, soli Petro, & non potiùs omnibus Apostolis dictum à Domino: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta erunt?* Et iterum. *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Quinimmo non soli Petro, sed omnibus cum Petro, & cum omnibus Petro indifferenter dictum à Domino creditur. Nec super solum Petrum descendit Spiritus sanctus in Pentecosten à Domino missus, qui omnibus æqualiter Apostolis antè fuerat promissus, sed omnes simul inflammavit, & non impari dono nec impariter, sed pari dono omnes pariter, sicut promissum fuerat, donavit. Sic ergo recognoscamus Petro acceptam à Domino potestatem, ut non putemus imminuendam ceterorum Apostolorum auctoritatem, qui utique æqualiter omnes sine aliquo invicem præjudi-

Johan. 20. 23.

Matth. 16 29.

Digitized by Google

cio vel usurpatione, tamquam verè mites & humiles corde, eumdem Spiritum sanctum acceperunt, & in eodem Spiritu sancto eamdem potestatem ligandi atque solvendi susceperunt. Nec rectè soli Petro videtur attribuendum privilegium, quod ab ipso Domino donante commune est omnium. Cavendumque est ne ceteris in eadem potestate eamdem prærogativam habentibus derogetur, dum uni tantùm, quæ est omnium auctoritas, adscribitur. Sic autem honoretur Petrus Apostolorum duodecimus, ut ceteri undecim Apostoli ab auctoritate sui Apostolatus non excludantur, quem certè non à Petro, sed ab ipso Domino, sicut & ipse Petrus, æquali & non dissimili dispensatione acceperunt.

CAPITULUM X.

Quòd licèt non soli Petro, sed etiam ceteris Apostolis data sit potestas ligandi & solvendi; & licèt non super solum Petrum, sed etiam super alios Apostolos Spiritus descenderit; tamen principatus Petri ceteris omnibus est excellentior.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Fateor quoniam non super solum Petrum, verùm etiam super omnes Apostolos Spiritus sanctus descendit, nec soli Petro, sed & aliis omnibus dictum est: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Verumtamen specialiter ad Petrum sermonem hunc dirigens, & eum tamquam janitorem cæli constituens, ait: *Et tibi dabo claves regni cælorum.* Et rursum: *Pasce*, inquit, *oves meas.* Cui etiam ante omnes confitenti & dicenti, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, dixit: *Beatus es, Simon Petre, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.* Manifestè docens Petrum primò cælesti inspiratione edoctum veritatem Fidei, quam postea per ejus manifestam confessionem ceteri didicerunt Apo-

Iohan. 20. 23.
Matth. 16. 19.
Iohan. 21. 17.
Matth. 16. 17.

Digitized by Google

stoli. Nam & Dominus JESUS non Andreæ, non Johannis, non Jacobi, nec alicujus alterius, sed solius Petri naviculam ascendit, & sedens docebat turbas, figuraliter ostendens à sancta Romana Ecclesia, cui præficiendus erat Petrus Princeps Apóstolorum, evangelicam & apostolicam doctrinam in turbas populorum per omnem mundum profluxuram. Ipsi quoque Apostoli recognoverunt principaliter beato Petro personaliter collatum: quod satis patenter ostenditur in libro Lucæ, qui inscribitur *Actus Apostolorum*. Nam cùm apud Antiochiam altercatio esset inter aliquos Apostolos, utrumne fidelibus qui venerant ex Gentibus, circumcisio imponenda esset, missum est in Jerusalem ad Petrum & alios seniores Apostolos qui cum ipso erant, super hac quæstione. Convenientibus omnibus, & magnam super hoc verbo conquisitionem agitantibus, Petrus tamquam primatum habens in medio omnium surgens, de non imponenda Gentibus circumcisione sententiam promulgavit, & collata sibi à Domino auctoritate, quod dubium videbatur, diffinivit: probans hoc ostensa sibi lintei visione, & Cornelii & aliorum Gentilium conversione. Cui etiam Jacobus Jerosolymorum Episcopus, & universi qui aderant, Apostoli & seniores in eadem sententia humiliter acquiescentes obediverunt.

Petrus inter Apostolos ætate senior, fide certior, in audiendis verbis vitæ æternæ simplicior, unde & *Barjona*, id est, filius columbæ, appellatus est; in dandis reddendisque responsis inter Christum & Apostolos promptior, in sanandis infirmis etiam sui corporis umbra efficacior; qui etiam post Ascensionem Domini vice Christi illam novellam & primitivam suscepit Ecclesiam. Ipse Ananiam & Saphiram Spiritui sancto mentientes, spiritu oris sui extinctos, ab Ecclesia & ab illa sancta societate sequestravit. Ipse Simonem Magum cum pecunia sua damnavit, & primatum sui Apostolatus inter ceteros Apostolos humiliter major ubique virtutibus & miraculis cooperante Domino honorificavit. Quocirca nulli fidelium convenit aliquatenus dubitare, seu

Digitized by Google

seu in quæstionem ponere, sed firmissimè tenere, quòd Petrus à Domino Princeps Apostolorum sit constitutus. Quemadmodum autem solus Romanus Pontifex vice Petri vicem gerit Christi; ita sanè ceteri Episcopi vicem gerunt Apostolorum sub Christo, & vice Christi sub Petro, & vice Petri sub Pontifice Romano ejus Vicario: nec in hoc aliquatenus derogatur alicui Apostolorum, si unicuique humiliter suum attribuitur officium.

CAPITULUM XI.

Quòd hæreses in Constantinopoli, vel ubique in Oriente ortæ sint, etiam ibidem extinctæ.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Potest esse quod dicis. Ceterum paulò ante dixisti Ecclesiam Constantinopolitanam, immo ferè totum Orientem variis hæresibus contaminatum: hoc dixisti, & verum ex parte dixisti, quia & ego cùm sim servus veritatis, veritatem negare non debeo. Sed dic, quæso, ubi sunt damnatæ illæ hæreses? Quis eas damnavit? Si hîc à pravis & iniquis sunt exortæ, hîc etiam à bonis & Catholicis viris sunt damnatæ: siquidem Constantino Magno Imperatore ad Fidem converso, & scribente Deo placitas leges pro Christianis, Roma cum suo Occidente, & Constantinopolis cum suo Oriente ex decretis Imperatoris ad Fidem cucurrit. Et quoniam nova & pluribus inaudita Fides subitò publicè prædicabatur, & in hac civitate studia liberalium artium vigebant, & multi sapientes in Logica, & in arte dialectica subtiles in ratione differendi prævalebant, cœperunt Fidem Christianam differendo examinare, & examinando & ratiocinando deficere scrutantes scrutinia, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & evanuerunt in cogitationibus suis, quia non humiliter investigaverunt quod piè & humiliter credere debuerunt; & dum superba ratione humanæ scientiæ tendunt in al-

Digitized by Google

tum, ceciderunt in infidelitatis profundum, & facti sunt hæretici multi, & fecerunt sibi sectas multas, & confusa & lacerata est Fides Christiana in multas & diversissimas hæreses divisa. Itaque Ecclesia Orientis videns tales abuti sæculari scientia, & per diversa loca diversis temporibus ebullire capita hæresiarcharum, missis ubique synodicis Epistolis, adnitentibus piissimis Imperatoribus, multa Concilia celebravit. Primum in Nicæna Bithyniæ provinciæ, ubi damnata est hæresis Ariana, & Symbolum Fidei omnibus Catholicis inviolabile auctoritate Spiritus sancti & trecentorum decem & octo Patrum compositum & confirmatum est.

Deinde succedente tempore, succedentibus quoque diversis hæresibus, alia multa Concilia ad destructionem diversarum hæresum, & ad ædificationem Catholicæ Ecclesiæ celebrata sunt. Nam & in Calchedonensi Ecclesia, & in hac Constantinopolitana, & in Ephesina, & in Antiochena, & in Alexandrina generalia Concilia solemniter habita sunt in damnationem hæreticorum, & ad corroborandam Fidem & unitatem omnium Ecclesiarum. Unde, sicut dixi, si hîc exortæ sunt hæreses, hîc etiam extinctæ sunt; videturque quòd Ecclesia Dei occasione hæresum magis ac magis in scientia Scripturarum creverit, & majus robur Fidei post extinctas hæreses acceperit, adeo ut Fide Catholica jam distincta, & jam ad plenum consummata, justè à sanctis Patribus inhibitum sit, quòd nemo ampliùs de Fide publicè disputare audeat, præsertim cùm nihil demendum vel addendum sit de cetero. Inventa quippe veritate, qui ampliùs quærit, quid aliud meretur invenire nisi mendacium? Potest equidem quis humiliter interrogando investigare, ut sibi de Fide aliquid in notitiam veniat, quod antè aliquatenus ignorabat, tantùm ne revocet illud in ambiguum contentiosè, quod à sanctis Patribus certo Fidei termino est diffinitum; hoc enim nulli mortalium retractare licet, quoniam gravissimo anathemate interdictum est. Igitur hoc improperium quod nobis de hæresibus impingere voluisti, jam

Digitized by Google

amplius cesset, quoniam quidem apud omnes sapientes plus debet valere veritas & virtus bonorum, quàm mendacia & vitia malorum. Dic, quæso, ubi nunc sunt hæretici? Non sunt hîc, quorum nec nomen alicubi in Oriente auditur, sed à Catholicis ubique per Orientem plana & sana Fide Deo dignum obsequium exhibetur. Et fortasse in Romana civitate idcirco non surrexerunt hæreses, quia non adeo sapientes & subtiles & Scripturarum investigatores ibi fuerunt, quemadmodum apud nos: & sicut hæreticorum qui apud nos fuerunt, vana sapientia qua seducti sunt, culpanda est; ita nimirum laudanda est Romana imperitia, qua ipsi nec hoc, nec illud de Fide dixerunt, sed alios inde dicentes & docentes simplicitate, quasi minùs docta audierunt. Quod contigisse videtur vel ex nimia negligentia investigandæ Fidei, vel ex grossa tarditate hebetis ingenii, vel ex occupatione ac mole sæcularis impedimenti Sicut enim Doctorum est aut omnino bene, aut omnino malè sentire vel dicere; ita insipientium & indoctorum est nec bene, nec malè sentire vel dicere. De istis dicit Apostolus: *Nescientes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* De illis dicit quidam sapiens: Dubitare de singulis haud erit inutile.

1. Timot. 1. 7.

CAPITULUM XII.

Quòd unum tantùm sit caput Ecclesiæ in terris, videlicet Roma, & non duo, vel plura, sicut dicunt Græci; & quòd Græcorum hæreses, non Græcorum, sed Romanorum Pontificum auctoritate destructæ sunt.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Apostolus dicit: *Caput Ecclesiæ Christus, caput autem Christi Deus.* Sed caput Ecclesiæ Christus ascendens in altum vicem suam in terris Petro Apostolorum Principi commisit. Petrus ad martyrium vestigia Christi sequens Clementem sibi Vicarium subrogavit, & sic Romani Pontifices per ordinem consequenter vice

Eph. 5. 23.
1. Cor. 11. 3.

Digitized by Google

Christi substituti caput Ecclesiæ sunt in terris, cujus Ecclesiæ caput Christus est in cælis. Noli itaque in uno corpore Ecclesiæ duo vel plurima capita facere, quia valde est indecens in quolibet corpore, & indecorum, & monstruosum, & perfectioni contrarium, & corruptioni proximum. Cùm enim dicis, quòd à centum quinquaginta Patribus in hac urbe congregatis statutum sit, quòd Constantinopolis tamquam nova & junior Roma primatum in Oriente super omnes Ecclesias habere debeat, & propria auctoritate causas ecclesiasticas diffinire valeat, quid aliud facis, nisi duo capita in uno corpore unius Ecclesiæ erigis, & altare contra altare exstruis, & quasi aliud Manichæorum bema ædificas & innovas: sicut enim illi hæretica pravitate, ab Ecclesia dividentes aliquando in Africa suum bema, videlicet sequestratum sacrificandi locum erexerunt, & diem quo Manichæus occisus in illa bematis celebritate pro Pascha frequentabant, tribunali vel altari quinque gradibus instructo, & pretiosis linteis adornato, ac in aperto posito & adorantibus objecto, & magnis honoribus honorato: ita nimirum vos in Oriente nunc singularem ritum sacrificandi tenentes & Ecclesiæ Romanæ vos opponentes, cornu singularitatis erexistis.

Quòd si jure translati Imperii existimas debere fieri, jam non divino, sed humano judicio probaris inniti. Proinde si ab auctoritate urbis eò quòd in illa sedem Regni esse dicatis, caput etiam Ecclesiarum hìc constitutum putatis, eadem ratione in Antiochiâ, quæ non minùs sedes Regni fuisse dignoscitur, tertium caput Ecclesiarum statuere potestis. Nihilominus quoque in Babylone, quæ est Metropolis Ægypti & sedes Regni, quartum caput Ecclesiarum erigere potestis, si tamen eam imperio vestro addere & legibus Christianorum subjugare potestis. Simili etiam ratione in civitate magna Baldach, quàm dicunt sedem magni Regni Persarum, quintum caput Ecclesiarum instituere potestis, si tamen & illam superare & legibus ecclesia-

Digitized by Google

ſticis ſubdere poteſtis. Et ita de ſingulis aliorum Regnorum ſedibus eadem ratio inſtituendorum Eccleſiaſticorum capitum poteſt adduci, & jam non unus Petrus, non unus Princeps Apoſtolorum, ſed multi Petri & multi Principes Apoſtolorum invenirentur. Quod quàm ſit abſurdum, tu videris; & qui præſentes ſunt, & me & te audiunt, judicent.

Certum eſt igitur, & nulli qui ſani ſit capitis, dubium, quòd ſicut una eſt Eccleſia, ita & unius Eccleſiæ unum caput eſt in terris, & hic eſt Romanus Pontifex, quem non ſolùm auctoritas humani imperii, ſed majeſtas divini judicii principaliter omnibus præeſſe voluit, cujus quidem formam & inſtitutionem maximè in eccleſiaſticis ſacramentis oportet omnes imitari, qui ſub obedientia illius in Fide Petri cupiunt ſalvari. Ita enim dicit beatus Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus: « Qui à Romana Eccleſia diſcordat, hunc proculdubio hæreticum eſſe conſtat. » Quod autem dixiſti hæreſes hîc exortas, hîc eſſe mortuas; & hoc dixiſti factum eſſe auctoritate ſanctorum Patrum qui fuerunt in Oriente, & qui in Niczeno Concilio, & in aliis multis Conciliis congregati ſunt. Miror tuam prudentiam, quòd hoc adſcribas membris, quod erat capitis; & quod aſſidentibus hoc attribuas, quod conſtat eſſe præſidentis. Qui videlicet ſancti Patres, qui eiſdem Conciliis interfuerunt, ſi hodie omnes viverent, nullus eorum, nec omnes quidem ſimul aliquam auctoritatem alicujus Concilii ſibi uſurparent, quin potiùs omnem Conciliorum auctoritatem Romano Pontifici recognoſcerent, aut in propria perſona præſidenti, aut per Legatos ſuos univerſa confirmanti. Eccleſiaſtica namque regula quam ipſi non ignoraverunt, ita jubet: « Non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari. » Sciendum eſt ergo quòd hæreſes ſic exortæ ſunt, Græcorum quidem errore; ſed & hîc quidem deſtructæ ſunt, non Græcorum, ſed Romanorum Pontificum auctoritate.

Digitized by Google

Sylvester Papa natione Romanus, præcepit Nicænum Concilium congregatis trecentis decem & octo Episcopis sub Constantino Augusto celebrari, ubi auctoritate Apostolica Fides integra est exposita, & Arius, & Photinus, & Sabellius, & eorum sequaces hæretici sunt damnati. Cui Concilio vice Sylvestri Romani Pontificis Victor & Vincentius urbis Romæ Presbyteri præsederunt, & primi subscripserunt. Ipse quoque congregavit in urbe Roma CCLXXVII. Episcopos, & iterum damnavit Calixtum & Arium & Sabellium. Innocentius Papa natione Albanensis, damnavit Pelagium & Cælestium hæreticos. Qui Pelagius dicebat natum de Christiana matre denuo non oportere nasci per Baptismum. Leo Papa natione Tuscus, constituit Concilium fieri sub Martiano Augusto in Calchedonia, ubi congregati sunt sexcenti triginta Episcopi; ubi auctoritate Apostolica Fides Catholica exposita est, qua creduntur duæ naturæ esse in Christo, videlicet Dei & hominis; & Eutyches Archimandrites, & Nestorius hujus urbis Episcopus, & Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus damnati sunt. Huic Concilio præsederunt Paschasinus Heracliensis Episcopus, & Lucensis Episcopus civitatis Ecclesiæ Ausculanæ, & Bonifacius Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Vicarii Domini Leonis Papæ, & vice ejus subscripserunt. Felix Papa natione Romanus, facto Concilio in Fide sua damnavit Acacium Constantinopolitanum Episcopum, & Petrum Alexandrinum Episcopum, eò quòd essent Eutychianistæ. Gelasius Papa natione Afer, invenit Manichæos in urbe Roma, quos exilio deportari fecit, quorum codices ante fores Basilicæ sanctæ MARIÆ incendio concremavit. Hîc facta Synodo, & missis epistolis per Orientem, iterum damnavit Acacium & Petrum.

Agapitus Papa natione Romanus, veniens Constantinopolim ad Justinianum Augustum cum gloria susceptus est, in cujus præsentia convicit & damnavit

Digitized by Google

Anthimium hujus urbis Episcopum, qui seductus Eutychiana hæresi noluit duas esse naturas in Christo. Qui etiam Anthimius ab Augusto in exilium missus est. Theodorus Papa natione Græcus, damnavit Pyrrum Constantinopolitanum Episcopum, qui priùs Romam venerat, & condemnatis hæresibus quibus involutus erat, coram Papa, rursus more canis ad proprium damnatæ hæresis vomitum repedavit. Idem Papa missis Legatis in hanc urbem damnavit Paulum hujus urbis Episcopum, eo quòd nec unam, nec duas voluntates, aut operationes in Christo Domino voluit confiteri. Martinus Papa natione Tuscus, habita Synodo in Lateranensi patriarchino * cum Episcopis centum quinque damnavit Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrum & Paulum, Patriarchas Constantinopolitanos, qui novitates contra immaculatam Fidem præsumserant innectere; & faciens exemplaria misit per omnem Orientem & Occidentem per manus Orthodoxorum. Donus Papa natione Romanus, reperit in urbe Roma in Monasterio, quod appellatur Boezanas, Nestorianitas Monachos Syros, quos per diversa Monasteria divisit, & ibi Romanos Monachos instituit. Agathon natione Siculus, rogatu piissimorum Principum Constantini, Heraclei & Tiberii Augustorum direxit Missos suos in Constantinopolim pro facienda adunatione Ecclesiarum, Habundentium Paternensem, Johannem Regitanum, Johannem Portuensem Episcopos, Theodorum Presbyterum Ravennatem, Theodorum & Gregorium Presbyteros, Johannem Diaconum, Constantium Subdiaconum. Isti ingressi urbem cum magna honorificentia, suscepti die Dominico, advocati sunt in processionem ad sanctam Dei Genitricem ad Blachernas in tanto honore, ut etiam de Palatio caballos stratos eis dirigeret cum obsequio pietas Imperialis, ut sic eos susciperet. Qui in Basilica, quæ Trullus dicitur, præsedentes in Synodo cum centum quinquaginta Episcopis, & præsentantes locum beatissimi Agathonis Papæ, residente Imperatore sub regali cultu, damnaverunt Macharium Patriarcham Antio-

* patriarchio

Digitized by Google

chenum & suos sequaces, qui unam voluntatem & operationem in Christo asseruerunt, quem Imperator Romam in exilium misit. Statuerunt etiam ut duæ voluntates & duæ operationes in Christo dicantur. Eodem tempore Johannes Episcopus Portuensis Dominicorum die octava Paschæ in Ecclesia sanctæ Sophiæ publicas Missas coram Principe & Patriarchis Latinè celebravit, & unanimiter in laudes & victorias piissimorum Imperatorum Latinis vocibus omnes acclamaverunt.

Ecce vides quaslibet hæreses hîc & ubique exortas à Petra Fidei per Petrum Apostolum collisas & destructas. Itaque non solùm ex prædictis, verùm etiam ex aliis multis Conciliis per Orientem celebratis, necnon etiam ex plurimis Africanorum Conciliis, in quibus variæ hæreses damnatæ sunt, constat Romanam Ecclesiam duo divina privilegia divinitus habere, videlicet præ omnibus incorruptam puritatem Fidei, & super omnes potestatem judicandi. Quæ ergo præcelsa est in potestate, quis adeo imprudens, ut illius auctoritatem & decretales Sanctiones suscipere, & ejus ritum in Ecclesiasticis Sacramentis non eligat imitari? Quamobrem sufficiat tibi tandem auctoritas tanta, ut deposito ritu fermenti, azymo pane utaris in sacrificio altaris, & tam in hoc quàm in aliis Sacramentis conformem te exhibeas sanctæ & immaculatæ Romanæ Ecclesiæ, tamquam devotus filius obediens matri suæ.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Nos in hoc archivo agiæ Sophiæ antiqua Romanorum Pontificum gesta & Conciliorum habemus actiones, in quibus hæc eadem quæ dixisti de auctoritate Romanæ Ecclesiæ reperiuntur; & ideo non parva verecundia nobis esset, si ea negaremus, quæ apud nos à Patribus nostris scripta præ oculis habemus. Verùm neque ipse Romanus Pontifex, neque Missi sui aliquam auctoritatem in aliquo Concilio, neque in damnatione alicujus in Oriente habuissent, nisi consensu & suffragio & amminiculo orthodoxorum Episcoporum per Orientem constitutorum, qui zelo Fidei aliquando cum Romana

Digitized by Google

mana Ecclesia, aliquando etiam sine illa hæreses damnaverunt, & rectitudinem Catholicæ Fidei confirmaverunt. Quia verò tantopere auctoritatem sæpe dictæ Romanæ Ecclesiæ prætendis, dic mihi, quæso, quis Romanorum Pontificum statuerit, ut azymo pane in sacrificio altaris utendum sit, in tantum ut necessitas urgere nos debeat, quòd illud suscipere cogamur: quòd si non ceperimus, justæ damnationi subjaceamus.

CAPITULUM XIII.

Quòd auctoritate & institutione Romanorum Pontificum Melchiadis & Siricii dicunt se Græci fermento uti in sacrificio altaris.

NECHITES Nicomediæ Archiepiscopus dixit: Fateor ego in Ecclesiasticis libris qui apud nos sunt, nusquam scriptum inveni. Sanè Melchiades Papa natione Afer, constituit, ut die Dominico oblationes sacratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. Et Siricius Papa natione Romanus, constitutum fecit, ut nullus Presbyter Missam celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. Si auctoritas Romanorum Pontificum sufficere tibi videtur contra me, debet quoque mihi sufficere contra te. Tu quidem proponis mihi ritum sacrificandi in azymo, quem Romana Ecclesia tenet jam longa consuetudine; ego autem propono tibi scriptum Romanorum Pontificum ex antiqua fermenti institutione. Si ergo tu me judicas tamquam prævaricatorem consuetudinis; ego nihilominus judico te in eodem tamquam prævaricatorem Apostolicæ institutionis. Gravius autem & plus præsumtuosum offendere institutionem quàm consuetudinem; hæc enim auctoritate & ipsius auctoris ratione tenenda probatur, illa verò solo usu undecumque orto utcumque tenetur. Etenim constitutum Romanorum Ponti-

ficum Catholicorum Melchiadis & Siricii de fermentato offerendo nulli dubium est, qui gesta Romanorum Pontificum, ac diversas eorum constitutiones legendo noverit. Præterea, ut veriùs puto, & sicut ex quorumdam consuetudine, qui utique eadem auctoritate potiti sunt, colligi potest, Romana Ecclesia antiquitus in hoc non à Græcis, nec Græci ab illa discordabant; sed tam isti quàm illi modò fermento, modò azymo, juxta quod opportunitas offerentium suadebat, indifferenter in ministerio altaris utebantur, nec quisquam eorum qui communicare vellent, sive Græcus, sive Latinus, aliquod scandalum in hoc patiebatur. Quòd etiam ex hoc veriùs credi potest, quia cùm in urbe Romana simul habitarent turba Græcorum & Latinorum, non solùm Latini, verùm etiam quamplurimi Græcorum præfuisse leguntur in sancta Romana Ecclesia. Anacletus Papa natione Græcus fuit; Evaristus successor ejus, natione Græcus fuit; Thelesphorus, Hyginus, Euleutherius, Antherius, Xixtus, Eusebius, Zosimus, Johannes, item Johannes de patre Platone, Zacharias ex patre Polioeno: isti omnes & quamplures alii, quorum nomina præsenti memoriæ non occurrunt, natione Græci, in Christiana Religione & sana doctrina præcipui in Romana Ecclesia præfuisse noscuntur.

Putasne quòd inter istos Græcos Prælatos & Latinos subditos fuerit quotidie contentiosa discordia de offerendo azymo, sive fermento, ita ut ipsi Pontifices tamquam Græci, numquam nisi fermentum obtulerint, & Romana Ecclesia eis in hoc nequaquam communicaverit? Et rursus Romana Ecclesia per Latinos Sacerdotes numquam nisi azymo usa fuerit, & Romani Pontifices similiter se à communione Latinorum subditorum suorum propter oblatum azymum substraxerunt? Quis hoc credat? Quis hoc affirmare audeat? Quomodo possent esse Prælati Catholici, à quibus non communicarent subditi æquè Catholici? Aut quomodo possent esse subditi Catholici, quibus non communicarent Pontifices æquè Catholici? Quomodo talis Ecclesia justè

Digitized by Google

dici posset Ecclesia, in qua nulla Prælatorum seu subditorum communicandi esset concordia ? Quinimmo potiùs credendum puto, quòd, sicut dixi, omnes indifferenter usi sunt antiquitus nunc fermento, nunc azymo juxta præsidentis, seu offerentis arbitrium, sublato omni scandalo communicantium, sive Græcorum, sive Latinorum. Unde etiam intra muros amplissimæ Romæ apud beatum Cæsareum Congregatio Monachorum Græcorum usque hodie est, & foris muros via Latina in territorio Romano, in loco qui dicitur Crypta ferrea, est alia Congregatio similiter Monachorum Græcorum, qui adhuc, sicut verè compertum habeo, fermentatum offerunt : & hoc fit sine scandalo Romani Pontificis, seu etiam eorum Latinorum inter quos habitant, & quibus communicantibus sibi communicant.

Capitulum XIV.

De hoc quod credi potest, quòd Apostoli & eorum successores nunc azymo, nunc fermento indifferenter usi fuerint ; & quòd Occidentalis Ecclesia alterum, Orientalis verò Ecclesia alterum paulatim totum deseruit.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit : Puto etiam idipsum fecisse Apostolos Christi, quos in consecratione corporis Domini juxta ritum quem tunc nascente Ecclesia observabant, nunc azymo, nunc fermento usos fuisse credendum est. Ipsi namque diversas provincias evangelizando peragrantes, cùm ad aliquam Christianorum Ecclesiam declinassent, & sacrificium sanctum Domino ad communionem fratrum offerre vellent, bene credendum videtur, quòd nec fermentatum, nec azymum nimis studiosè, vel etiam, ut ita dicere audeam, nimis curiosè quæsierunt; sed quidquid ad manus inveniebatur, sive hoc, sive illud, indifferenter cum devotione offerebant ; & hanc formam oblationis seu communionis puto antiquitus fuisse tam

Digitized by Google

in Romana Ecclesia, quàm in omnibus aliis Ecclesiis traditam quidem ab Apostolis, licèt certa scriptura hoc nobis non dicat. At verò eadem Romana Ecclesia paulatim alterum deposuit, videlicet fermentatum; alterum tantùm assumsit, scilicet azymum; & hoc fecit propria auctoritate. Orientalis quoque Ecclesia alterum totum, scilicet azymum, paulatim dimisit; alterum verò tantùm, videlicet fermentatum, elegit: & tamen propter hoc nec antiqui Græci sapientes, nec antiqui Latini sapientes se invicem contemnendos existimabant; sed licèt in hoc minùs essent uniformes, tamen mutua pace & fraterna caritate se invicem in Christo fideliter diligebant & confovebant, & sine alterno judicio, si quando opportunum fuit, Concilia simul celebrabant.

Porro moderna temeritas quorumdam Latinorum extollentium se super se, quæ juxta narrationem historiæ quæ in chronicis, id est, in annalibus libris legitur, circiter trecentos annos se erexit. Illa namque temeritas multa scandala inter Latinos & Græcos sæpe commovit. Illis namque temporibus surrexit quidam Karolus Rex Francorum, qui violenter Romanum Imperium invasit, & se Patricium Romanæ urbis appellari fecit; cujus tempore contra majestatem Imperii Monarchia divisa vel potiùs scissa est, unde non pauca scandala inter Latinos & Græcos orta sunt, non solùm in imperialium institutionum varietate, verùm etiam in ecclesiasticarum regularum diversitate. Inde est quòd cùm Latini nostrum fermentum blasphemant, & sacrificium altaris indignum judicant, & nos potiùs ex fastu suæ elationis, quàm assertione veritatis hæreticos vocant, & ab altaribus suis removentes nobis non communicant. Nos quoque ab eis irritati, & ex æquo eis respondentes, azymum eorum nequaquam curamus, indignum sacrificio sacri altaris judicamus, eos non fastu superbiæ, sed justæ retributionis nomine azymitas hæreticos appellamus, & ab altaribus nostris removentes eis non communicamus, & confundentes nos æqua lance

confundimus, & quidquid in hoc peccamus graviter, provocati facimus. Quòd si ipsi ab hujuscemodi improperiis vellent se continere, & nobiscum in fraterna caritate ambulare, & non super nos potestatis altitudine calcare, nos utique magno gaudio gauderemus, & non solùm ab inepta responsione quiesceremus, verùm etiam neminem illorum judicantes, aut à jure nostræ communionis aliquem pro eo quòd diversum sentiret, amoventes, digna in reverentiam fraterna caritate libentissimo animo impenderemus, & juxta Apostolum honore congruo præveniremus. Sed verum est proverbium quod dicitur: Ubi præcedit inepta provocatio, haud indignè indigna sequitur responsio. Ad hoc attendendum semper, & non facilè obliviscendum esset, quòd Græcorum auctoritas tanta erat aliquando in medio Sapientum Latinorum, ut etiam ipsa Ecclesiastica seu solemnitatum nomina Græcis nominibus disposita ordinarentur, quemadmodum adhuc hodie in ipsa Romana Ecclesia & per totum Occidentem dicuntur; sicut est Patriarcha, Metropolites, Archiepiscopus, Episcopus, Chorepiscopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Canonicus, Clericus, Abbas, Monachus, Ecclesia, Monasterium, Cœnobitæ, Eremita, Basilica, Baptismus, Exorcismus, Catechumenus, Epiphania seu Theophania, Ypapanti, Parasceve, Pentecosten. Ex quo manifestè patet non minimam habendam esse auctoritatem Græcorum, à quibus ipsi Latini aliquando jam æquè vel plus, ut nunc prudentissimi antiquitus sortiti sunt nomina Ecclesiasticarum dignitatum & solemnitatum.

Digitized by Google

CAPITULUM XV.

Quòd auctoritas plurium Romanorum Pontificum plus valere debet, quàm duorum; & quòd Synodus Synodum solvit; & quòd Melchiades & Siricius Papæ non videntur de hostia, sed de eulogiis instituisse.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Si Melchiadis Papæ & Siricii Papæ constitutum de fermento observandum judicas propter auctoritatem constituentium, multò magis observandum, quod à plurimis Romanis Pontificibus dignoscitur quotidiano usu frequentatum, & in omnibus Ecclesiis tam Romæ, quàm per totum ferè orbem celebri observatione usitatum. Quòd autem dixi, ferè, propter vos solos Græcos dixi, & eos qui habitant in Ponto, & in Thracia, & quosdam in Asia & Ruthenorum gentem, qui tamquam idiotæ & ignari omnium divinarum Scripturarum sola consuetudine ritum vestrum tam irrationabiliter, quàm simpliciter imitantur, quoniam contigui habitatores vestri sunt, & jugum hujus Imperii cum formidine serviliter portant. Enimverò quod prædicti Papæ auctoritate Sedis Apostolicæ suis fortasse temporibus observandum instituerunt, numquid non licuit itidem plurimis Pontificibus eadem auctoritate ejusdem Apostolicæ Sedis, qua & ipsi præfuerunt, Ecclesia crescente, & in majorem discretionem de die in diem ascendente, in melius rationabiliter mutare? Si auctoritatem Apostolicæ Sedis consideras in duobus, eamdem auctoritatem scias prævalere in pluribus: quia major est auctoritas plurimorum sanctorum Patrum qui bonum dicunt & faciunt, quàm duorum qui eadem auctoritate funguntur, tametsi boni & bonum dicant, & bonum faciant. Præterea, sicut tu nosti, Synodus Synodum solvit aliquando considerata meliori ratione, ali-

Digitized by Google

quando necessitate, aliquando utilitate, aliquando temporum qualitate: & hoc totum fit juxta discretionem præsidentium, quos tunc vel nunc Deus suæ Ecclesiæ præesse voluit, quibus & claves discretionis & potestatis in omne opus divinum commisit, salvo semper & immoto Catholicæ Fidei fundamento.

Ceterum sicut ego veriùs puto constitutum hoc Romanorum Pontificum Melchiadis & Siricii, non de fermentata hostia, sed de eulogiis potiùs intelligendum videtur, quæ per singulos Dominicos dies per Ecclesias distribui jubentur. Quod autem dixisti de concordia antiquorum Sapientum Latinorum & Græcorum, quibus, ut tu asseris, nullum erat scandalum in offerendo azymo, sive fermento, mihi quidem id quod dicis, non displicet; attamen majorum meorum, & præcipuè Romani Pontificis, sententiam super hoc verbo expectandam puto. Nec enim mea mihi, sed illorum placere debet sententia, quibus & de me, & de mea sententia judicare desuper datum est: & decet nos imitari non solùm docendi diligentiam, sed etiam discendi modestiam.

Capitulum XVI.

Quòd Constantinopolis & omnis Orientalis Ecclesia sub obedientia Romanæ Ecclesiæ fuit, & jure esse debet, & eam in ritu Sacramenti imitari.

Anselmus Havelbergensis Episcopus dixit: Porro quòd causaris modernam & quasi novam temeritatem Latinorum adversus Græcos, non sit tibi mirum, quia cùm omnes historiæ narrent & probent vos antiquitus sub obedientia Romanæ Ecclesiæ, quæ Latina est, fuisse, vos jam non multùm longo tempore suave jugum obedientiæ contemsistis, & subjectionem quam antecessores vestri Romanæ Ecclesiæ humiliter exhibuerunt, vos tamquam prudentes apud vosmetipsos & alta de vobis sapientes abnegastis: unde mi-

Digitized by Google

rum non est si vobis indignantur, & ritus vestros calumniantur, quos ab obedientia sua sequestratos in malum vobismetipsis dolent.

Quod autem quasi jactando dicis, Latinos habere Græca vocabula in Ecclesiasticis dignitatibus & solemnitatibus; putasne, quæso, quòd Latini huc ad Græcos miserint, ut ipsi eis formarent hujusmodi nomina tamquam imperitis, & in Latino eloquio deficientibus, & formare nescientibus? Ne, quæso, ita putes. Quin potiùs antiqui Græci amplissimam Romam tamquam dominam & caput mundi frequentabant, & ejus imperio, sicut ceteræ nationes per orbem terræ, subjacebant, & Romano Pontifici debita reverentia obediebant, quorum consilia tam in ordinandis Ecclesiasticis nominibus & solemnitatibus, quàm in aliis pluribus Romanæ Ecclesiæ sancta & laudanda humilitas libenter admittebat, quia fuerunt tam sapienter humiles, quàm humiliter sapientes. Italia quoque antiquitus magna Græcia appellabatur, sicut antiquarum historiarum Scriptores dicunt, & in urbe Roma utriusque linguæ sermo usitatus vigebat, & vicissim Latini Græca, & Græci Latina lingua utebantur, & neutra fuit aliena Romam habitantibus. Unde factum esse videtur, ut quædam Latinis, quædam etiam Græcis nominibus nuncupentur in Ecclesia; & inde institutum quoque est in Ordine Romano, quòd in summis festivitatibus ad Missarum solemnia Lectiones & Evangelia Latinè & Græcè recitentur, propter præsentiam utriusque populi in utraque lingua eruditi. Et utinam moderni Græci adeo essent humiles, & Romanæ Ecclesiæ obedientes, quemadmodum illi fuerunt. Quàm libenter: quàm, inquam, libenter Romana Ecclesia adhuc hodie consilia eorum admitteret, & secundùm consuetam humilitatem eorum prudentiam audiret! nunquam enim tam superba vel invida fuit, ut vel propriis institutionibus, qualescumque essent, superbè nimis & contentiosè insisteret, vel aliorum institutis, si tamen bona essent, invidiosè detraheret, vel obsisteret.

Quòd

Quod exinde apparet, quia propria instituta sæpe mutaverunt melioribus institutis superordinatis, & aliorum bona instituta humiliter imitanda susceperunt; quemadmodum signa Ecclesiæ, quæ in Campania apud Nolam civitatem primò inventa sunt, unde & nola suis campana vocantur: hoc assumpsit Romana Ecclesia, quia bonum est, & non contempsit, eo quòd non suum, sed alterius inventum fuerit. Græci verò tamquam prudentes apud semetipsos, & abundantes in suo sensu, & sapientes in oculis suis, & sibi ex se sufficere existimantes, semper de propriis inventis, qualiacumque fuerint, consueverunt gloriari, aliorum statutis quantumlibet bonis invidiosè detrahentes, hoc asserentes bonum quod suum, quia suum; & non bonum quod non suum, quia non suum. Contra quos dicit Apostolus: *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Qui tamen etiam de seipso dicit tam humiliter quàm fiducialiter: *Puto quia & ego Spiritum Dei habeam.* Utuntur ergo Latini modò Latinis, modò Græcis vocabulis in Ecclesiasticis Ordinibus, nempe Græcè Episcopus, Latinè dicitur Pontifex, Græcè Presbyter, Latinè Senior, quod est Sacerdos: Diaconus Latinè Minister, quemadmodum de Græco in Latinum; sive de Latino in Græcum, sive de Hebræo in Latinum vel Græcum transtulit translatorum diligentia.

2. Cor. 3. 5.
Ibid.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Satis de auctoritate Romanæ Ecclesiæ utrimque dictum est. Quia verò dixisti quòd considerata meliori ratione apostolica auctoritas de azymo constitutum fecerit, & omnibus Ecclesiis universaliter mandatum dederit, seu tradiderit, vellem jam audire rationem qua hoc factum sit, quòd deleto usu fermenti, quem Melchiades Papa & Siricius Papa instituerunt, usus azymorum ab aliis Apostolicis viris institutus & traditus sit. Si enim ratio quam promittis, accedit ad auctoritatem præmissam, magis videbitur credendum quod asserere conaris. Et siquidem, ut dixi, ratio & auctoritas sibi invicem suffragantur,

Digitized by Google

quid aliud restat, nisi quòd continuò omnes nos tuæ assertioni consentiamus, & deposito fermento, quod duo instituisse videntur, concordantes cum pluribus qui aliud superordinaverunt, azymum assumamus.

Anselmus Havelbergensis Episcopus dixit: Ego non facilè accesserim ad hoc quod tu tam perfunctoriè dictum putas mihi subitò esse persuasum, videlicet quòd Romana Ecclesia aliquando fermento usa fuerit, quo postea deposito azymum assumserit. Sed quoniam tu constitutum Melchiadis & Siricii Papæ adduxisti, oportuit me tibi respondere quid super hoc senserim ducente me non fallaci ratione, salva tamen tantorum Patrum auctoritate. Proinde jam intende qua ratione potiùs sit utendum azymo nostro, quàm tuo fermentato in sacrificiis altaris.

Capitulum XVII.

Quòd in Cœna Dominica Christus azymum consecravit; & quòd nusquam in veteri Testamento fermentum, sed azymus offerri jubetur.

Anselmus Havelbergensis Episcopus dixit: Dominus noster Jesus Christus qui venit in hunc mundum peccatores salvos facere, qui se formam totius veritatis exhibuit, ipse in consecratione sui sacratissimi corporis primò credendus est habuisse azyma, quod & Discipulis suis distribuit, & cujus formam eis imitabilem & in commemorationem sui faciendam reliquit. Ita quippe dixit Sacramentum distribuendo: *Accipite, hoc est corpus meum;* & ita dixit formam Sacramenti instituendo: *Hoc facite in meam commemorationem.* Istud hoc dixit propter errorem quorumdam, qui in sacrificio altaris non putant idem corpus consecrari, quod ipse in Cœna Paschali consecravit, & Discipulis tradidit; sed huic verbo quod sequitur, *in meam commemorationem*, stulti nimis inhærentes, putant eum hoc tantum instituissè, quòd in commemorationem tantùm, &

Luc. 22. 19.

Ibid.

16.

Digitized by Google

non in veritatem ejusdem sui corporis sacramenta altaris celebranda essent. *Hoc*, inquit, *est corpus meum, hoc facite; hoc*, id est, idipsum corpus, non tantùm in commemorationem, sed in ipsam corporis meram veritatem facite, id est, consecrate. Quod autem dixit, *in meam commemorationem*, hoc voluit intelligi, quòd Sacramentum veri corporis nequaquam propter aliud, sed simpliciter in memoriam Passionis ejus & salutem animarum debeat à fidelibus celebrari. Sic enim dicit Apostolus: *Quotiescumque panem hunc manducabitis, & calicem hunc bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Credendum est itaque Christum in magna Cœna Paschali azyma tantùm habuisse, & illud consecratum in corpus suum Discipulis suis *, quia ipse de seipso dixit: *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Lex autem dicit in Exodo, qui & Hellesmoth Hebraïcè dicitur: *Primo mense quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque in diem vicesimam primam ejusdem mensis, ad vesperam, septem diebus non invenietur fermentum in domibus vestris. Quicumque comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israël, tam de advenis, quàm de indigenis terræ. Omne fermentum non comedetis in cunctis habitationibus vestris, comedetis azyma.* Quia igitur secundùm mandatum legis in illis septem diebus Paschalibus in nulla domo Israël inventum est fermentatum, sed tantùm solùm azyma, & Christus venerat non solvere legem, sed adimplere, manifestum est eum in Cœna Paschali, ubi consecravit corpus suum, azyma habuisse, & illud consecrasse, antiquum Pascha ita quidem consummando, & novum Pascha initiando. Unde enim illi fermentum, quod utique per omnes domos Israël in illis septem diebus secundùm legem erat prohibitum, & tam advenis quàm indigenis sub certo damnationis periculo interdictum & vetitum? Nisi fortè inde talem tibi opinionem fingere velis, quòd ipse tamquam omnipotens novum sibi fermentum tunc ad hoc Sacramentum complendum creaverit; quod non solùm contra Evangelium, verùm etiam contra om-

Idem ibid.
Luc. 22. 19.
1. Cor. 11. 26.
* Suppl. tradidisse
Matth 5. 17.
Exod. 12. 18.
Ibid. 19.
Ibid. 20.

Digitized by Google

nem verisimilitudinem esse constat.

Numquid videtur tibi ratio ista insufficiens? Christus auctor hujus Sacramenti, quem per omnia oportet imitari, sufficiat tibi in exemplum & imitationem, cujus auctoritas, si cui minùs sufficit, alium quærat cum quo loquatur, quia ego eum *tamquam hæreticum hominem post primam & secundam monitionem*, sicut Apostolus monet, vitare volo. Ad hoc attendat caritas tua, quòd nusquam in veteri Testamento præcipitur, vel etiam conceditur fermentum offerri in sacrificio Domini, immo prorsus interdicitur, & sicut ingratum Deo ubique in lege offerri prohibetur. Ita namque legitur in Levitico, qui & Vaicra Hebraïcè nuncupatur: *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Item in Levitico: *Hæc est lex hostiæ pacificorum, si pro gratiarum actione fuerit oblatio, offerent panes absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma uncta oleo, coctamque similam.* Item: *Ista est lex pro consecratione: Cùm complebuntur dies, quos ex voto quis decreverat, offeret oblationem Domino, agnum immaculatum in holocaustum, ovem anniculam immaculatam pro peccato, arietem immaculatum, hostiam pacificam, canistrum quoque panum azymorum, qui conspersi sint oleo, & lagana absque fermento uncta oleo.* Item: *Ista est lex sacrificii & libaminum*. Tollet Sacerdos pugillum similæ quæ conspersa est oleo, adolebitque in altare in odorem suavissimum; reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis absque fermento, & comedet in loco sanctuarii. Ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus offertur in incensum Domini, sanctumque sanctorum erit.* Item in Exodo: *Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ.* Item: *Tolles panes azymos & crustulam absque fermento, quæ conspersæ sunt oleo, lagana quoque oleo lita. Similiter quoque duodecim panes propositionis de pura simila cocti, qui supra mensam purissimam altrinsecus seni coram Domino positi sunt, & per singula Sabbata mutabuntur.* Azymos fuisse nemo dubitat, qui illius Scripturæ notitiam aliquatenus habere videatur.

Vides itaque quàm evidenti ratione, quàmve firma

Levit. 2. 11. Levit. 7. 11. Ibid. 12. Num. 6. 13. Ibid. 14. Ibid. 15. Levit. 6. 14. * al. lamentorum Ibid. 15. Ibid. 16. Ibid. 17. Exod. 23. 18. Exod. 29. 2. Levit. 24. 5. Ibid 6. Ibid. 8.

Digitized by Google

auctoritate institutum sit, quòd in sacrificio altaris potiùs utendum sit azymo, quàm fermento. Ubique enim fermentum corruptionis improbatur, & à sacrificio prohibetur, & ubique azymus sinceritatis & veritatis probatur, per cujus quoque oblationem Deus ad propitiandum populo placatur.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Rationem quam promisisti, satis convenienter & probabiliter, utpote magnis auctoritatibus innixam adduxisti; & ego quod verum esse constat, negare non audeo, ne fortè induam subitò notabilem faciem pudentis ac erubescentis, & amissa fronte serenitatis assumam ignominiosum vultum confusionis, & comprehendar in mendacio, dum contra id quod verum est, contentiosè laboro: nam qui veritatem dicit, non laborat; & qui mendacium loquitur, ex proprio loquitur. Esto igitur interim verum quod dixisti: at verò nos in Evangelio ita legimus, *eulogisen arton*, id est, *benedixit panem.* Cùm igitur *arton*, id est, panem videtur velle simpliciter intelligere, communem panem, scilicet fermentatum, quo homines universaliter utuntur, & quem usitato sermone *arton*, id est, panem vocant. Quòd si quando discretè voluerint loqui de azymo, nequaquam utuntur hoc verbo *artos*, quod est panis; sed utuntur discreta locutione hoc verbo quod azymus. Nam *a* Græcè, Latinè dicitur *sine*; *zymus* autem *fermentatum*. Ita nimirum & ego simpliciter vulgari significatione intelligo fermentatum, cùm lego in Evangelio, *eulogisen arton*, id est, *benedixit panem.* Quid enim ad me, ut ego ibi scriberem vel legerem, *eulogisen azymon*, cùm Evangelista ibi posuerit, *eulogisen arton*; quod manifestè panem usitatum videtur significare? Rursus quod induxisti de veteri Testamento, & ostendisti quòd nusquam in sacrificio fermentatum liceat offerri, satis quidem argutè hîc notasse videris; sed & ego nullatenus idem negare possum, & hoc est magnum argumentum, ut verum fatear tuæ assertionis. Porro mihi videtur quòd in eodem veteris Testamenti Levitico reperiatur

Digitized by Google

de oblatione fermenti, ubi per Moïsen dicitur ad filios Israël. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulos primitiarum, septem hebdomadas plenas usque ad alterum diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies; & sic offeretis sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini.* Hîc planè videtur fermentatum debere offerri Domino, nisi fortè ibi sit aliqua expositio, quæ nos cogat hoc aliter intelligere, quàm ibi videtur scriptum.

Levit. 23. 15.
Ibid. 16.
Ibid. 17.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Ita credo legendam divinam Scripturam, ut numquam inter se discordet, semper autem concordet: & hoc debet esse vehemens studium prudentis lectoris, ut tunc se noverit rectè intellexisse Scripturam divinæ legis, cùm eam reduxerit ad aliarum Scripturarum concordiam & ad legem caritatis. Siquidem ista talis oblatio, ubi duo panes primitiarum de duabus decimis similæ fermentatæ offeruntur, nullatenus aliquid attinet ad ordinem eorum quæ Domino specialiter offeruntur, quoniam nec fit in altari, nec in loco sanctuarii, nec intra sancta sanctorum, nec fit aliquo ritu aliarum oblationum, sed tantùm cùm Sacerdos panes primitiarum similæ fermentatæ ab offerente susceperit, & in gratiarum actionem pro frugibus terræ coram Domino levaverit; non quidem ibi aliquo oblationis ritu offeret, sed statim cedent ex integro in usum ipsius Sacerdotis. Ideoque, dilectissime, ut verum me dixisse noveris, diligentissimè perquire, & nusquam reperies in lege fermentatum Domino offerendum in sacrificio, sed semper azyma seu similam purissimam absque omni fermento. Ad hanc igitur formam oblationis, quam Dominus in veteri Testamento ubique instituit, & qua seipsum ad propitiandum populo suo placari voluit, credendum est ipsum quoque Filium Dei, qui optimè novit quomodo placandus sit Deus Pater, in consecratione sui sacratissimi corporis habuisse azyma, qua-

Digitized by Google

tenus & figuram legis in offerendo azymo non solveret, & veritatem ejusdem legis in consecratione veri corporis sui consummando adimpleret.

CAPITULUM XVIII.

Quòd fermentum in divina Scriptura nusquam in bono accipitur; & quòd minùs est habile ad tractandum cautè.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Proinde in omni divina Scriptura fermentum tuum nusquam invenitur in bona significatione acceptum, sicut nostrum azyma. Unde Dominus in Evangelio Lucæ: *Attendite*, inquit, *à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Item in Evangelio secundùm Matthæum: *Intuemini & cavete à fermento Pharisæorum & Saducæorum.* Item in Evangelio secundùm Marcum: *Cavete à fermento Pharisæorum & à fermento Herodis.* Et Apostolus: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento malitiæ & nequitiæ; sed in azymis sinceritatis & veritatis.*

Luc. 12. 1.
Matth. 16. 6.
Marc. 8. 15.
1. Cor. 5. 7.
Ibid. 8.

Præterea si rectè consideres, nequaquam ita habile est ad tractandum cum reverentia tuum fermentum, sicut azyma nostrum, quod nobis per Moïsen, qui fidelis erat in tota domo Dei, & qui omnia ordinavit ad exemplar eorum quæ vidit in monte, & per ipsum tandem Christum traditum, quoniam fermentatum quando tractatur, & quando frangitur, & quando distribuitur, facillimè in plures micas solvitur, & nequaquam tam cautè, nec omnino sine negligentia, sicut oportet, custodiri potest. Et quoniam minima, ut ita dixerim, micæ particula verum & integrum corpus Domini est, si cui quantumlibet parva, negligentia super hoc contigerit, gravem Domini maledictionem incurrit, sicut scriptum est: *Maledictus homo qui opus Dei sui negligenter fecerit.* Ceterum nostrum azyma tam in veteri quàm

Ierem. 48. 10.

Digitized by Google

in novo Testamento electum à Deo Patre, & probatum & consecratum à Deo Filio, sanctissima sui corporis consecratione solidum est, sincerum est, ratum est, immaculatum est, incorruptum est, cavernosum non est, inflatum non est, molle non est, in micas minimas facilè non solvitur; sed per omnem modum tractabile est, & ad consecrandum, & ad frangendum, & ad distribuendum cum omni cautela habilissimum. Quod etiam apud Religiosos Latinos per manus Diaconorum, & ex electis granis, & ex mundissima simila in sacrario ad futuram hostiam cum decantatione psalmodiæ reverenter præparatur, & sub diligenti custodia usque ad tempus sacrificii reservatur. Considerata itaque ratione & auctoritate, & ipsius sacramentalis hostiæ congrua habilitate, patenter omnibus Græcis per Orientem habitantibus constare debet, quòd potiùs utendum sit azymo quàm fermentato.

NOTA.

CAPITULUM XIX.

Quòd propter longum fermenti usum Græci non facilè possunt transire ad azymum, sed facto generali Concilio, sive hoc, sive illud, satis indifferenter suscipere, sublato utriusque gentis scandalo.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Ego hunc usum fermentati in Ecclesiis Orientis ab initio vidi & didici, & à prædecessoribus nostris traditum novi, & tam longum usum tantæ Ecclesiæ veneror, nec audeo temere judicare, nec video facilè posse permutari; sed hoc tandem de mea persona puto & dico omnes Græcorum sapientes ab hac mea sententia non discrepare. Si ergo fortè essem ubi nullatenus fermentatum habere possem, & azyma præsto & paratum esset, & ego Missam cantare, ac Domino sacrificium altaris offerre vellem, ego profectè azyma non horrerem, sed fiducialiter ad offerendum sacrificium Deo imma-

Digitized by Google

immaculatum consecrarem, & fideliter communicarem, & Græcis, si fortè adessent, ad communicandum præberem, si tamen dies publicæ communionis esset, seu in Pascha, seu in qualibet alia solemnitate, qua solet Ecclesia ex constituto universaliter communicare, & nulli Christianorum à communione altaris licet se substrahere, nisi fortè quis publica pœnitentia astrictus submoveatur. Verùm quoniam plures sunt pusillanimes, quàm in Fide docti & constantes, & turba quæ legem discretionis non novit, facillimè scandalizatur, hoc operæ pretium esset, ut omnes tam Latini quàm Græci studiosissimè in Domino elaborarent, quatenus generale Concilium congruo loco & tempore in unum convenientes celebrarent, & aut omnes universaliter ritum azymi, aut omnes universaliter ritum fermenti uniformiter assumerent: aut si hoc, vel illud universaliter sine minimo, aut sine nimio scandalo alterius partis vel gentis non posset fieri, saltem in hoc convenirent, quòd nec isti illos propter azymum, nec illi istos propter fermentum, quod isti consueverunt, temere judicarent, sed mutua pace sibi invicem indulgerent, & hac occasione caritas sancta non destrueretur, quæ non sine utriusque gentis periculo apud utrosque graviter infirmatur..

Quamvis enim juxta præmissas auctoritates & rationes, & etiam juxta ipsius Sacramenti ritum, sicut tu dixisti, potiùs videatur hostia azymi offerenda: tamen quia longus Græcorum usus hostiam fermenti diu obtinuit, & non sine maximo multitudinis, immo totius gentis scandalo permutari posse videtur, bene putatur permittendum, quod tamdiu apud nos est usitatum, præsertim cùm & hostia fermenti & hostia azymi æquè sit panis; & licèt in forma differant, tamen panis substantia nulla fermenti vel azymi est differentia; & salva integritate Fidei utrumque satis catholicè videtur posse offerri; præsertim cùm panis vivus qui de cælo descendit, in utroque æquè convenienter possit figurari. Tollatur itaque de me-

dio utriusque gentis perniciosum discordiæ scandalum, & nullum in offerendo azymo sive fermento rectæ Fidei erit periculum, quia, sicut dixi, sana Fide de utroque satis licitè potest fieri hostia salvatoris Domini nostri JESU CHRISTI in salutem credentium & fideliter offerentium, & non in salutem iniquè discordantium. Scriptum est enim: *Deus pacis & non dissensionis*. Et, *In terra pax hominibus bonæ voluntatis* de excelso per Angelos annuntiatur. Ex multis quippe granis in unum collectis sacra fermenti sive azymi hostia confecta totius Ecclesiæ populum in unam eamdemque caritatem in Christo collectum significat, qua videlicet hostia non sine magno periculo, quantumlibet securum se existimet, communicat, qui se à caritate fraterna quæ est in Christo JESU, quoquo modo sequestrat.

1. Cor. 14. 33.
Luc. 2. 14.

Majus etiam peccatum videtur temeraria perversitas iniquorum judiciorum, quibus invicem nos commanducamus, quàm ipsa Sacramentorum diversitas propter quam dissentimus, quia istud satis indifferenter, sicut suprà dixi, videtur posse fieri in Domino. Illud autem, scilicet temerarium præjudicium, altrinsecus malignè discordantium nulli umquam licet Christiano. Discordiâ autem tamquam peccato plenâ Deus offenditur: hostia verò salutari tamquam devotione perfecta Deus placatur. Illa damnandos acriter accusat, ista salvandos salubriter excusat. Illa Deum judicem offendendo provocat, ista Deum pium propitiando placat. Illa in tartara, ista mittit ad supera. Per illam à Deo alienamur, per istam Deo incorporamur. Per illam terreni, per istam cælestes efficimur. Quidquid igitur sit de diversitate sacræ oblationis, ad unitatem caritatis necesse est omnes concurrere; quia sicut caritas in sacra oblatione, ita sacra oblatio in vera caritate operit multitudinem peccatorum; & sicut hostia salutaris salutem non operatur sine caritate, ita perfecta caritas non scandalizatur in ejusdem hostiæ diversa oblatione. Qua videlicet ca-

Digitized by Google

ritate absente cetera bona omnia inaniter habentur, & qua præsente quædam bona venialiter non habentur.

Proinde si generale Concilium communicato omni consilio, adnitentibus piissimis Imperatoribus fieret, & personam meæ parvitatis interesse contingeret, ego planè hæc eadem in medio omnium fiducialiter dicerem, nec Græcum, nec Latinum in hac sententia pertimescerem, & mansuetudinem Romani Pontificis debita humilitate & reverentia commonerem, quatenus ipso opitulante, sublata omni occasione simultatis & discordiæ omnes efficeremur unum in Sacramentorum observatione, qui semper fuimus unum in Catholica Fide. Et spero quòd ipse me humiliter monentem patienter audiret, sicut Petrus cùm esset Princeps Apostolorum, Paulum aliquando constanter reprehendentem humiliter audivit, ubi & constantia Pauli fiducialiter & justè reprehendentis commendatur, & humilis patientia Petri in mansuetudine supportantis plurimùm laudatur; quamvis & ego longè inferior sim Paulo, & ille non inferior debeat esse Petro. Ita nimirum fieri posset quòd Romanus Pontifex Latinis Latinus, Græcis Græcus, omnibus omnia factus, omnes lucrifaceret, & humili auctoritate Apostolicæ sedis universa pro quibus discordamus, adæquaret, vel altero prorsus sublato, alterum universaliter instituendo, vel sublato utriusque scandalo, utrumque indifferenter instaurando.

Anselmus Havelbergensis Episcopus dixit: Satis super hac quæstione dictum videtur, & adhuc aliquid restat quod à tua prudentia velim cognoscere.

Capitulum XX.

De commixtione vini & aquæ in calice, quod aliter Græci, aliter Latini faciunt.

Anselmus Havelbergensis Episcopus dixit: Dic ergo quare in sacrificio altaris vinum & aquam simul in calicem infusam & mixtam non offertis? Quare

vinum merum sine aqua consecratis? Postquam enim vinum merum oblatum sacrificatum est, tunc demum aquam simplicem & non sanctificatam in calicem infusam cum sacratissimo sanguine miscetis, & ita communicatis. Qua ratione, quæso, hoc facitis?

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Christus in magna illa sua Cœna, quæ specialiter Dominica Cœna vocatur, non legitur aquam cum vino mixtam in calice consecrasse, ideoque ad formam illius nos similiter facimus, & non est nobis major aliqua ratio, quàm ipsius Salvatoris imitatio.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Quamvis in Evangelio manifestè de aqua nihil scriptum sit, ita ut vel apposita, vel non apposita ibi legatur; tamen non videtur absurdum, si juxta morem Judæorum & Palæstinorum, qui semper vinum aquâ mixtum bibunt, ipsum quoque Christum vinum aquâ mixtum sacramentaliter consecrasse intelligamus. Quòd si tu dixeris hoc esse temerarium affirmare, quòd in Cœna Domini vinum fuerit aquâ mixtum, quia in Evangelio hoc non legitur: ego nihilominus dico hoc temerarium affirmare, quòd ibi aqua ad vinum posita non fuerit, quia & hoc in Evangelio minimè legitur. Et si tibi videtur incautum aliquid dicere, quod illa Scriptura ibi de hoc minimè dicit, quare non similiter videtur tibi incautum hoc negare, quod illa Scriptura de hoc eodem minimè negat? Ego quidem contentiosè non affirmo vinum aquâ mixtum in calice Domini fuisse, sed nec tu illud contentiosè debes negare: præsertim cùm auctoritas evangelica nec alterum affirmet, nec alterum neget. Porro in ambiguis rebus nihil est cum temeritate affirmandum, & nihil cum indignatione refellendum. Cùm igitur aliquid affirmas, cave temeritatem; & cùm refelleris, cave animi indignationem. Sicut enim temeritas affirmando est præsumtuosa, ita quoque iracundia in refellendo solet esse litigiosa, quod utrumque prudentissimè cavendum est ab investigatoribus veritatis.

Digitized by Google

Quoniam autem Evangelio manifestè dicente, de latere Domini in cruce exivit sanguis & aqua in redemtionem nostræ salutis, rectè videtur vinum & aqua in calice mixto in dominicæ Passionis commemorationem & in peccatorum nostrorum remissionem offerri, ut videlicet in sanguine novi & æterni Testamenti non desit aqua quæ populum significat, qui in communione ejusdem sanguinis novi & æterni Testamenti redemtus salvatur, & tamquam unum corpus Ecclesiæ cum capite suo qui est Christus, concorporatur & unitur, & sanctificatur & offertur. Scriptum quippe est, *Aquæ multæ populi multi sunt.* Hac itaque ratione Latini vinum simul & aquam in uno calice mixtum offerunt, ut videlicet per vinum sanguis Christi, & per aquam plebs Christi, quæ est Ecclesia, significetur: & non seorsum, nec singulariter tamquam divisa, sed simul mixta tamquam in unum corpus sanctificetur. Vos autem cùm solùm vinum merum sine aqua in calice offertis, jam non Ecclesiam quæ est corpus Christi, cum Christo capite sanctificatis, sed solum Christum caput Ecclesiæ sine membris consecratum offertis; quod nimirum omni ratione carere videtur*: & quidem consecratum non singulariter, sed simul sacratum rectè dicitur.

*al. probatur

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Sicut dixisti, *Aquæ multæ populi multi sunt.* At nos formam Dominicæ Cœnæ imitantes vinum merum tantùm in calice offerimus, quod per divinam operationem & virtutem, & per ministerium Sacerdotis consecratum fit sanguis novi & æterni Testamenti; cui etiam convenienter postea & rationabiliter aquam admiscemus, ut videlicet populus nequaquam per se sanctificatus per unionem, qua unitur sacrato jam sanguini, sanctificetur; & sic in consecratione vini meri solius sanguinis Christi consecrationem debitâ reverentiâ devotissimè celebremus: nec tamen salutem populi Christiani negligimus, cùm aquam postea admiscemus, ut & ipsa qui populus est, participatione ejusdem Sacramenti sanctificetur. Minùs quippe dignum videretur, ut san-

Digitized by Google

ctificans & sanctificandum æqualiter essent in una eademque consecrationis dignitate; sufficit autem si aqua qui est populus, sanctificatur divinæ consecrationis participatione, & non ejusdem consecrationis integra dignitate. Nec enim ab initio cum Christo sanctificati sumus, nisi per sanctum Spiritum, & per sancti Spiritus communicationem, & per sancta Sacramenta Christi & Ecclesiæ participando & communicando sanctificari cœpimus.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Nollem te separare caput à membris, nec membra à capite, quia sicut Apostolus ait: *Caput Ecclesiæ Christus.* Quòd si separando tollis Christum, ubi, quæso, est caput Ecclesiæ? aut etiam quomodo potest esse Ecclesia, ubi non est caput qui est Christus? Si autem separando tollis Ecclesiam, ubi, quæso, sunt membra capitis? aut etiam quomodo Christus dici potest caput Ecclesiæ, ubi nulla ejus* sunt membra? Vide ergo, frater, ne aliquo seu * deceptoriæ rationis figmento caput à membris, vel membra à capite separanda existimes; quia hoc est & Christum & Ecclesiam de medio tollere, & omnia confundere. Sanè divina Scriptura consuevit multa de capite, qui est Christus, loqui, quæ non conveniunt Ecclesiæ; & itidem multa solet loqui in persona Ecclesiæ, quæ non conveniunt capiti; nec tamen alterum ab altero aliquatenus separare intendit. Sicut enim Heva de latere dormientis Adam, ita Ecclesia de latere Christi patientis in cruce fabricata est. Ideoque in oblatione & consecratione sacratissimi corporis & sanguinis Domini, quæ in commemorationem Dominicæ Passionis celebratur, deesse non debet aqua, quæ de latere Christi unà cum sanguine fluens Ecclesiam figuravit, & eam sanctificando irrigavit & baptizavit; quatenus hoc totum quod de latere Domini manavit, noster homo his duobus renovatus vivat, ut si quam peccati maculam post baptismum contraxit, habeat in hoc undam veniæ qua diluatur, [illegible] rursus de die in diem renovetur. Nam si vinum sine aqua offertur, sanguis Christi

Ephes 5. 23.

* al. Ecclesiæ

* f. ceu

incipit esse sine nobis, quasi caput sine membris. Si autem aqua sola offeratur, jam plebs videtur esse sine Christo, quasi membra sine capite. Quando autem utrumque miscetur, tunc profectò rectè mysterium Christi & Ecclesiæ spiritualiter perficitur, quia Christus & Ecclesia unum corpus esse probatur, ut jam non quasi duo, videlicet vinum & aqua; sed vinum scilicet sanguis Christi fiat, quo pueri communicantes, & undam sacræ purificationis & renovationis percipiant, & sanguinem pretium Christianæ salutis hauriant, & in unitatem corporis Christi, quæ est Ecclesia, spirituali purificatione & convivificatione transeant.

Nec mireris quòd duo liquores, aqua scilicet & vinum, simul consecrata in unum, scilicet sanguinem, divina operatione transeunt ad spiritualem vegetationem animarum nostrarum, cùm quotidie quotquot liquores sumimus, in nostrum transeant sanguinem ad sustentationem corporum nostrorum. Ob hoc quippe non inconvenienter vinum & aqua priùs mysticè commiscetur, & tamen post consecrationem nonnisi sanguis bibitur, quia in illo priùs per aquam baptizati, postea eum esuriendo & sitiendo spiritualiter potamus. Quis enim umquam præsumsit communicare Sacramento dominici corporis & sanguinis, nisi priùs esset renatus aquâ baptismatis? Hoc enim non esset communicare, sed extra ordinem faciendo seipsum extra communionem ponere Christianorum. Neque enim quisquam bibendo hunc calicem Christo incorporatur, nisi priùs in Baptismate cum Christo consepultus membrum ipsius efficiatur. Rectè itaque nos aquam vino ante consecrationem miscemus, & simul consecrantes sanguinem solum post consecrationem sumimus, quia priùs aqua baptizari, postmodum verò sanguine Christi nutriri ac satiari oportet. Tu autem satis ineptè videris vino consecrando aquam simul consecrandam subtrahere, quia hoc modo quod utrisque quasi uni convenit, hoc non utrisque quasi non uni impendis, sed tantùm soli altero subtracto tribuendum putas; & in ipsa oblatione

Digitized by Google

offendis eum quem placare debueras, dum rectè studes offerre, & oblatum sive offerendum satagis non rectè dividere: quippe non modicè peccat, qui bene conjuncta non bene separat, bene autem in cruce conjuncta, & de latere Domini mysticè manantia tu incautè non bene separas, tamquam aliquid melius per teipsum instituendo; illud verò quod divinitus tunc factum est, contemtibiliter mutando.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Ego membra Ecclesiæ capiti suo Christo bene diu conjuncta non tento separare, sed congruo modo convenienter conjungere, ut membra sanctificatione capitis percepta ipsa quoque sanctificentur, & sanctificationis unione Christo digniùs coaptentur: quod & ita faciendum esse multis rationibus astruere possum.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Semper respondere semper respondentibus, usque in infinitum ducit. Tu quidem ad inveniendam novam sententiam subtilis es ingenio, & ad eam defendendam facundus es in Græco eloquio: sed in hujúsmodi magis probatur modesta & sobria sapientia, cui sufficiunt termini à sanctis Patribus conscripti, quàm nimis arguta & supra modum perscrutans prudentia, quæ se supra se & supra terminos sanctorum Patrum extendere conatur. Sic enim monet Apostolus: *Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* (Rom. 12. 3.) Quid autem tam falsum, quod dicendo non putetur posse videri verum? Aut quid tam verum, quod dicendo non putetur posse videri falsum? Si tamen in dicendo non desit astuta sapientia, nec persuadibilis eloquêntia. Tu videris, si falsum pro vero dixeris. Ego scio & non dubito me verum dixisse. Nam nos de latere Christi in cruce sanguinem & aquam simul manasse in redemtionem salutis nostræ & totius humani generis, Evangelio testante, indubitanter scimus & credimus, ideoque & nos vinum & aquam simul in uno calice mixta & consecrata in remissionem omnium peccatorum offerimus, & propter hoc hunc ritum offerendi docemus, & sufficit

Digitized by Google

ficit nobis formam Passionis Christi imitari, quia nolumus aliquibus novis adinventionibus impediri. Quidquid autem tam in hoc quàm in aliis Sacramentis ecclesiasticis facimus, aut secundùm figuram quæ præcessit, aut secundùm veritatem quæ in Christo apparuit, facimus; & nihil ex nobis, sed omnia ex Deo, qui omnia sacramentaliter & veraciter sanctificet, existimamus.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Placet ratio, placet auctoritas, placet veritas, placet ritus, placet etiam tua humilitas, placet tua affabilitas, placet verborum tuorum ordinata maturitas: sed super his omnibus generale Concilium videre desidero, ut omnibus in idem consentientibus idipsum omnes dicamus in Christo JESU Domino nostro. Et sicut ex multis purissimi frumenti granis tam azyma quàm fermentata hostia conficitur, & sicut ex multis uvis in unum collectis vinum expressum colligitur; ita ex multis tam Græcorum quàm Latinorum turbis una & concors, & idipsum sentiens constituatur Ecclesia, ne vel nobis vestrum azyma, vel vobis nostrum fermentum in die Domini fiat damnationis judicium, dum altrinsecus inde surgimus in contentionem, quod utrisque institutum est ad salutem. Magis enim tam nobis quàm vobis timenda est periculosa contentio, quàm ejusdem obligationis diversa consuetudo.

CAPITULUM XXI.

De Græcorum & Latinorum vario & diverso Baptismate.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Sapientem te in omnibus verbis tuis & discretum invenio; & ideo rogo ne pigeat te adhuc parum respondere, & me non parum mirantem expedire de hoc quod me movet. Sicut audio, consuetudo apud vos est, ut si quando Græcus uxorem Latinam ducere voluerit, sicut plerumque fit, & sicut etiam inter personas augu-

Digitized by Google

stales sæpe factum esse dignoscitur, quod priùs oleo sanctificato in vase aliquo infuso eam perfunditis, & per totum corpus lavatis, & sic demum quasi in ritum & legem vestram transiens matrimonio copulatur; quod quare fiat, si tamen fit, oppidò scire vellem: videtur enim quædam forma esse rebaptizandi. Et si ita est, quòd nostros Latinos vel etiam aliquos Christianos sub invocatione sanctæ Trinitatis baptizatos quoquomodo judicatis rebaptizandos; planè juxta quamdam Arianorum sectam manifestissima hæresis est; nec Concilia vobiscum, sed contra vos sunt celebranda, & sine ulla quæstione vel audientia estis anathematizandi; & quidquid facitis vel dicitis, totum est abominabile, & coram Deo & hominibus detestabile & execrabile: maximè si nomen Domini in vanum accipitis, & invocationem sanctæ Trinitatis, qua in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizamur, cassare præsumitis.

Euzebius quondam Nicomediæ Episcopus, totus Ariana hæresi fermentatus, sicut narrat historia à Theodorito venerabili Episcopo Græco sermone conscripta, & à Cassiodoro per Epiphanium Scholasticum in Latinum nostrum translata, magnum Constantinum Imperatorem in Arianum dogma rebaptizavit. Ita enim ibi legitur: Constantinus ægritudine captus ex urbe Constantinopolitana quasi ad calidas aquas egressus est, qui cùm Nicomediæ degeret languore gravatus, nec ignorans vitæ hujus incertum, gratiam sacri baptismatis est adeptus. Hunc eundem Constantinopolitanum Imperatorem, sicut narrat historia Ecclesiastica, ab Eusebio Cæsariensi Palestinæ Episcopo conscripta, beatissimus Papa Sylvester priùs in initio suæ conversionis Romæ intra palatium Lateranense baptizaverat. Utraque autem historia tam Eusebii quàm Cassiodori, Ecclesiastica meruit appellari propter veritatem rerum in Ecclesia diversis temporibus gestarum. Item Constantius Augustus, magni Constantini filius, eadem hæresi fermentatus, & à præfato Euzebio Nicomediæ Episcopo rebaptizatus, Liberium Papam venerabilem ab exilio

Digitized by Google

revocatum, ut sibi consentiret, & cum hæreticis rebaptizaretur, rogavit & imperavit: quod beatissimus Papa minimè fecit. Et licèt eidem Constantio hæretico se publicè in hoc opponeret, tamen propter eum multa hæretica in multis supportans dissimulavit. Idem Constantius Augustus decollari præcepit Felicem Papam, successorem Liberii, eo quòd declaraverat eum hæreticum, & secundò rebaptizatum à præfato Euzebio Nicomediæ Episcopo juxta Nicomediam in villa quæ appellatur Aquilone. Quòd si sex * ejusdem hæreseos adhuc manet in gente Græcorum, videlicet ut alios in nomine sanctæ Trinitatis baptizatos ad se venientes suo ritu rebaptizent, quid, quæso, est, quare vocentur Christiani? Quisquis enim rebaptizandum putat, virtutem sanctæ Trinitatis, in qua baptismus Catholicus fit, negat, & jam judicatus est.

* *forte* secta

Nechites Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Si Latini ritus Græcorum ex integro nossent, non tam facilè eos calumniarentur, nec in eis tam facilè scandalizarentur. Sed non est mirandum si de hoc non rectè judicant, tametsi rectum sit quod ignorant. Absit autem ab orthodoxa Græcorum fidè, ut quemquam Christianorum in invocatione agiæ Trinitatis baptizatum denuò rebaptizandum putemus, quoniam hoc facere, vel faciendum prædicare, est hæreticum esse. Sanè habemus quasdam purificationes in unctione sacri olei; & quando veniunt ad nos personæ extraneæ, viri seu mulieres, & transire cupiunt in nostrum ritum & in nostram societatem, oleo sacrato eos inungimus, quia si Sacramentum unctionis priùs perceperint, ignoramus. Nequaquam autem eos denuo rebaptizamus, quos priùs baptizatos didicimus, nec eos quoque inungimus, quos priùs unctos & chrismali unctione per manus impositionem sanctificatos, & in Christiana Religione consummatos non dubitamus. Non autem dicitur iteratum quod ignoratur priùs factum.

Digitized by Google

CAPITULUM XXII.

De concordia sapientum Græcorum & Latinorum.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Gratias ago Deo qui & hoc scandalum à me submovit, & opprobrium Christiani nominis, quod hactenus in Græcorum sapientissima gente suspicatus sum, à me abstulit.

NECHITES Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Si fides nostra & ritus nostri, quos habemus in lege Dei, prudentiæ tuæ placet, nos magnopere gaudemus. Quia verò non in magnis, sed in minimis aliquàtenus discrepare videmur, quæ licèt salutem animarum non impediant, tamen caritatem non ædificant; summo studio, sicut suprà dixi, elaborandum esset, ut generale Concilium congruo loco & tempore fieret, ubi universa quæ nos & vos ab eodem ritu dissociant, in unam reducta concordiam formarent, & tam Græci, quàm Latini unus populus sub uno Domino JESU CHRISTO, in una Fide, in uno Baptismate, in uno Sacramentorum ritu efficeretur.

ANSELMUS Havelbergensis Episcopus dixit: Hæreticorum est angulos & latebras quærere; sed tu qui generale Concilium desideras, videtur quòd id quod Catholicum est, intendas: ideoque & ego Concilium universale futurum exopto, ubi tua sapientia, tua eloquentia, tua sanctitas, tua maturitas, tua discretio, tua mansuetudo, tua modestia, tua religio, tua constantia, tua pietas, tua perfectio, in facie totius Ecclesiæ ad salutem & doctrinam omnium possit elucescere. Hoc mea humilitas, mea mediocritas, mea parvitas, mea devotio, meus affectus, meum desiderium semper optare non cessabit. Universi clamantes dixerunt: *Doxa si, o Theos, Doxa si, o Theos, Doxa si, o Theos*, quod est, Gloria sit Deo, Gloria sit Deo, Gloria sit Deo. *Calos dialogos*, quod est, bonus dualis sermo. *Olographi, olographi*, quod est, totum scribatur, totum scribatur. *Hic finit. Deo gratias.*

MISCELLANEA EPISTOLARUM, CHARTARUM AC DIPLOMATUM.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, incipit epistola sancti HIERONYMI, *missa ad* CONSTANTIUM. *Præfatio libri sequentis, qui Comes appellatur.*

I. QUAMQUAM licenter adsumatur in opere congregatio cælestium lectionum, & ipsum opusculum ab Ecclesiasticis viris, Comes quidem soleat appellari: quod duobus modis fieri arbitror, aut pro consuetudine uniuscujusque Ecclesiæ (secundùm quod & varium hoc ipsum descriptionis genus esse dinoscitur) aut certè pro voluntate studiosi lectoris, qui (si fieri possit) quidquid in Scripturis divinis mirabiliter fulget, quidquid in præceptis moralibus copiosum est, totum parvo in corpore adunatum desiderat habere, paupertatis necessitate: Ego tamen, juvante Christo, ingenio quo potui, & maximè occasione oblata, qua id à me fieri voluisti (Constanti mihi venerabilis frater) ita hoc opus etsi minùs instructus adsumsi, ut tanta excerptorum intelligentia caput causamque rationabilem habere videatur. Nam cùm omnis Scriptura divinitus inspirata, ut ait Apostolus, *utilis sit ad docendum, ad erudiendum ad justitiam* *; ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus; & quæcumque sunt hactenus scripta, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus:

Ann. Chr. circ. 400.

2. *Tim.* 3. 16.

* al. *in justitia*

Digitized by Google

quid brevius, quid utilius cenſui, quàm ut ex tanta divinorum librorum copia, ſingulis feſtivitatibus quod aptum ex his vel competens eſſet, excerperem, & quodam modo diſtinctiſſimè collocarem.

Incipiens itaque à Nativitate Chriſti, quod eſt VIII. Kalendas Januarias, in Vigiliis ad Nonam per ordinem, quem aſſiduè in Eccleſia didiceram, lectiones utriuſque Teſtamenti ſimplicibus miniſtravi. Porro editionem illam quam ex Hebraïcis voluminibus in Latinum tranſlatam eſſe conſtat, in hunc quippe modum, quæ vel cujuſque prophetiæ * lectio præſenti feſtivitati congruat, quid Apoſtoli doceant, vel ad eumdem titulum quid Evangelii annuntiet auctoritas, dudum vertente jam anno per omnes dies feſtos Eccleſiæ opportunè cenſui omnia ſecundùm tempus eſſe legenda. Sed & nonnulla alia ædificationis cauſâ multa illic aggregata ſunt, atque ſuis appellationibus inſerta, id eſt, in capite Quadrageſimæ de abſtinentia eſcarum & ſobrietate; item in Quadrageſima de pœnitentia, de pudicitia, de remiſſione inimicitiarum, vel alia multa. Hæc enim omnia ad multorum equidem utilitatem petitionibus tuis obediens ſcribere curavi, venerabilis mihi & amantiſſime frater.

* al. Prophetæ

Sancti PROSPERI *Eccleſiæ Regienſis Epiſcopi*, in tres libros de Vita contemplativa ſecundus Prologus, qui non extat in editione operum Proſperi Lovanienſi an.* 1565. *nec Lugdunenſi an.* 1539.

* ſeu veriùs Juliani Pomerii

Ann. Chr. circ. 500.

II. ITAQUE jubes ut paucis ediſſeram quæ ſit vitæ contemplativæ proprietas, & quid inter ipſam & activam vitam interſit, quanta poſſum brevitate diſtinguam. Utrum is cui Eccleſiæ regendæ cura commiſſa eſt, contemplativæ virtutis fieri particeps poſſit. Utrum æquanimiter ſuſtinendi ſint divina præcepta calcantes, an pro modo peccati debeant eccleſiaſtica ſeveritate coargui. Utrum congregandis fratribus aut alendis ex-

Digitized by Google

pediat facultates Ecclesiæ possideri, an perfectionis amore contemni. Quæ sit abstinentiæ credenda perfectio: & utrum tantùm corpori, an etiam animæ necessaria debeat judicari. Quantum à virtutibus veris virtutum similitudines distent. Quibus præcedentibus causis, & subsequentibus incrementis nasci soleant vitia, vel augeri; & quibus possint, adjuvante Domino, remediis velut quibusdam medicamentis imminui vel sanari. Quot modis vel gradibus unaquæque virtus possit impleri: & an vera sit Philosophorum illa scientia, quæ virtutum omnium velut quosdam fontes, quatuor virtutes, vitia quoque quatuor velut quasdam origines malorum omnium definivit. Hæc sunt nimirum decem quæ à me voluisti enodari capitula, non ut absolutio eorum vobis aliquid cognitionis afferret, sed ut vestra magis cura, si regulariter imperatum munus implevero, nonnihil ædificationis talium studiosis, horum & his similium capitulorum explicatione conferret. Ceterum si tu ea nescires, numquam tanto ordine delucidanda proponeres. Ideo autem voluistis cognita vobis disputationibus illustrari, ut aut me, si aliquid secus, ut ratio habet, exponerem, faceretis emendari vel corrigi; aut certè per sollicitudinem vestram, meumque sermonem ad aliorum notitiam possint catholicè disputata perduci. Nunc igitur jam quæ sit vitæ contemplativæ proprietas, Domino vestris orationibus adjuvante, tractemus. *Explicit Prologus.*

Certa privilegia concessa habitatoribus Figiaci.

An. Chr. 755

Innovantur chartæ direptæ vel incensæ Monasterii Figiacensis.

III. PIPPINUS Dei gratia ordinante jam Rex Francorum constitutus, omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis sub potestate nostra degentibus æternam in Domino salutem. Igitur quia Regem à Deo constitutum justè & rectè decet gubernare subjectos, semperque loca divino cultui mancipanda construere, & ædificatis regali more beneficia opportuna largiri:

cùm si id agimus, procul dubio ad animæ nostræ salutem & Regni nostri stabilitatem proficere non dubitemus; notum esse volumus cunctis Christum colentibus, præsentibus scilicet & futuris, qualiter locum in convalle Jwantis olim prædecessoribus nostris in pago Caturcino constructum, & ab aquis irruentibus jam pæne dissipatum, nos proxima silva in eodem pago habiliori loco, cui Fiacum nomen imposuimus, mutantes, Monasterium vel ædificia à fundamentis ædificavimus, quod præsente Domino STEPHANO Papa mirabiliter à Deo consecratum prospeximus, ubi Monachorum turmam sub cultu Religionis, divina miserante clementia, congregavimus, cui auctore Deo venerabilem virum ANASTASIUM Abbatem ordinavimus.

Huic ergo loco Fiaco per hos nostros regales apices prædictum Monasterium Jwantem cum omnibus Ecclesiis, rebus & mancipiis ad se pertinentibus vel aspicientibus, solemni donatione tradimus, & ab omni potestate humana jam dictum Fiacum liberum esse præcipimus, nihilque in eo nos ipsi, nisi tuitionem & orationum juvamina retinemus. Res & mancipia quæ ab antecessoribus nostris & ab aliis bonis viris supradicto loco Juwanti collata sunt, (de quibus, sicut idem Abbas suggerit, per pravorum hominum fraudes, vel per ignem aut aquam instrumenta chartarum perdita sunt) ita ab habitatoribus hujus loci per hanc nostram auctoritatem possessa firmentur, perdita revocentur, sicut per eadem instrumenta, si perdita non fuissent, legibus defendi poterant. Castrum verò Strimolum, quod antecessores nostri Juwanti loco ad se suaque tuenda condonaverunt, ne pagani qui regionem istam irrumpere solebant, tam humilem locum atque indefensibilem omnino diriperent, eidem Fiacensi loco ad munimentum & tuitionem perpetuo jure subjectum esse præcipimus, ut per hanc nostræ auctoritatis confirmationem firmiter & quietè Rectores & Ministri suprà nominati Fiacensis Monasterii semper teneant & possideant.

Conferimus etiam huic Ecclesiæ adeo sublimatæ villam

Digitized by Google

lam nostram cum Monasterio quod construximus in honore sancti Quintini, quod dicitur Galliacus, cum mancipiis & omnibus appendiciis suis : cui superaddimus castella nostra circumadjacentia, videlicet Bedorium, Petruciam, Altam-Rupem, Parisius etiam longiùs situm. Simili modo villam nostram quæ dicitur Ficella, cum Ecclesia de Rigauto, & Ecclesiam de Ambairaco, cum villa & mansis & hominibus, seu Ecclesiam quæ dicitur sancta Columba, & Ecclesiam sancti Symphoriani, unà cum tota foresta nostra, quæ nominatur Prandenna.

Concedimus pariter alias villas nostras Ornacum & Cuciacum, necnon Silciniacum, Baituacum & Lentiliacum, cum omnibus appendiciis & hominibus earum; pari quoque modo Ecclesiam, quæ nominatur Colmargas, cum aliis duabus de Soltenaco, quæ dicuntur sanctus Stephanus & sanctus Sigismundus, unà cum mansello qui dicitur Ovantus, cumque omni integritate earum. Et eodem modo Ecclesiam de Seneliaco cum tota curte & hominibus, & in ipso pago eodem tenere Ecclesiam de Gorsias unà cum illa de Soceraco, & illam de Sivimiaco, cum hominibus & cum cunctis quæ ad ipsas videntur pertinere. Similiter concedimus Ecclesias, quæ dicuntur sanctus Stephanus & sanctus Lupus, unà cum mansello qui dicitur Mons-Serenus, & cum omni integritate earum. Eo quoque tenore in pago Ruthenensi concedimus villam Flarcuacum cum tribus Ecclesiis, quarum una sub honore sanctæ MARIÆ, alia sub honore sancti Johannis, alia sub honore sancti Martini constat; necnon etiam mansum qui dicitur Andonsias cum omni integritate earum.

Has igitur Ecclesias, vel castella, seu mansos, & alia quæ moderno tempore tenent, vel justè acquisituri sunt Fiacum regentes, absque omni alicujus contradictione aut infestatione deinceps perpetuò teneant, & absque ulla calumnia possideant: & quidquid ob utilitatem vel necessitatem ejusdem Monasterii & Congregationis ibidem Deo famulantis disponere & ordinare vo-

luerint, proprio in omnibus arbitrio liberè perfruantur. Non solùm autem bonum libertatis Abbati & Monachis concedimus: sed etiam omnes ipsius loci habitatores undecumque advenientes ab omni servitute humana liberos esse præcipimus, nec ab aliquo umquam repeti, vel quolibet modo inquietari volumus, sed solius Abbatis & Monachorum servituti & justitiæ semper subdi & subesse. Præcipimus etiam ut nulla potestas cujuscumque ordinis aut dignitatis, vel quilibet ex ministris eorum, nec alia quælibet nota, vel extranea persona in prædicto Monasterio Fiaco, aut in rebus vel mancipiis ad se pertinentibus, aliquam dominationem, aut potestatem exercere præsumat, nec ullam calumniam, aut infestationem inferre, nec paratas, vel paravellas, vel receptiones, aut etiam freda, vel jocaticum, sive teloneum, aut aliquas redhibitiones habitantibus in eodem loco integrè audeat; sed liceat memorato Abbati ANASTASIO, & Monachis, eorumque successoribus res & mancipia prædicti Monasterii cum omnibus hominibus ad se pertinentibus sub nostra & Romani Pontificis tuitione atque defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere, & nostro atque Romani Pontificis successorumque nostrorum solummodo, si necessitas evenerit, fideliter parere imperio.

Volumus etiam & concedimus eidem Monasterio, ut quidquid de rebus & mancipiis ipsius Monasterii jus fisci exigere poterat, totum nos & Romanus Pontifex in stipendia Monachorum ibidem Deo militantium, & in alimoniam pauperum, nostris futurisque temporibus perpetuò retinere præcipimus.

Item placuit Serenitati nostræ Eremitas, & locum suum, atque omnia quæ ad illos pertinent, consilio Domini præfati STEPHANI Papæ huic Fiacensi Ecclesiæ subicere, ut dispositioni illiusque ordinationi tamquam matricis Ecclesiæ semper obedientes existant.

Ad hæc tandem adjicimus prædicta confirmantes, & metas terminorum hujus sanctæ Ecclesiæ possessioni-

Digitized by Google

bus assignantes statuimus, & omnia quæ ab Ecclesia sancti Vincentii & illa sancti Sanctini sunt, eisdem tamen non exclusis, & à portu de Agrez, quem antecessor noster gloriosus Rex Clodoveus Jwanti Monasterio dederat, usque ad terminos parochialis Ecclesiæ de Cajarco, quæ est sancti Stephani de Carturcis, & usque ad rupem de Bazas, & à Petrucia usque ad Ecclesiam sancti Christophori de Teminis, cuncta quæ infra istos terminos includuntur, huic sanctæ excellentissimæ Ecclesiæ regalis auctoritatis privilegio perpetuò possidenda concedimus. Inhibentes insuper cunctis & interminantes, ne aliquis umquam infra præfixas à nobis horum terminorum metas præsumat ædificare castella vel munitiones quaslibet, seu domos religiosas, vel habitationes aliquas contra voluntatem dilecti nostri prædicti ANASTASII Abbatis, quem huic venerando loco præposuimus, vel successorum ipsius Abbatum sive Monachorum: nec de feodis vel quibuslibet hujus Ecclesiæ possessionibus audeat quisquam litigare coram aliquo, nisi tantùm coram Abbate, quem semper volumus & concedimus habere à nobis plenariam potestatem & jurisdictionem super homines omnes sibi subditos in dirimendis & diffiniendis omnibus quæcumque discernenda fuerint vel discutienda.

Placuit etiam nobis & domino Reverendissimo Apostolico, hanc immunitatis prærogativam, quam huic sanctæ Ecclesiæ indulsimus, per duo miliaria circa ipsam extendere, ut cuncta infra hoc spatium juxta illam posita ob reverentiam illius & honorem, hujus nostræ beneficio largitionis semper gaudeant, uti & quemadmodum ipsa pro incomparabili sibi divinitus concessa dignitate omni humanæ meruit prorsus adimi potestati. Ita quoque membra sibi lateraliter cohærentia ejusdem beneficii semper ob gratiam illius floreant perfruitione.

Et ut omnium prædictorum auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconcussa manere, & à Fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ve-

Digitized by Google

rius certiusque credatur, & diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus. Datum in eodem loco VI. Idus Novembris, anno ab Incarnatione Domini DCC. LV. Indictione nona. CHILDERICUS vice scriniarii scripsit.

Communicavit D. du Cange.

ANGILGUINUS *&* *conjux* RIMULDIS *multa apud Fontanas conferunt Ecclesiæ Ambianensi.*

An. Chr. 850.

IV. ILLE bene possidet res in præsenti sæculo, qui sibi caducis rebus comparat præmia sempiterna, testante Evangelio qui dicit: *Date, & dabitur vobis.* Et iterum: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et in eodem: Quia *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Quapropter ego ANGILGUINUS & conjux mea RIMULDIS his divinis admoniti præceptis, cogitantes de Dei timore, vel æterna bona retributione, & ut Dominus omnipotens in æterno suo regno nobis centuplicatum dignetur reddere fructum: donamus ad sacrosanctas Basilicas S. MARIÆ & S. Firmini in Ambianensi civitate, ubi ipse pretiosus Martyr in corpore requiescit, ubi etiam præest venerabilis vir HELMERADUS * Episcopus, res proprietatis nostræ, quas quondam LUDOVICUS Imperator & KAROLUS Rex nobis jure hereditario per præceptum dederunt. In pago Ambianensi, in villa nuncupata *Fontanas* * super fluvio *Salam* *. Hæc sunt mansa XLVII. id est, mansum dominicatum cum Ecclesia, cum casticiis & arboribus desuper positis, perviis & quadris, campis legitimis, communiis, adjacentiis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, farinariis duobus, ubi sunt rotæ IV. cambis tribus, aspiciuntque ad ipsum mansum dominicatum per loca denominata: de terra arabili plus minus bovaria CCCC. id est, cultura quæ vocatur Prunerolis, tota peculiaris similiter, callem, furnum similiter, ad illos pagos simi-

S. Firmini corpus.

* al. Hilmeradus

* *Fonteines*

* *Sele*

liter, & illa medietate de Dulci-Melario *, quæ propior est de jam dicta villa quæ vocatur Fontanis, & quidquid de prata de subtus ipsa villa habere videmur usque *Bonoglo* *, & de subtus *Bonoglo*, usque ad pervium publicum qui tradit per Crissiacum.

* Dommelier

* Bonneuïl

Donamus etiam de silva in * Altavio ad jam dictam villam pertinentem, ubi possunt saginari plus minùs porci duo millia, cujus termini totum in gyro isti sunt. Per viam quæ ducit ad planias usque ad silvam de Spinosis, inde per silvam Ascultensem usque ad pervium Belvacensem: de altera verò parte per summa Dulci-Melario, & per summa profunda valle, & inde ad Arnigilisare, deinde ad Ecclesiam Culturam, & inde à Duvaldo Sunsarte ad illa Cisterna, & Medianum-montem totum. Donamus quoque in ipsa villa jam dicta & Trudoldivalle ad supradictum mansum dominicatum aspicientia mansa fiscalina XLVI. cum mancipiis & omni ordine locorum, & accolas plus minùs XXX. & VIII. hoc sunt Curtilli, unde manuum opus exit: similiter cum ædificiis & omni eorum ordine, cum casticiis & arboribus desuper positis, cum perviis & quadris, campis legitimis, communiis, adjacentiis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarúmve decursibus, mobilibus & immobilibus, quæsitum & inexquisitum, totum ad integrum quidquid ad ipsa supradicta mansa XLVI. adspicere videtur; & mansum dominicatum cum Ecclesia, sicut superiùs diximus, ad præfata loca Sanctorum Dei & sanctæ MARIÆ, necnon sancti FIRMINI Martyris Christi, seu etiam ad opus fratrum Deo ibidem militantium dicimus esse traditum & elidatum *, ex nostro jure & dominatione in illarum jus & potestatem perpetualiter transfundimus ad possidendum.

* al. &

*f. delegatum

Nomina verò mancipiorum hæc sunt, Aldrannus, Alefindis cum infantibus, & mancipia eorum Stutbertus & Folchetrudis cum infantibus eorum, Hilbertus & Aelvara similiter, Madefridus, &c. In Trudoldi valle Odelhardus & Adelsemildis cum infantibus eorum, & mancipia Teuboldus, &c. Angilardus cum uxore sua

Digitized by Google

& infantibus eorum, Hotbertus similiter, seu etiam cum omni supradictorum prole, vel his qui extra intraque sunt ad hæc pertinentia.

Hæc omnia superiùs comprehensa in ea ratione, sicut dictum est, donamus, ut dum in hoc sæculo advixerimus, tam ipsas res quas nos ad præfata sanctorum loca condonavimus, seu etiam illas quas à largiflua benignitate vestra deprecati sumus, hoc est, villa quæ vocatur Bonogilus, cum omnibus appendiciis suis, & beneficium quod Anfredus vasellus noster nunc in præsenti de rebus Ecclesiæ vestræ habere videtur, usufructuario munere nobis & filio nostro Algenino Clerico impendant servitium; & pro ipso usu beneficioque vestro spopondimus vobis singulis annis ad festivitatem B. Firmini ad opus Fratrum de denariis sol. decem, & decimam de Bonogilo, & de Fontanis unoquoque anno, & garbis III c. frumento, & hordeo, & avena carra tria. Et si de ipso censo tardi aut negligentes apparuerimus, fidem exinde faciamus, & ipsas res dum advixerimus, non perdamus, & pontificium nullomodo habeamus de jamdictis rebus alicubi, nec vendere, nec condonare, necnon combiare, nec ad aliam causam Dei delegare.

Post nostrum verò de hac luce decessum omnes res superiùs comprehensas vos vel successores vestri, seu agentes Ecclesiæ vestræ, cum omni integritate, vel emelioratione, seu quidquid super ipsas res quæstum inventum fuerit, absque ullius Judicis consignatione, vel heredum nostrorum contradictione, necnon aliqua expectata traditione, in vestram ac Fratrum vestrorum, ut perpetualiter ad eorum mensam, quasi mercedis nostræ emolumentum Deo serviant, recipere faciatis potestatem & dominationem. Si quis verò, quod futurum esse non credo, si nos ipsi, aut ullus de heredibus ac proheredibus nostris, vel certa qualibet ulla extranea, vel apposita persona, qui contra hanc donationem venire voluerit, aut eam infringere voluerit, imprimis iram Dei omnipotentis, atque omnium San-

Digitized by Google

ctorum incurrat offensas, necnon nominibus omnium Sanctorum efficiatur extraneus, & cum Juda traditore perpetua sit damnatione percussus, & in nulla sanctarum Ecclesiarum communione sit receptus; & insuper inferat partibus Ecclesiæ S. MARIÆ & S. Firmini unà cum socio Fisco distringente auri libras c. argento pondera mille coactus exsolvat, & quod repetit, nihil evindicet; sed præsens hæc donatio atque præstaria firma & stabilis inviolabiliter permaneat cum stipulatione subnixa. Actum Ambianis civitate in Mallo publico. Datum III. Kal. Aprilis in anno x. regnante Domino nostro Karolo gloriosissimo Rege.

AGILMARO *Viennensi Archiepiscopo* WIGERICUS *Comes in Conventu Procerum, quæ usurpaverat bona, restituere cogitur.*

Ex chartul. Viennensi à D. d'Herouval concesso.

V. NOTITIA altercationis seu querelationis inter AGILMARUM Archiepiscopum & WIGERICUM Comitem ex rebus legitimæ proprietatis ipsius Agilmari Episcopi, de quibus adversus prædictum Comitem jam frequens querela exstiterat. Venientes namque religiosissimi & venerabiles Patres, inlustrissimaque societas Comitum solito more, sicut in aliis locis, Salmoringam villam, quorum nomina sunt hæc: REMIGIUS Lugdunensis Archiepiscopus, ROTLANNUS Arelatensis Archiepiscopus, JOSEPH Maurigianensis Episcopus, EBO Gratiopolitanensis Episcopus, TRUTBERTUS Adrensis Episcopus, ARBERTUS Ebredunensis Episcopus; GAIRARDUS quoque Comes, FULHERADUS Comes, ARNULFUS Comes, AUTRANNUS Comes, BEGERE Comes, VOPOLDUS Comes, BARNARDUS Comes, ALDRIGUS Comes; item BARNARDUS Comes, INGELRAMNUS Comes, GAIRUNGUS Comes: plurimique cum eis in tam præcipuo Conventu adstantes, quorum nomina per-

Ann. Chr. circ. 853.

Digitized by Google

ſcribere perlongum eſt, ex quibus aliqua adnotare ſtudemus: *Adalbertus* videlicet, vaſus dominicus, *Richardus* ſimili modo, *Erpinus* quoque, *Airadus*, *Fulradus*, *Beringerius*, *Iſluſos*, *Ragambertus*, *Criſtianus*, *Aiſtoldus*, item *Aiſtoldus*, *Wandalmarus*, *Eldebodus*, *Lanberto*, *Suiberto*, *Manevoldo*, *Berterio*, *Ebo*, *Ailulfo*, *Ingelrico*; vel ceteri quamplures. Prædicti verò Majores privilegio & Proceres poteſtate, dum ibidem in prædicto loco de communi tractarentur utilitate ad juſtitiam totius provinciæ, inter cetera ibi in præſentia prædictorum nobilium virorum, adſtitit coràm AGILMARUS præfatus Archiepiſcopus, unà cum ſuo Avocato Witgerio nomine proclamans ſe adverſus WIGIRICUM Comitem, quòd res & mancipia, quæ ei Domnus Imperator LOTHARIUS legitimo conceſſerat jure in villa Cogana, ſeu & in aliis villis Calauſis & Adnancia, quòd ipſe Wigiricus eaſdem res in ſua retineret dominatione injuſtè. Prædicti verò venerabiles viri jam dictum interrogaverunt Wigiricum ſi ita veritas eſſet, an non; ipſe tamen hoc minimè denegavit, neque Avocatum ponere potuit, quia ſciebat hujus querelæ cauſa eſſe veritatem, ſed præſentialiter per ſuum wadium ipſi Agilmaro Archiepiſcopo vel ſuo Avocato propriis reddidit manibus, & ſuum Miſſum Fulradum nomine in ſua avocatione dedit Witgerio Avocato præfati Epiſcopi, ut ſuper ipſas res quas ipſe reddidit, veniret, & legalem veſtituram in omnibus faceret; his præſentibus: ſig. Richardo, ſig. Beringerio, ſig. Giſlulfo, ſig. Ebroinus, ſig. Archimbaldus, ſig. Rotardi, ſig. Ivone, ſig. Criſtino, ſig. Amalgaudo, ſig. Airado. Ego Winitarius præſens fui. Sig. Odilone. Sarlulfus præſens fui. Ego Idnarius pæſens fui. Ego Aſtoldus præſens fui. Oſtoldus præſens fui. Celdebodus præſens fui. Sig. Ebone. Adalongus præſens fui. Rothaldus rogatus. Sig. Ebroino Rodulfus.

CAROLI

Digitized by Google

CAROLI III. dicti Simplicis Privilegium Monasterio S. Aniani in diœcesi Narbonensi collatum.

VI. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, CAROLUS Dei gratia Rex. Si utilitatibus locorum divinis cultibus mancipatorum, servorumque Dei necessitatibus nostra impendimus, regium proculdubio exercemus numen, ac per hoc ad æternam beatitudinem faciliùs tandem pervenire non dubitamus; idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, sollertiæ: quia sicut in præceptis patrum nostrorum continetur immunitatis defensionem atque tuitionem Monasterio sancti Aniani Confessoris & sancti Laurentii Martyris, quod siti sunt * in territorio Narbonensi, in loco cujus vocabulum est *Olocianus* seu *Berane*, venerabili Abbati suisque successoribus, necnon & Monachis in eodem Monasterio consistentibus, per hoc clementiæ nostræ confirmamus edictum, per quod constituentes decernimus, ut sæpe fatum Monasterium, & in hoc regulari ac Monastico ordine viventes, amodo & deinceps cum omnibus ad se pertinentibus, vel appendiciis atque adjacentiis, seu terminis suis, necnon & cum villares Labrociano & Sortiliano, & in villas Torrilias, quantum ad ipsum Monasterium pertinet, & ipsos molendinos qui sunt in rivulo Verucdupei, cum illorum capud molis, necnon & villares, id est, Madernus cum suis finibus vel adjacentiis & mancipiis qui * ad ipsum locum pertinent, quæ sunt nati de progenie Deodato, & villares, quæ vocant Gabiano, sive Gabianello, cum Ecclesia quæ * vocant sancti Mazarii, & cum illorum salinas, & marroces, & corzoriis, vel adjacentiis eorum, quod * ad ipsos villares pertinent, cum exitibus earum villarum Vo. . . . quæ est juxta villam quæ vocant Peyano, cum Ecclesia in honore sancti Juliani, cum suis finibus & ter-

An. Chr. 898.

* situm est

* f. quæ

* quam

* f. quæ vel quod

Digitized by Google

minis, vel salinas quæ ad ipsum villare pertinent, cum exitibus vel egressibus earum. Et in Narbonensi civitate casales absos cum buaca, quæ sunt ante Ecclesiam sancti Marcelli, & insula quæ * vocant *Duniana*, cum ipsa piscatoria, & in alio loco ubi vocant Anseduna, & Sigenola, cum Ecclesia sancti Vincentii & sanctæ Agnetis, & sancta MARIA cum illorum finibus seu terminis earum. Concedimus vobis toloneum de villaribus, quod in præceptis sancti Aniani Monasterii continetur.

* quam

Hæc omnia superiùs nominata cùm reliquis rebus, quæ à Dei fidelibus ibi collatæ fuerint tam ex donatione, quàm ex comparatione de qualicumque venerit per se, sub nostra successorumque nostrorum tuitione in perpetuum maneat; videlicet ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, aut ullus ex fidelibus nostris tam præsentibus, quàm & futuris, in Ecclesias, vel loca, sive agros, vel reliquas possessiones, quas nunc in quibuslibet pagis & territoriis possidet, vel quæ deinceps fidelium devotiò ex qualicumque parte ibidem augeri voluerit, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut toloneum exigendum, aut fidejussores tollendos hominesque distringendos, vel quascumque debitiones aut inquietas occasiones requirere, aut exactare audeat, nec ea quæ suprà memorata sunt, penitus exigere præsumat; sed qui transgressus fuerit vinculum * & inmunitatis, damnetur. Et licet memorato Abbati suisque successoribus res ejusdem Monasterii cum omnibus ad se pertinentibus sub tuitionis atque inmunitatis nostræ defensione, remota judiciariæ potestatis inquietudine, quietè * ordine possidere

* *dele* &

* *f.* quieto

Quando inde divina ordinatione supradictus Abbas vel successores ejus ab hac luce migraverint, quamdiu ipsi inter se tales invenire poterunt, qui ipsam congregationem secundùm Regulam sancti Benedicti regere & gubernare valeant, per hanc nostram licentiam auctoritatem habeant ex semetipsis Abbates eligere, qua-

Digitized by Google

tenus servos Dei qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & patribus nostris, & stabilitate Regni nostri Domini immensam misericordiam jugiter exorare delectet; nostra largitionis auctoritate nostris successoribusque * nostrorum inviolabilem, atque inconvulsam obtineant firmitatem, manu propria subtus firmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus. Actum VIII. Idus Junii, Indictione II. anno VII. Rege Karolo serenissimo ex insuccessione Odonis II. pleniter regnante. Actum apud Turvum villam in Dei nomine feliciter. *Amen.*

* atque

Synodus Viennensis, in qua præside Alexandro Archiepiscopo lis inter duos Abbates sopita est.

Ex Chartul. S. Andreæ Viennensis à D. d'Herouval concesso.

An. Chr. 907.

VII. ANNO Incarnationis dominicæ DCCCC. VII. Indictione X. acta est Synodus apud Viennam Metropolim jussu Domni ac venerabilis ALEXANDRI ejusdem Ecclesiæ Archipræsulis, in Ecclesia videlicet Domini & Salvatoris nostri, ubi à multis in ejus præsentia suorumque ministrorum, necnon & venerabilium Abbatum, videlicet EIRLEI Præpositi, ERLEI Archidiaconi, VALDONIS Abbatis, LEUDONIS Abbatis, multorumque aliorum reverendorum Sacerdotum à diversis diversæ prolatæ sunt querimoniæ. Inter cetera verò, quæ in hac Synodo discutienda ac diffinienda erant, orta est quædam altercatio inter ARIBERTUM Abbatem Romanensis Monasterij, necnon & BARNARDUM venerabilem Monachum sanctique Mauritii Abbatem, ex territorio de quadam Capella sancti Severi, in Parochia sancti Primi sita in villa Lausiaco, quam quidam homo in præstariam tenebat nomine Fulcherius, dicens jam dictus Aribertus Abbas quòd ex prædicto territorio justè & legaliter ad Capellam sancti Severi pervenire debuissent. Sed Barnardus Abbas affirmando contradicebat non ita esse; sed omnes decimæ ex præmemorato territorio legali-

Digitized by Google

ter & rationabiliter plus pertinerent ad Ecclesiam sancti Primi, quam ille in manu ad ordinandum habebat, præter privum Monachorum laboratum, quàm ad supradictam sancti Severi Capellam. Tunc à sancta Synodo judicatum est illi, ne fortè deinceps ex eadem causa aliqua molirctur injuria, ut sicut ille propriis testificabatur verbis, ita testes sui Sacerdotes sub jurejurando adfirmassent.

Prædictus quoque Barnardus Abbas suos in sancta Synodo præsentes ostendit testes, quorum nomina sunt hæc: CHRISTIANUS Presbyter, SIGUINUS Presbyter, ALBARICUS Presbyter, FOLMARUS Presbyter, BADINUS Presbyter, ARCHINERIUS Presbyter, GIROLDUS Presbyter. Et sacramentis datis omnia legaliter explevit, sicuti judicatum fuit, & prædictas decimas ad eamdem Ecclesiam sancti Primi evindicavit.

Ego ALEXANDER sanctæ Viennensis Ecclesiæ Episcopus propria manu roboravi, & aliis roborare jussi. ERLEUS humilis Præpositus, ANDREAS Presbyter.

Ex chartul. Belliloci à D. d'Herouval.

Duello probatum est Ecclesiam S. Saturnini Monasterio Bellilocensi debere attribui.

An. Chr. 961.

VIII. NOTITIA gurpitionis vel consignationis in eorum præsentia, quamobrem adfuerunt vel ante RAYMUNDUM Comitem, seu & ante nos nobilissimos viros qui hanc notitiam subter firmaverunt: qualiter venientes duo honorabiles viri, BERNARDUS videlicet & GERBERTUS ad Ecclesiam S. Saturnini die Veneris tertio die Idus Julii ante jamdictum RAYMUNDUM Comitem, & ante alios nobiles viros. Interpellabat quisque unus Ecclesiam S. Medardi cum ipsa curte quæ dicitur Prisca, quam RICALDUS pro remedio animæ suæ parentúmque suorum, S. Petri Bellilocensis in stipendiis & usibus

Digitized by Google

Monachorum ibidem servientium diviserat, post mortem filii sui GERALDI: illis siquidem inter se contendentibus, judicavit prædictus Raymundus & alii venerabiles * & assistentes, & ut ipsi duo prætaxati viri Vicarios sibi duos eligerent ad certamen expeditos, quò Dominus manifestare dignetur veritatem hujus rei, quod ita factum. Nam secunda dici hora certantibus usque ad solis occasum, (neminem quippe erat utrorumque vincere) judicaverunt memorati Raymundus Comes ceterique & in circuitu sistentes, cuiquam eorum, Bernardi vel Gerberti, nihil ad possidendum jure debere in usus usurpare, sed potiùs Domino omnium creatori, & S. Petro Bellilocensi Apostolorum Principi in usibus Monachorum inibi desidentium expendi, cui prædictus RIGALDUS pro remedio animæ suæ devoverat offerre. Judicavit iterum memoratus Comes contra quæ ei assistentia turba, quòd exinde Deo & S. Petro gurpitionem Bernardus & uxor sua Estevena, seu & Gerbertus facere deberent: quod ita & fecerunt.

* f. viri nobiles

Facta gurpitio ista in mense Julio, anno octavo sub LOTHARIO Rege.

S S. Bernardi & uxoris suæ Stevenæ, & Gerberti, qui etiam pro amore Domini & S. Petri hanc gurpitionem fieri vel affirmari rogaverunt; aliis verò nobilibus viris præsentibus actum fuit.

S. RAYMUNDI Comitis,
S. STEPHANI,
S. HUGONIS,
S. MATFREDI,
S. RAYNOLFI,
S. GENESI.

Digitized by Google

Ex chartul. S. Andreæ Vien. concesso à D. d'Herouval.

CONRADI Regis Burgundiæ donationes piæ, factæ S. Andreæ Viennensi Monasterio.

An. Chr. 992.

IX. IN nomine Domini nostri JESU Christi, CHUONRADUS ipsius præveniente clementia omni tempore jugiter serenissimus Rex. Si aliquid compendiorum sanctæ Dei Ecclesiæ ex nostris facultatibus conferre studemus, quatenus antiqua auctoritas præcedentium patrum Regum observetur, & vita Monachorum in hoc laude divina altiùs conscendatur, si est unde victum & vestitum sancta Dei Ecclesia membris suis cotidie, ne à Dei cessent cultu, possit ex aliqua parte nobis donantibus sustentare penuriam suam, vel administrare: credimus non solùm nos vel successores nostros idcirco feliciùs in hac vita regnaturos; verùm in futuro æternæ vitæ recompensatione cum electis in illa supernorum curia posse conscribi confidimus. Quapropter cupimus notum fieri omnibus sanctæ Dei fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, qualiter nos divino amore compuncti, imprimis memores salutis æternæ vitæ, & recordationis beatæ, ut credimus, animæ conjugis nostræ dilectæ MACHTHILDIS Reginæ, & ut ipsa donavit, & nos perficere postulavit, ad sacrosanctum Monasterium, quod est constructum in civitate Vienna, in honore sancti Andreæ Apostoli & sancti Confessoris Maximi, qui hîc corporaliter requiescit, ubi Domnus HEUNOMUS Abba Monachorum præesse dinoscitur, quidquid proprietatis visi sumus habere in prædicto pago Viennensi in prædictis locis, in villa Vitrosco Ecclesiam cum Presbyteratu, & in villa Areld, & in Mansiano & Arcas habere dinoscimur. Ea scilicet ratione ut prædictus Abba HEUNOMUS, & modò Fratres qui degunt, & qui deinceps ad illud Monasterium pro Dei amore venturi sunt, prædicta loca teneant ad utilitatem ipsius Monasterii, & perpetualiter possidendum

per hoc nostræ auctoritatis præceptum illis censemus, & nihil census vel servitii umquam Rectoribus prædicti Monasterii à regia potestate inde exigatur, nisi, ut diximus, solo Conditori hominum pro nostra peccamina grata persolvant libamina. Ita ut hactenus ad nos prædictæ res respiciebant qualicumque ingenio nobis devenissent, aut de paterna potestate, aut etiam nos postea de Walda in villa Arcas adquisivimus, hoc est mansum unum, & in Mansiano colonicam unam, & in Vitrosco quidquid de Thieodewino adquisivimus, & in Areld similiter quantum de ipso comparavimus, hæc ipsa prædia pretio computato trecentorum solidorum constat à nobis esse adquisita.

Omnia hæc à nobis illis tradita seu ab illo Abbate, ac Monachis suis in prædictis villis postmodum simili modo acquisitis, vel etiam ubicumque aliquid habent adquisitum, vel in futuro tempore erit conquirendum, vel si aliqua persona aliquando pro remedio animæ facultatibus ipsius Monasterii de suis rebus cupit ingerere, huic nostræ auctoritati subdere decrevimus, ne per successiones futuras aliqua incuria desoletur, agris, pratis, vineis, casis, casalibus, pascuis, aquis aquarumque decursibus, & in omnibus appendiciis amodo & deinceps. Ut autem hæc nostra auctoritas apud successores firmum tenorem habeat, & omni tempore stabilis & inconvulsa permaneat, placuit nobis nomini nostro esse conscribendum, & impressione anuli nostri subteriùs subsigillari. Signum invictissimi ac pissimi Regis Chuonradi.

Ego itaque Kerardus indignus Sacerdos præscripti Regis ac Reginæ humillimus Capellanus, jussus ad vicem Haimonis Valentinensis Episcopi Archicancellarii scripsi & subscripsi. Data Kl. Dec. Nonas Decemb. Idus Januarii sub Pontifice Tietpaldo, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCC. XCII. Indictione quarta, Epacta vigesima, regnante Rege nostro Chuonrado XXXVIII. anno.

Digitized by Google

Ex chartul. S. Andreæ Vienn. à D. d'Herouval communicato.

RUDOLFUS *Rex Burgundiæ confirmat quæ Monasterio S. Andreæ Viennensis donaverat Conradus pater ejus.*

An. Chr. 994.

X. IN nomine Domini Dei æterni, RUDULFUS Rex. Si locus Sanctorum more præcedentium Regum Catholicorum aliquid compendii, unde vita inibi Deo famulantium sustentetur, conferre studemus: non solùm in hac vita diutiùs cum prosperitate regnaturos, verùm in perenni à Deo recompensationem recipere confidimus. Quocirca noverit sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque fidelium universitas, præsentium scilicet ac futurorum, quia venerabilis Abbas HAIMOINUS de Monasterio sancti Andreæ Apostoli in civitate Vigenna * siti, cum Monachis sibi commissis, ante præsentiam nostram præceptum patris nostri deferens postulavit, ut res quæ in ipso ad præfatum Monasterium à se jamdudum restauratum delegatæ erant pro animæ matris nostræ MATHILDIS Reginæ remedio ac suæ, nostræ auctoritatis præcepto ad sustentationem Deo ibi servientium corroborare dignaremur. Sunt autem res ipsæ in pago Vigenni sitæ, in villa Vitrosco Ecclesia cum appendiciis suis, & quidquid in ipsa villa, vel in Arelo pater noster & mater nostra de Teudowino adquisierunt, & in Arcas mansum unum, & in Masiano colonica vna; nos verò non solùm in hoc ei assensum præbentes, sed insuper per consilium dilectæ conjugis nostræ AGILDRUDIS Reginæ, ac fratris nostri Purchardi * Luctunensis Archiepiscopi, quamdam villam Crisinciacus nominatam cum familiis utriusque sexus & ætatis, & rebus omnibus ad ipsam respicientibus, quæ ex multo tempore de præfato Monasterio ablata fuit, pro remedio animæ patris nostri, sicut ipse in fine obitus sui reddidit, sancto Andreæ sanctoque Maximo reddimus & concedimus, & per hoc nostræ auctoritatis præceptum sancimus, ut deinceps

* *sive* Vienna

* Burchardi Lugdunensis

ceps nullus Dux, Marchio, Comes, vel quælibet grandis, aut parva Regni nostri persona de suprà nominatis rebus nullum teloneum, vel aliquam functionem exigere præsumat, sed ad subsidia Monachorum in prælibato Monasterio Deo servientium, omnium hominum inquietudine remota, cuncto permaneant tempore.

Siquis autem hujus nostri præcepti violator exstiterit, sciat se compositurum auri optimi libras xxx. medietatem cameræ Palatii nostri, & medietatem Monachis supradictis. Ut autem veriùs à nobis factum credatur, & ab omnibus diligentiùs succedentibus temporibus observetur, manus illud nostræ subscriptione roborantes sigilli nostri impressione adnotari jussimus: & ad confirmationem prælibatam confirmandam addimus Ecclesiam de Masclatis cum apendiciis suis ad prædictorum Monachorum subsidia.

Signum Domni Ruodulfi nobilissimi Regis. PALDOLFUS Cancellarius recognovi. Data II. Idus Januarii anno Incarnationis Domini DCCCC.XCIV. Indict. V. * anno verò Domni Rodulfi Regis primo. Actum Vigennæ in Dei nomine feliciter. *Amen.*

* I. vel II.

Constitutio Monachorum S. Andreæ Viennensis, qua Monachis furtum utensilium Monasterii interdicitur.

Ex chartul. S. Andreæ Vien. communicavit D. d'Herouval.

An. Chr. 1000.

XI. ANNO dominicæ Incarnationis millesimo, constitutio constituitur in Cœnobio S. Andreæ infra mœnia Viennæ urbis posito, corroboratione laudationis cunctorum Monachorum inibi manentium, sub præsentia GALTERII Monachi, in prælatione Abbatiæ electi: ut quicumque Cœnobita deinceps sacrilegium facere ausus fuerit, subripiendo de refectorio scyphum, aut curullum, aut mantile, aut quodlibet utensile refectorii, ultimus maneat ubique velut fur & sacrilegus, donec sacrilegium emendetur; & insuper talis satisfactio fiat, ut ceteri metum habeant. Similiter quicum-

que de dormitorio, aut lænam, aut sagum, aut capitale, vel quamlibet supellectilem sine licentia regulari subripuerit, in omni loco careat consortio Fratrum velut fur & sacrilegus, donec sacrilegium restauretur, & præcipuè talis fiat satisfactio, ut ceteri metum habeant. Si verò hæc constitutio profanata fuerit, adhibeatur Episcopus & conventus virorum boni testimonii, ut audacia stultorum confringatur, & domus Dei ad obsequium sacræ Regulæ reformetur.

Ex MS. Eccl. Carnot. D. d'Herouval communicavit.

RICHARDUS *Marchio Normanniæ multa confert Ecclesiæ Carnotensi, ut detrimenta quæ ipsi intulerat, resarciat.*

De dono Ebrardivillæ, & aliorum redituum, qui sunt in Normannia.

An. Chr. 1014.

XII. REGNANTE Domino JESU CHRISTO in perpetuum, anno Incarnationis ejus post mille XIV. Indictione XV. & ROBERTI Regis Francorum anno XXVI. Ego RICHARDUS Marchio Normanniæ sollicitè pro captu meo retractans, quanto me Deus honore & potentia post antecessores meos suâ gratiâ sublimaverit, animæ meæ valde necessarium judicavi, ut quadam bonorum meorum parte, quia de toto filiorum, necnon & affinium meorum causa prohibebat, Ecclesiæ Dei facultates augerem, certus quia sic facientem cælestia manent. Notum igitur esse volo omnibus Christianis, tam præsentibus quàm futuris, qualiter Ecclesiam sanctæ Dei Genitricis Carnotensem esse non tulerim meæ largitatis expertem, tum opitulandi gratiâ quam apud Deum, præ omnibus habet, tum injuriæ causâ non modicæ, quam in vicinia ejus graviter exercueram, quatenus aliquantula satisfactione placata pro animabus nostris vel parentum nostrorum, ut verè pissima est, intercedere dignetur.

Dono itaque pari voto & communi favore, necnon

Digitized by Google

& affinium meorum, & de jure meo in propriam ditionem Dei, cujus omnia sunt, & sanctæ MARIÆ Carnotensis perpetualiter habenda transfundimus donatione directa. Videlicet in Ebroacensi Comitatu Ebrardivillam totam cum Ecclesia, & decimam venationis de silva quæ dicitur Bortis. Et in eodem pago Ecclesiam solam de Hauvilla, & in Lisvino Ecclesiam de Bonavilla, & in eodem territorio Angliscam villam totam cum Ecclesia, & Runtiam villam totam cum Ecclesiis, & Ecclesiam de sancto Juliano cum duobus membris appendentibus.

Hæc ita dona pro qualitate peccatorum nostrorum modica, pro excellentia verò sanctæ MARIÆ ferè nulla, prædictæ Ecclesiæ confisi de immensa Dei bonitate & ejusdem matris suæ clementia desiderantissimè tradimus, omni consuetudine nostra vel inquietatatione penitus dimissa, ut piis ejus meritis adoptemur sempiternæ hereditati. Quatinus autem hæc donatio perpetua sit stabilitate subnixa, litterarum exinde notitiam scribere mandavi, scriptam verò signo crucis & mei nominis roboravi, filiorum quoque & affinium, necnon & eorum quorum intererat, manibus corroborari, simul & nominibus insigniri præcepi. Datum XI. Kal. Octobris, regnante Roberto Rege feliciter. Actum Rothomæ.

RODULFUS *Rex Burgundiæ approbat & auget quæ Monasterio S. Andreæ dederunt pater & mater ejus* CONRADUS & MATHILDIS.

Cõmunicavit D. d'Herouval ex chart. S. Andreæ Vien.

XIII. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, RUODULFUS divinâ providentiâ serenus Rex. Justis fidelium nostrorum petitionibus acquiescere justum ducimus & honestum. Qua de re notum sit omnibus Dei Ecclesiæ filiis, nostrisque fidelibus præsentialiter natis & in futuro nascendis, qualiter petente I R-

An Chr. 1015.

Digitized by Google

MINGARDE Regina conjuge nostra carissima, necnon BURCHARDO Archiepiscopo fratre nostro dilectissimo, sed & UTELINO fidele nostro rogante reddimus Monasterium* sancti Andreæ in civitate Viennensi constructum*, cui HUGO Abbas præesse videtur, Ecclesiam in honore sancti Simforiani dicatam in Septimo, cum dotis & decimis & offerendis, & omnibus appendiciis, ut sicut pater noster memoriæ bonæ CHUONRADUS Rex, & mater nostra MATHILDIS pro anima sua illuc dederunt, ita nos pro anima nostra illuc reddimus, ut omni tempore illic permaneat ad stipendia Fratrum ibi Deo famulantium, in potestate & gubernatione Hugonis Abbatis & successorum ejus. Damus etiam in valle Ortensi quidquid CONSTANTIUS ibi ædificavit per donum AUNUINI Abbatis, eo ipso modo ut superiora dedimus quæ sunt sancti Andreæ. Volumus ergo ut in pace locus permaneat cum omnibus pertinentiis suis, nulla aliena potestate gravatus. Ut hæc à nobis facta credantur, & à posteris nostris non frangantur, manu nostra roboravimus, & sigillari jussimus. Signum Domni RUODULFI Regis. PALDOLFUS Cancellarius recognovi. Data pridie Idus Aprilis anno Incarnationis Domini M.XV. regnante Domino Ruodulfo Rege anno vicesimo. Actum Aquis.

* Monasterio
* constructo

Ex chartul. S. Andreæ Vien. à D. d'Herouval communicato.

ERMENGARDIS *Regina Ecclesiam sancti Johannis donat Monachis S. Andreæ Vienn.*

An. Chr. circ. 1025.

XIV. OMNIPOTENTIS Dei dulcissima bonitas benigniter per Prophetam clamat dicens: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Et quia *omnes vult salvos facere, & ad vitam æternam perducere*, præcipit bona hujus sæculi possidentibus, ut ex his quæ possident, amicos adquirant in præsenti vita, à quibus recipiantur in æterna tabernacula. Hæc & alia multa, ego ERMENGARDIS Regina ad men-

Digitized by Google

tem reducens divina monita, consideransque innumerabilia peccata mea, in extremo fine posita, pro redemtione animæ senioris mei RADULFI Regis, necnon & pro anima mea, ut nobis Dominus indulgeat quidquid peccavimus in præsenti vita, dono Deo & sancto ejus Andreæ Apostolo, & Abbati ITERIO, & Monachis ejus in Abbatia jam dicti Apostoli infra mœnia urbis Viennæ constitutis, Ecclesiam sancti Johannis in Albriniaco, & in Episcopatu Gratianopolitano, cum omnibus appendiciis, scilicet ut ab hac die Monachi prædicti loci pro redemtione animarum nostrarum, omniumque fidelium in proprios usus teneant & possideant absque ullius inquietudine. Si quis verò huic nostræ eleemosynæ & donationi, quod futurum minimè credo, contrarius vel calumniator exstiterit, nisi citò resipuerit, iram omnipotentis Dei omniumque Sanctorum incurrat. Hæc verò nostra donatio firma & stabilis permaneat per omnia futura sæcula. S. ERMENGARDIS Reginæ quæ hanc chartam fieri jussit, & adstantibus ibi firmare præcepit. S. LEUDEGARII Viennensis Archiepiscopi. S. ARTALDI Præpositi. S. WIGONI Decani. S. RICARDI Presbyteri. S. OTMARI.

GUILLELMI *Burgundiæ Ducis donatio facta Abbatiæ S. Andreæ Viennensis pro salute Imperatoris.*

Ex chart. S. Andreæ Vien. à D. d'Herouval concesso.

XV. PRO salute sancti Imperii Romani ego GILLELMUS Burgundiæ concedo, prout possum, de regalibus aliquid Abbatiæ sancti Andreæ inferioris, scilicet quartam salis omni sabbato quæ mihi contingit: & hoc, ut Deus dirigat gressus meos in viam mandatorum suorum, & post cursum mundanæ vitæ Domno Imperatori, & Vicario sancti Petri Romanæ Sedis requiem sempiternam concedat: & quamquam paucis-

An Chr. 1025. sic cod. MS.

Digitized by Google

ſima tribuens maxima requiram, hanc donationem facio, corroborante * Domni Leudegarii Archiepiſcopi Viennenſis Eccleſiæ & Canonicorum ejus, anno dominicæ Incarnationis milleſimo vigeſimo-quinto.

* *ſ corroborationc*

Ex chartul. S. Andreæ Vienn. à D. d'Herouval concesso.

LEUDEGARIUS *Archiepiſcopus prohibet ne Monachus uſurpet & ſibi attribuat reditus Obedientiæ, ſive Prioratus in quo degit.*

An. Chr. 1025.

XVI. ANNO dominicæ Incarnationis milleſimo viceſimo-quinto, LEUDEGARIUS ſanctæ matris Eccleſiæ Viennenſis Archiepiſcopus, miſerans ſancti Andreæ Cœnobium cum Abbate ipſius domno YTERIO & Congregatione amore cæleſtis patriæ æternali exemplo viventium: conſtituo, ut de Obedientia de Moidiaco, de Gemmis, de Criſinciaco, nihil de placitis, nihil de manſis mutandis vel miniſtris, nihil de offerendis altaris & decimis dandis, nihil de molendinis, ſeu bathedoriis & telonariis, & ceteris hujuſmodi, aliquis obedientiarius in propriis uſibus deinceps quidquam habere præſumat; ſed in communi utilitate Fratrum, prout Abbas juſtè juſſerit, omnia omnino deputentur, quatenus in Cœnobio Abbati & Fratribus proficiat immenſa populorum converſatio, & Dei fiat inibi dignè laudatio. Similiter ſtabilimus de Vitroſar de Maſiano omnimodo, niſi ibi Monachus aſſiduò manere habuerit. Tranſgreſſorem inventum hujuſmodi noſtræ conſtitutionis auctoritate Dei & noſtra & ſancti Benedicti tam acriter judicari decernimus, ut ceteri metum habeant & quicumque ad priſtinum errorem quem conſtituimus, reduxerit, vel reducere certaverit, niſi reſipuerit, anathematis vinculo auctoritate Patris & Filii & Spiritus ſancti indiſſolubiliter alligamus, & quamdiu in prædicto tranſgreſſu prædicti Cœnobii Cœnobitæ manſerint, cunctas auctoritates ipſorum prophanamus, ut irreligioſorum ſæcularium regulæ obedire nolen-

Digitized by Google

tium. Observant ibi autem hæc, & communem vitam regulariter desiderantibus benedictionem & peccaminum absolutionem damus.

Conventus Procerum Viennensis civitatis, in quo nonnulla donantur Vagoni & uxori ejus loco beneficii, ut Monachis inserviant, quamdiu vixerint.

Ex chartul. S. Andreæ Vien. à D. d'Herouval communicavit.

An. Chr. circ. 1025.

XVII. QUALITER venit ante præsentiam Domni BORCHARDI Archiepiscopi Viennensis civitatis, ante præsentiamque Procerum tam Clericorum quàm laïcorum ejusdem civitatis, videlicet Domno HUGONE Abbate, cum cuneo Fratrum societatis sancti Andreæ, Domnoque ALAMANNO Præposito Decanoque, Domno OTGERIO, cum corona Fratrum sancti Mauritii, adstantibus ibi Domno ERUYSO, filioque ejus Domno SUBODO, Domnoque ROSTAGNO, cum falanga multimoda virorum, ante quorum præsentiam venerunt WAGO & uxor sua ELDELA, quæ quondam fuit uxor WIDONIS defuncti, qui tenuit terram sancti Andreæ sanctique Maximi in modiatis & in *mariatis* per condonamentum EYMOINI Abbatis, Domnique VIVENTII Abbatis, atque Domni HUGONIS Abbatis solummodo in vita Vidonis, post discessum autem ejus cum omni melioratione ad casam Dei sanctique Andreæ, sine ulla tarditate deberent reverti: sed consentiente Domno BORCHARCO Archiepiscopo Viennensi, unà cum Clero sibi commisso, cum consilio Procerum & laïcorum inibi adstantium, pro timore Dei & caritate Widonis defuncti, & ut Wago & uxor sua Eldela donent Deo sanctoque Andreæ, sanctoque Maximo, & Monachis ejusdem loci, de hereditate sua, & serviant Deo, sanctoque Andreæ & Monachis, sicut servivit Vido cum magna honestate obediens ipsis Monachis omnibus diebus vitæ suæ. Quapropter donant Abbas Hugo Monachique sancti Andreæ ipsi Wagoni & uxori suæ Eldelæ me-

Digitized by Google

dium Reveste in modiatis & in mariatis villis, tali scilicet convenientia, ut quamdiu Eldela vixerit, teneant & possideant unam medietatem de Reveste. Post discessum verò Eldelæ, sine ulla tarditate sancto Andreæ & Monachis perveniant. Donantque Abbas Hugo & & Monachi sancti Andreæ Wagoni & uxori suæ Eldelæ loco beneficii mansiones & terras de Bosleto, quas Wido tenuit loco beneficii, & vineam de Bolziaco: similiter donant nomine beneficii, quæ fuit quondam Gottefridi.

Ex chartul. S. Andreæ Vien. à D. d'Herouval concesso.

BORCHARDI *Comitis donatio facta Monasterio S. Andreæ Viennensi.*

An. Chr. cir. 1027.

XVIII. SACROSANCTÆ Dei Ecclesiæ quæ est constructa in urbe Vienna, & in honore beati Andreæ Apostoli Christi dicata, ubi sanctus Maximus Præsul Christi nobiliter excolitur, & aliorum Sanctorum plurimorum cum digno honore conditæ reliquiæ sunt, ubi Domnus HUGO Abbas præesse videtur, ego in Dei nomine BORCHARDUS, & filius meus AIMO donamus aliquid ex rebus nostris pro remedio animarum nostrarum, & pro remedio seniorum Domni Regis GONDRADI, & filii ejus Domni Regis RODULFI, & Domnæ Reginæ ERMENGARDIS, Domnique BORCHARDI Archiepiscopi, & Domni HUBERTI Comitis, & uxoris ejus HANCHILÆ, seu pro remedio patris & matris meæ, & Comitissæ Ermengardis uxoris meæ, hoc est, Ecclesia beati Genesii, quæ olim fuit sancto Andreæ. Donamus Ecclesiam & altare cum decimis & sepultura & offerendis, & terram in circuitu Ecclesiæ. Est autem ipsa Ecclesia in Comitatu Beliacensi*, in pago, vel in villa sancti Genesii. Donamus verò tali convenientia, ut amodo & deinceps faciant Rectores sancti Andreæ subterioris, quidquid facere voluerint, & rogent pro nobis, & pro animabus

* Bellicensi

bus nostris Deum omnipotentem, ut misereatur nostri & custodiat in hoc sæculo, & in futuro, & remissionem peccatorum nobis tribuat.

Si quis verò contra hanc donationem aliquam calumniam, vel contradictionem facere voluerit, non valeat vindicare quod injustè requirit, sed componat tantum & aliud tantum, quantum hæ res melioratæ valuerint :- & insuper iram Dei omnipotentis incurrat, & sit damnatus in perpetuum cum Juda traditore, & cum Datan atque Abiron, atque cum ceteris persecutoribus. Hanc autem donationem manu propria firmavimus. Ego BORCHARDUS, & filius meus AYMO, & ceteris amatoribus Christi qui Deum diligunt, firmare rogavimus. Signum Aimoni. S. Eymini. S. Engelbotoni. S. Gironi. S. Arfredi. S. Dodoni. S. Drooni. S. Duranni. Data per manum Fawel in mense Junio sub die Jovis, regnante feliciter Rodulfo Rege, anno XXX. regni ejus.

Charta fundationis Ecclesiæ sancti Martini Sparnacensis Diœcesis Rem. ab ODONE *Comite Campaniæ.*

XIX. SCIMUS, quoniam in humanis negotiis mos iste servatur, ut commissi mensura in debiti redditione detineatur, & quantò quis majoris crediti præfertur cumulatione, tantò solvendi tempore districtiùs exigatur in reddenda ratione: quodque æquitatis lex justitiæque ratio comprobatur postulare, justissimum quoque Dominum in extremi judicii examine idem proculdubio credimus terribiliter conservare; & ne in tam certa rei stabilitate diaboli versutia conetur impedire, Salvatoris occurrentis similitudo de servorum fidelium laborantiumque lætitia & tristitia pigritantium; id ita venturum esse in Evangelii lectione dignata est nobis misericorditer aperire: qua in re si æterni supplicii periculum nolumus incurrere, expedit ea quæ nobis divi-

An. Chr. 1032.

Digitized by Google

na bonitas confert, in hujus vitæ curriculo citissimè trânseunte, taliter propter Dominum tractare, ut ex fideli administratione post hujus mundi pereuntis ærumnas mereamur cum ipso æternaliter regnare: quicumque enim pro sui talenti modulo Deo nunc distulerit servire, sciat se in futuro perpetualiter cum diabolo perire.

Hæc ego ODO Comes Palatinus Francorum Regis diu perpendens, hæc mecum secretæ cogitationis assiduitate reminiscens subtiliter perscrutari cœpi, qualiter bene operando Deo voluissem placere, ac per hoc æterna incendia non timere. Interea uxor mea ERMENGARDIS fidissima comes, cujus piis operibus maximè confido, mentem meam deprehendens, ista supradicta jugiter præmeditantem suis me dulcissimis ausa est aggredi locutionibus, ut quidnam sciret quod sic sæpe videbar sollicitus multis suspiriis hujus rei indicia manifestantibus; cujus precibus acquiescens sibi cor meum studui patefacere, & quid consilii ab illa sollicitudine capere quiissem, ab ea fidelissima conjuge non distuli petere. Hæc igitur præfata mulier piis operibus semper intenta studiosè justisque supplicationibus admonere me cœpit, ut Basilicam jam pæne dirutam, in honorem sancti Martini in villa Sparnaco olim constructam reædificaremus, & de nostris bonis illi Ecclesiæ tantum largiremur, unde sacer Conventus Canonicorum secundùm Patrum instituta se valuisset sustentare, laudesque assiduas pro nostris animabus nostrorumque successorum omnipotenti Deo toto corde decantare.

Hujus ergo meæ uxoris tam salutiferis admonitionibus præbens assensum, Ecclesiam jam suprà nuncupatam diligenter ædificare præcepi, & ad Clericorum victum inibi Deo servientium tale supplementum tradere decrevi, ipsius videlicet vici in quo prædicta fundata est Ecclesia, totam decimam cum molendinis tribus, & medietatem vici cum duobus furnis, & omnibus terris quæ ad ipsius Ecclesiæ altare pertinere videbantur, & quibusdam aliis quas postea superaddere dispo-

Digitized by Google

sui, vineis, pratis, cultis & incultis, aquis, aquariis cursibus, ut Canonicis eis uti liceat sine ulla calumnia, montem Biduenum cum omnibus appendiciis suis, & teloneum in Materna flumine, ad locum qui dicitur *Baixones* molendinum unum; in Siliaco molendinum unum, in monte Felici altare sancti Martini cum medietate corporis totius villæ *Romains*, districtum cum manso uno dominicali; in Gentiliaco vico molendinum unum, medietatem montis Speratorii cum iis omnibus quæ ad ipsum pertinent; & in villa *Pipera* nuncupata quondam * partem de terra quæ ad eam pertinet, in summo saltu & in Halceio monte medietatem de omnibus quæ ibi pertinent, & in servis, seu in ancillis qui ibi morantur & sub ditione mea detinentur. Et in Vicetico medietatem similiter de omnibus.

* f. quamdam

Hæc autem omnia superiùs nominata, quæ ad præsens tradita sunt, vel in posterum tradenda erunt, & ea omnia quæ emta fuerunt in mea terra, tam de prædiis quàm de beneficiis, absque calumnia omnia sint in recta dote Ecclesiæ præfatæ, absque ullis coustumiis. Assistunt fidissimi testes & corroborantes ODO Comes Palatinus, THEOBALDUS filius ejus, & STEPHANUS filius ejus, HILDUINUS Comes, & HILDUINUS filius ejus, LIETHELINUS Comes, THIEBALDUS Archidiaconus, GILDUINUS Vicecomes, HARDUINUS filius ejus, & alter filius WALERANUS. HUGO Vicedominus, *Ado*, *Warnerus*, *Senswalo*. In illis diebus erant isti ministri Sparnaci *Dado*, *Hugo*, *Albertus*, *Weselinus*, *Hugo*, *Athelimus*, *Aleramnus*, *Isembarbus* Præpositus, *Berengerus* Villicus, THIEBALDUS Decanus. Anno Incarnationis Domini nostri JESU CHRISTI M.XXXII. regnante Domino serenissimo HENRICO Rege Francorum v. anno, procurante EBALO Archipræsule pastoralem curam sanctæ MARIÆ Remensis Ecclesiæ corroborata est charta & approbata.

Digitized by Google

Ex Chartul. Viennensi à D. d'Herouval concesso.

An. Chr. circ. 1043. *vel* 1044.

* *al.* Leodegarium

De moneta Viennensi corrupta.

XX. NOTITIA Viennensis monetæ, quæ facta est inter LEUDEGARIUM * Viennensem Archiepiscopum, & ADELEIDAM Marchionissam cum filiis suis. Longa per tempora stetit ipsa moneta bona in pondere & mensura decena. Nuper autem tempore ODONIS Marchionis viri sui latrones & falsarii in burgo, qui dicitur Aqua-bella, corruperunt eam & confunderunt & falsaverunt, ignorante supradicto Marchione. Qui statim ut audivit clamorem supradicti Archiepiscopi Viennensis, præcepit ne ampliùs fieret. Neque factum est eo vivente. Post mortem verò ejus insurrexerunt & alii latrones, & secuti sunt priores, & iterum falsaverunt eam, quousque prædictus Archiepiscopus LEUDEGARIUS venit in Italiam ad prædictam Marchionissam Domnam Adeleidam. Quæ similiter ut audivit, ne ampliùs fieret præcepit. Tamen ut omnibus notum fiat, Trapezita à Domno Leone Papa excommunicatus, paralysi percussus, membris omnibus dissolutus, impiam vitam digna morte finivit. Modò autem ignorante supradicta Domna ADELEIDA Marchionissa, alii exorti sunt, & prædicta mala sequuntur; sed mediante Domno Adraldo Bremetensium Abbate, & Artaldo Ecclesiæ nostræ Præposito, dimittuntur supradicta mala, & ne ampliùs fiant, promittit Domna ADELEIDA Marchionissa cum filiis suis PETRO & AMEDEO & ODDONE, Deo & sancto Mauricio in manu Domni LEUDEGARII Archiepiscopi Viennensis, ut in tota potestate sua Viennensis moneta ampliùs non falsetur, neque fiat, neque vera, neque falsa illa quæ in Vienna fuerit facta. Et hoc fecit pro amore Dei & sancti Mauricii cum sociis suis; de cujus beneficio honorata est, & pro anima senioris sui ODDONIS Marchionis, & pro sua & filiorum suorum salute, qui hoc laudant & confirmant, videlicet PETRUS pri-

Digitized by Google

mogenitus, & AMEDEUS & ODDO. Laudat hoc Domnus ADRALDUS Abbas Bremetensis, & ARTALDUS Præpositus Ecclesiæ Viennensis cum ceteris fidelibus suis, quorum ista sunt nomina . . . . . . Data per manus Bosonis ad vicem Domni Cancellarii & Primiscrinii II. Kl. Decembris, Luna XVI. Feria IV. Heinrico secundo Rege, nondum Imperatore, Cæsaris & Imperatoris filio, hujus Domnæ Marchionissæ genero. Recepta per manus Domni Archiepiscopi LEUDEGARII.

HENRICUS I. *Rex Francorum Ecclesiæ Carnotensi fiscum Unigradum immunem concedit.*

Eruit D. d'Herouval.

XXI. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris videlicet & Filii & Spiritus sancti, ego HENRICUS Francorum Rex Dei gratiâ. Si erga cultum Sanctorum & utilitatem Ecclesiarum, antiquorum institutio nos voluit esse devotos, quantò magis erga singularem memoriam nostræ salvationis, videlicet Dei Genitricis, quam post Deum credimus & confidimus non solùm nostræ salutis amminiculum, sed & plenum effectum; unde pro acquisitione æternæ felicitatis admodum sollicitus circumspexi si circa me aliquid haberem, quod ejus famulatui & promerendæ gratiæ impendere possem: & hoc mihi aliquantisper cogitanti ad memoriam rediit Canonicorum Carnotensis Ecclesiæ, quam sæpius inculcaverant, petitio, per quam à diversis exhibitionibus & exactione illa quæ vulgari nomine *Vicaria* vocatur, illum fiscum, cui *Unigradus* * vocabulum est, liberum & quietum deinceps esse concederem. Ego verò petitionis ipsorum exaggerando cumulum, universa concedo quæcumque quælibet terra præfati fisci mihi meisque hactenus persolvere consueverat, quatenus in eo habitantes tutiùs vivere, & idcirco quæcumque ab eis usibus Canonicorum debentur, pleniùs valeant reddere, exceptis quatuor sextariis vini de uno-

An. Chr. 1048.

* *al.* Ungreium

Digitized by Google

quoque arpenno, quos mihi advocationis gratiâ retinui, quatinus si in posterum quis ei fisco injuriam inferre temtaverit, Rege auxiliante superno me advocatum sibi sentiat esse infestum.

Et ut nostræ liberalitatis munificentia omnibus sanctæ matris Ecclesiæ fidelibus & nostris esset nota, summo studio & diligentia præcipimus exarari & sigilli nostri impressione signari: quatinus quod manu propria signo crucis impresso statuimus esse ratum, per curricula succedentium temporum maneat inconvulsum. Et si quis hujus conventionis esse temtaverit violator, quod absit, iram Dei incurrat, atque nostra nostrorumque auctoritate convictus abscedat, & pro illicita præsumtione auri libras centum regali fisco persolvat. Actum publicè Parisius anno Verbi incarnati M.XLVIII. Indictione I. regnante Henrico Rege XVIII anno, XV. Kal. Maii.

1048.

Communicavit D. d'Herouval.

Confirmatio donorum factorum Rotomagensi Ecclesiæ beati Audoëni.

Ann. Chr. circ. 1050.

XXII. PHILIPPUS. Notum facimus, &c. nos infrà scriptas vidisse litteras sub suo tenore, qui sequitur in hæc verba:

Notum esse volumus sanctæ Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, quas res ROBERTUS Bertram & uxor ejus SUSANNA dederint beato Audoëno, pro abolitione delictorum suorum ac vitæ æternæ merito, cum auctoritate domini GUILLERMI Normannorum Principis: id est, Ecclesiam de sancto Clodoldo, & in eadem villa terram uno aratro, & nundinas in festivitate beatæ MARIÆ, & duos rusticos de Claro-Becco, & foveam unam in Golcha ad capiendum pisces, & quatuor acras de pratis apud sanctum Clodoldum, ac Capellam sancti Nicolai de Burco, & illud quod possidet in sancto Georgio, & Ecclesiam sancti Stephani de Hunesteroch, Ecclesiamque sanctæ

MARIÆ de Magnavilla, & quidquid pertinet ad eam: necnon Ecclesiam sanctæ MARIÆ de Owrecoch, & quidquid pertinet, & Ecclesiam sancti Petri, similiter quidquid pertinet de Sottinvilla, & Ecclesiam sanctæ MARIÆ de Brichobec, ac decimam, & quidquid pertinet, & terram uno aratro in Fonteneit, & Ecclesiam, & quod possidet in eadem Ecclesia: & de omnibus silvis quas possidet decimas, necnon etiam decimas de totis nundinis ac teloneis quas possidet, & de omnibus molendinis quæ habet, decimas, & de toto suo sale decimam, & beneficium totum, quod Gurslinus Clericus tenet à supradicto Roberto in Barnavilla, & quadraginta acras de terra, & duos rusticos, & decimam de equabus suis, & duos equites, scilicet Gostelinum & Osbernum, & decimam de Gorgisvilla dedit Gurslinus Gualterii filius. Signum † GUILLERMI Normannorum Ducis, Signum † MATHILDIS Comitissæ, Signum † ROBERTI eorum filii, Signum † ROBERTI Bertram qui hæc donat, † SUSANNÆ uxoris suæ. Hi sunt testes, Milo, Maichidis, Wido Sacerdos, Ramenus Sacerdos, Walterius, Radulfus, Normannus, Robertus, Gotselinus, Robertus, Rodulfus, Auffudus, Willermus pater eorum; Emma, & Willermus filius Gorstini qui vocatur Donecam.

Nos autem omnia & singula in suprà scriptis contenta litteris, prout ritè & legitimè facta sunt, & prædicti Religiosi de ipsis usi sunt, ac in eorumdem possessione existunt, rata habentes & grata eadem volumus, laudamus, approbamus, & nostra auctoritate regia confirmamus, nostro & alieno, &c. Quod ut, &c. Actum Parisius anno ut suprà, mense Octobri, per Dominum Regem, ad relationem Thesaurarii Remensis & Decani Turon. *Signatum*, Tesson.

Digitized by Google

Concessit D. d'Herouval.

Fundatio Abbatiæ beatorum Martini & Wulgani de Siggi, & ejus traditio Rotomagensi Ecclesiæ S. Petri Apostoli & S. Audoëni.

An. Chr. circ. 1052.

XXIII. PHILIPPUS, &c. Notum facimus, &c. Quòd religiosi viri dilecti nobis in Christo Abbas & Conventus Monasterii sancti Audoëni Rotom. quamdam litteram antiquam dudum dicto Monasterio, quæ propter vetustatem in quibusdam suis partibus erat deteriorata & consumta, nobis exhiberi fecerunt humiliter supplicando, quòd eamdem litteram quam ad suam ac sui dicti Monasterii rerumque & possessionum suarum conservationem quamplurimum asserebant proficuam, renovari, eamque confirmare & approbare & nostro sigillo regio muniri facere auctoritate regia dignaremur. Nos autem progenitorum nostrorum, qui ad sanctas Dei Ecclesias præcipuè religiosas piè jugiter concessisse noscuntur devotionis affectum, quantùm cum Deo valemus, insectantes vestigia, Religiosorum ipsorum supplicationibus inclinati dictam litteram & contenta in ea, ne fides aliàs eidem adhibita propter deteriorationem, seu consumtionem prædictis futuris temporibus deperiret, quatenus præfati Religiosi de præmissis rite & legitimè usi fuerunt hactenus, & in eorum possessione existunt, & approbamus, & auctoritate nostra regia confirmamus, ac in scripturam novam redigi mandavimus sub suo tenore, qui sequitur in hæc verba:

Quoniam vita mortalium in hoc mundo admodum brevi intercluditur spatio, & antecessores nostri corporis indumentis exuti verissimis hoc approbant argumentis, oportet nos eorum adhuc superstites ultimam resolutionis clementiam cum omni cautela providere, & qualiter in divinæ majestatis præsentia veniam consequamur, subtiliter pertractare. Sanctorum Patrum auctoritate docemur, quòd hæc activæ mortalitatis vita ad

Digitized by Google

ad contemplationis celſitudinem ſit quaſi quoddam aſcenſionis adminiculum. Et ideo bona tranſitoria nobis divinæ largitatis dono conceduntur, ut æterna veréque manentia Deo reddentes, viciſſitudinem per caritatis officium mercemur. Quapropter ego HUGO divinitus præ ceteris ſalubriter admonitus, in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, in honore ſanctorum Confeſſorum Martini & Wlgalnii Abbatiam conſtruxi in loco qui dicitur Siggy, & ea quæ ſubſcripta ſunt, donavi, & tradidi inibi terram ſancti Martini, & duo molendina, & Eccleſias ſupraſcriptas cum earum præſentationibus. Villam etiam totam quæ dicitur Becmicort, apud Fractam-coxam terram unius carrucæ, & pratum de Ulmo. In monte de Calvincourt XL. agros * ad vineam faciendam, ſilvam etiam quæ incipit à via Rotomagenſi, uſque ad diviſionem ſilvæ Gauffredi & Warnerii; Eccleſiam de Orgoil, Eccleſiam de Suggey; & in ipſa villa terram unius carrucæ, & unum manſum, & decem cartarios; in Couſangevilla terram unius carrucæ & V. manſos, Eccleſiam ſancti Samſonis, Eccleſiam ſancti Petri in caſtro, & Eccleſiam ſanctæ Trinitatis extra caſtrum, Eccleſiam beatæ Virginis MARIÆ de Caſtillone, Eccleſiam etiam de Semvaltinont cum terra Preſbyteri, & Baiderna beneficium, Eccleſiam ſanctæ MARIÆ de Goillofontana cum terra Preſbyteri; terram etiam Warnerii, & molendinum unum cum terra unius carrucæ, ad hoc Eccleſiam de Balſas & XXX. agros, & Leſgors de Poſes, & piſcatorem unum cum terra ſua ad *Pont-des Arches*. Præterea Eccleſiam Bilcei & feiram ſancti Martini, feiram etiam ſancti Michaëlis, & feiram ſanctæ Margaretæ, & Eccleſiam de Oſbervilla, & terra Aloders & Ofridum cum Goſcelino & Dragolino; terram etiam Roberti *le Mant*, & terram Ricardi *le Dringli*. Ad ultimum verò decimationem ſilvarum, axarum, molendinorum, denariorum, equorum, vaccarum, porcorum & ovium, caſeorum & piſcium; & ut bene concludam, totius poſſeſſionis meæ decimationem.

* *f.* acras

Digitized by Google

Hæc, inquam, pro remedio animæ meæ, patris & matris meæ ad supradictum locum dedi, eo rationis tenore, ut sine contradictionis molestia ea perpetualiter habeant, & hereditaria lege possideant ibi Deo servientes, & sanctis ejus Confessoribus, Martino scilicet & Wlganio. Hujus etenim concessionis rationem tali auctoritate firmavi, ut quicumque ea manu contradictoria vel violenta deteriorare præsumserit, perpetuæ damnationis ultioni subjaceat: quam Abbatiam sub jurejurando sancto Petro Apostolo sanctoque Audoëno tradidi jure hereditario possidendam, ut moriente Abbate per succedentia tempora exinde eidem loco subrogetur. Signum HUGONIS hujus donativi actoris. Ego MALGERUS gratiâ Dei Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopus hoc signo † istud donatium * confirmo. Ego quoquo NICOLAUS Deo miserente Abbas institutus hoc idem confirmo non dissimili signo. HUGONIS indigni Archidiaconi signum. Signum WILLELMI Comitis filii ROBERTI gloriosissimi Ducis Normannorum. Signum WILLELMI Magistri Comitis. Signum NIGELLI Vicecomitis. Signum GEFFREDI Vicecomitis. Signum RADULPHI Teisson.

* f. donativũ

Intentionis tamen nostræ non existit, quod per confirmationem vel renovationem hujusmodi præfatis Religiosis adversus aliquem in possessione vel proprietate jus novum acquiri valeat, aut quod nobis, seu quibusvis aliis præjudicium aliquod generetur. Quod ut firmum & stabile, &c. Actum Paris. anno Domini M. CCC. XXVIII. Mense Octobris.

Concessit D. d'Herouval.

Donatio AMALRICI *militis facta majori Monasterio.*

An. Chr. 1080.

XXIV. QUISQUIS fidelium ardore succensus adimplens illud præceptionis evangelicæ, qua cuncti divitias habentes misericorditer admonen-

Digitized by Google

tur de mammona iniquitatis facere sibi amicos, à quibus cùm defecerint in æterna tabernacula recipiantur, omnium necessitatibus communicare studuerit indigentium, ut deficiens ab hujusmodi videlicet amicis in mansiones excipiatur æternas, noverit se indubitanter non solùm à sui receptione non esse frustrandum, sed etiam ab omnipotenti Deo se esse inter gloriosiores beatitudinis æternæ præmia percepturum. Hac igitur salubri consideratione ego AMALRICUS Miles sollicitatus, necessarium duxi aliquid ex his, quæ temporaliter accepi, beneficientiæ munere conferre pauperibus in præsenti, quod post tempus in æterna retributione centena merear multiplicatione recipere: quod ut probabilius fieri possit, eorum potiùs disposui procurare subsidia, qui sunt pauperes spiritu, quorum juxta veritatis vocem regnum dignoscitur esse cælorum, qui ut Christi servitio liberiùs expeditiúsque vacarent, propriis abrenuntiantes facultatibus, voluntariam elegere paupertatem.

Igitur Fratribus his qui in Turonensi Cœnobio, quod Majus-Monasterium dicitur, omnipotenti Deo pro posse sub ALBERTO Abbate famulantur, quemdam locum majorum meorum successione mihi contingentem in Carnot. situm, nomine Senicurtem, in honore sanctæ Trinitatis constructum, cum omnibus sibi subjectis rebus, quas dedimus, vel quas deinceps per nos vel alios in jus ipsius loci divina pietas transferre voluerit, voluntate & assensu auctoritatis meæ conjugis nomine BERTREDIS, necnon & filiorum meorum, SYMONIS videlicet atque MAMERII; & concedens annuo & annuens concedo jure perpetuo possidendum, quatenus eorum qui eleemosynis divinæ majestati placuerint, mereamur adjungi consortio.

Ut autem quantitatis sive integritatis earumdem rerum, quas jam præfato loco contulimus, omnis propellatur ambiguitas, earum nomina huic scripto inserere jussimus, id est, Ecclesiam de Olivetis cum omni integritate, & Ecclesiam de Procis similiter cum omni integritate, & Ecclesiam de Procis similiter cum omni

Digitized by Google

ni integritate, necnon & casam Ecclesiæ de Hilmaretis, & casam Ecclesiæ de Gaserento, & casam Ecclesiæ de Ramboleto, & quidquid respicit ad villam, cui Senicurtis nomen est, infra flumen quod vocatur Thau, cum vineis, pratis, molendinis, terris, cultis & incultis, servis & ancillis qui in illo loco morantur, & qui ad eumdem locum pertinent. Præterea unum stagnum & unum alnetum, necnon & decimam meorum equorum, & decimam rectæ retributionis cujuscumque rei, quæ de Sparnone castro exire videtur; altare verò de Raseranco, & altare de Ramboleto cum medietate villæ de Procis post meum à sæculo discessum eidem loco delegando conscio jure perpetuo possidendam, annuentibus meis filiis, Symone videlicet atque Mamerio; & quidquid jam sæpedicto loco tribuo, liberum ab omni consuetudine exactionis vel vicariæ, seu ceterorum vectigalium facio, ita ut ab hodierna die nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, infra hujus loci potestatem ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones faciendas, aut homines ipsius loci distringendos, aut fidejussores tollendos, nec ullas redibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat; sed sine ulla vel mea vel cujusquam successorum meorum contradictione liceat supradictæ congregationi sancti Martini Majoris-Monasterii, suisque successoribus cum Abbatibus, qui eis pro tempore præerunt, prædictum locum cum omnibus sibi subjectis rebus sub suæ defensionis tuitione jure perpetuo possidere: & quidquid inde agendum decreverint, potestatem habeant faciendi, ordinandi, & qualitercumque eis placuerit, meliusque visum fuerit, disponendi, tam præsentibus quàm futuris temporibus.

Et ut hoc nostræ eleemosynæ testamentum per cuncta annorum curricula vigorem perpetuitatis obtinendo, ab omnibus credatur atque diligentiùs conservetur, HENRICUS divina ordinante providentia Rex Francorum Augustus per nostram deprecationem sua

Digitized by Google

actione firmavit, & suæ dignitatis sigillo consignare fecit, necnon & fidelibus suis, quorum nomina subscripta sunt, corroborandum tradidit. Si quis autem, quod absit, ex heredibus nostris, vel alia quælibet cujuscumque ordinis aut potestatis persona, diabolicæ suggestionis instinctu hujus eleemosynæ testamento inferre calumniam temtaverit, & pravæ voluntatis effectum justitiæ convictus obtinere non valeat, & Regi, qui pro tempore fuerit, auri libras decem coactus exsolvat. Signum gloriosissimi Regis HENRICI. S. ALMARICI. S. SYMONIS filii ejus. S. MAMERII filii ejus. S. THEOBALDI Comitis. S. ODONIS fratris Regis. S. GALERANI Comitis. S. Nescelini * Parisiacæ urbis Episcopi. S. GUAZONIS de Drocis. S. NIVARDI de Monteforti. S. HERVEI de Galerdone. S. AINSGODI. S. GALTERII de Vileta. S. RADULFI de Vachereta. S. ROBERTI Clerici. Data anno vicesimo primo, regnante Henrico gloriosissimo Rege, Indictione III. Actum apud Stampas Logias.

* Neselin

ARBERTUS, & uxor ejus, & filius ineunt societatem cum Monachis S. Andreæ Vienn. ut piorum operum ipsorum participes fiant.

Ex chartul. S. Andreæ Viennensi tribuit D. d'Herouval.

XXV. EGO ARBERTUS Miles filius WILBODI, & uxor mea nomine AY, & filius meus PETRUS, accepimus societatem corporis & animæ in Monasterio sancti Andreæ, intra mœnia Viennæ urbis posito, sub præsentia Abbatis HUMBERTI, & ut partem habere possimus in sacris, & in omnibus benefactis quæ fiunt in Monasterio, & in omnibus membris ejus; & ut inter socios sanctæ Congregationis numerari possimus, donamus prædicto Monasterio, & habitatoribus ejus unam vineam nostræ hereditatis sitam in pago Gratianopolitano, in villa Albiniaco, & in Parochia sancti Johannis. Et ut firma & stabilis sit nostra dona-

An Chr. circ. 1081.

Digitized by Google

tio, corroboramus hanc per manum & laudationem domini GUTTFREDI & NANTELMI filii ejus, & fratris mei ODONIS.

Ex chartul. S. Andreæ Vien. à D. d'Herouval communicato.

EMMO & ISABELLA *conferunt plura bona Monasterio S. Andreæ Vienn. ob filii susceptionem in Monachum.*

An. Chr. 1082.

XXVI. ANNO dominicæ Incarnationis millesimo LXXXII. Ego EMMO, & uxor mea nomine ELISABET, & filii mei Nantelmus, Ugo, Petrus, Emmo, donamus filium meum Richardum Monasterio sancti Andreæ intra mœnia urbis Viennæ posito, & cum filio ipso donamus per manum, & laudationem Domni Guttfredi & Nantelmi filii ejus Monasterio supramemorato, & HUMBERTO Abbati & Monachis ejus, & omnibus Monachis futuris inibi mansuris, quartam partem Ecclesiæ matris in honore Petri Apostoli sacratæ cum his appendiciis, videlicet cum quarta parte oblationum altaris, & cum quarta parte cimiterii, & cum quarta parte decimarum, de milio videlicet & panicio, & omni legumine & cannabe, & de omnibus bestiis, & de cunctis primitiis, excipiuntur decimæ frumenti, siliginis & avenæ. Similiter donamus quartam partem de Capella, quæ est in castro Mediolano, & de Capella quæ est in Burgo sito sub eodem castro. Donamus præterea universas decimas mei alodii, ubicumque fuerit. Similiter donamus medietatem decimarum in omni hereditate, quam non pro alodio, sed pro beneficio habemus. Similiter donamus eidem Ecclesiæ quatuor modios vini purissimi ex decimis matris Ecclesiæ supradictæ. Insuper donamus campum situm sub Burgo, qui subjacet castro Mediolano, & nunc plantatur vineis. Nos autem per quatuor modios vini supradictos, & per campum supradictum, accepimus XX. solidos denariorum ab HUMBERTO Abbate sancti Andreæ, & tece-

ptum filii mei RICARDI & vestimentum. Scripta per manum BORNONIS Monachi, in Mense Januario, Luna sexta in Kalendario.

MARBODUS *Redonensis Episcopus respondet* HILDEBERTO *Cenoman. Episc. qui illum consuluerat de viro à quo uxor debitum tori postulabat, licèt ipse votum Monasticæ vitæ consensu ejus emisisset.*

Dedit D. d'Herouval ex MS. cod. S. Albini Andegav.

An. Chr. circ. 1098.

XXVII. M. Dei gratiâ venerabilis Redonensis Episcopus, atque V V. Archidiacon. I. Cenomanensi Episcopo salutem. De muliere quæ decumbenti viro, atque postulanti habitum Monachi non solùm præstitit assensum, sed etiam voto continentiæ oblato, ipsa eum tradidit tonsurandum, nunc autem facti pœnitens, eumdem ad debitum tori postulat reverti; nihil aliud nobis videtur, quàm quòd Augustinus sic ad Ecdicium scribens ait: Quod Domino " pari consensu ambo voveratis, perseverantes usque in " finem reddere debuistis, à quo proposito si lapsus ille " est, tu saltem constantissimè persevera: quod te non " exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipsum consenserat; " nam si numquam tenuisses ejus assensum, numerus te " nullus defendisset annorum. Sanè quòd mulier suam " tuetur causam, scilicet quòd per ministros Ecclesiæ, nec assensum viro dederit, nec promiserit castitatem, ei ad rescindendum continentiæ votum non intelligo suffragari: licèt si per eos fieret, ordinatiùs factum diceretur. Et hoc beatitudini vestræ scripsi, in eorum sententiam sine disceptatione transiturus, quibus id quod melius est, Dominus revelabit. Vale.

Digitized by Google

D. d'Herouval eruit.

PHILIPPUS I. *Rex Francorum jubet bona Episcoporum Carnutensium defunctorum intacta servari.*

An. Chr. 1105.

XXVIII. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex. Notum fieri volumus universis in Regno Francorum per futura tempora successuris, quòd Domnus IVO sanctæ Carnotensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus humili devotione celsitudinem nostræ serenitatis adierit, obnixè deprecans, ut pravam consuetudinem in domibus Episcopalibus ejusdem Ecclesiæ à Comite HENRICO cognomine STEPHANO, & ADELA uxore ejus, concessione filiorum suorum WILLELMI, THEOBALDI, ODONIS, STEPHANI, remissam & libertatem prædictis domibus & rebus in eisdem collectis à prædictis Comitibus donatam concederemus, & nostra pragmatica sanctione firmaremus.

Cujus pio desiderio assentientes, & æquissimæ postulationi aurem inclinantes, secundùm tenorem scripti, quod de prædictis rebus prætaxati Comites fieri decreverunt, nostræ majestatis auctoritate res prætaxatas à prava consuetudine liberamus, domum scilicet, & domus ejusdem ferrum, plumbum, vitrum, lignum, lapides, ceteramque supellectilem, scilicet tabulas, scamna, scabella, vasa vinaria, lectos, necnon coquinas & horrea, granaria, cellaria, torcularia, furnos, furnorumque domos, sive in urbe, sive extra urbem, silvas ut non vendantur, nec succidantur, nec dentur; annonam quoque, vinum, fenum, oves, & boves, & cetera animalia, omniaque reliqua mobilia, quæ congregata, vel collecta fuerint, sive in urbe, sive extra urbem, ante obitum, vel discessum Episcopi cujuslibet, intacta manere firmamus: illis profutura, quibus Episcopus reservare, vel donare, seu per se, seu per œconomum suum decre-

decreverit, ut majores personæ Ecclesiæ, si id Episcopo aliqua occasione prævento facere non licuerit. Concedimus etiam ut exactio, quæ defunctis Episcopis, vel discedentibus fieri solet in servientes Episcopi vel rusticos, de cetero numquam fiat.

Hæc omnia sicut à prædictis Comitibus concessum est & firmatum, & nos, ut prædictum est, concedimus, & per pragmaticam sanctionem nostram firmamus testificante * charactere nostri nominis, & sigillo nostræ Majestatis. PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex. Actum & confirmatum Paris. anno Dominicæ Incarnationis M. C. V. anno verò regni nostri XLVI.

* testificato

1105.

Ejusdem argumenti.

Eruit D. d'Herouval.

PASCHALIS II. *Litteræ ad Canonicos Ecclesiæ Carnotensis.*

XXIX. PASCHALIS Episcopus, serv. serv. Dei, Carnot. Capituli Clericis salutem & Apost. benedict. Quoniam pravas consuetudines in domibus & rebus Carnotensis Episcopi defuncti vel depositi, Comites quondam Carnotenses habuerunt, vestra memoria recognoscit: fratris autem nostri IVONIS Carnot. Episcopi labore & industria ab egregio Comite STEPHANO, sicut scitis, impetratum est, ut easdem consuetudines abdicaret. Nos autem ne quis ulteriùs eadem præsumat, decreti nostri pagina interdiximus. Nunc vestram sollicitudinem præmonemus, & monentes præcipimus, ut si fortè aliqui Carnotensium Comitum, vel Ministrorum eorumdem aliquando cupida temeritate, & temeraria cupiditate libertatem à Comite concessam à nobis confirmatam infregerint, tamquam Ecclesiastici juris sacrilegi pervasores à vobis vel successoribus vestris excommunicentur, & eis Ecclesiæ tam civiles quàm suburbanæ usque ad satisfactionem claudantur.

Digitized by Google

Addimus etiam, ut si Episcopus amittendi Episcopatum timore, vel electus in Episcopum, acquirendi ambitione, illius sacrilegii patratores absque satisfactione absolverit vel supportaverit, tamquam sacrilegii particeps & Episcopatûs emptor, abdicetur. Novis siquidem moribus novum convenit antidotum adhiberi, & Ecclesiæ salutem modis omnibus conservari. Datum Laterani VII. Kal. Aprilis.

Communicavit D. d'Herouval.

FUNDATIO *Abbatiæ SS. Trinitatis in Novoburgo à* GUILLELMO *Comite facta pro Sanctimonialibus.*

An. Chr. cir. 1005.

XXX. ANNO ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinto, ego GUILLELMUS Comes Morotenii, filius ROBERTI, qui fuit frater GUILLELMI Regis Anglorum, construxi Abbatiam Sanctimonialium in honore sanctæ Trinitatis in Novoburgo Moreton. adjuvante fratre Vitali, tunc temporis Abbate Savigniac. existente; cui Abbati de possessionibus meis dedi ad opus Dei ministratum, videlicet pro anima mea & animabus dominorum meorum Regum Anglorum & Principum Normanorum, & omnium amicorum meorum, tam vivorum quàm defunctorum, & omnium fidelium Christianorum, in puram & perpetuam eleemosynam omnino liberam & quietam, & ab omni exactione sæculari penitus absolutam. In primis totum dominicum & dominium meum, & quidquid habebam inter Canciam & Canciolam, & in telonio, in molendinis, & in firmis, & in feria, & Ecclesiam sancti Hilarii cum omnibus Ecclesiasticis eidem Ecclesiæ pertinentibus, quam habebat sanctus Ebrulfus. Et pro excambio sancti Hilarii, ego Comes dedi sancto Ebrulfo Ecclesiam de Mrauda * cum feodo Presbyteri, sicut de me tenebat, & totam feriam de Juvigney. Et pro quatuor masuris, quas habebat san-

* *vel* Jurauda, *&* Inrauda

ctus Ebrulfus in Novoburgo , ego Comes excambiavi Roberto Matriculario ; & pro tribus maſuris , quas Robertus filius Giraldi habebat in Novoburgo , in excambio habet Rainaldum Fulvum. HARNULFUS Vicecomes dedit duas maſuras pro anima ſua. MILO Camerarius duas, unam dedit, & alteram excambiavit. GUIDO de Landeni dedit tres. ROBERTUS Pincerna tres, & unam ſanctus Ebrulfus in communi, quam dederunt Canonici. Rogerus filius Theoderici unam, & terram Engenulfi, quam tenuit in Novoburgo. Et Robertus filius Giraldi vineam , quam ibi habebat, & quidquid per partes. · . · . · . · quæ quicumque ibi habebat , quidquam totum datum eſt Eccleſiæ ſanctæ Trinitatis.

In Anglia verò dedi ego Comes GUILLERMUS decem libratas terræ in Chevenih , & in Conſtantino in parochia de Appevilla, in Balteſio dominicum meum quod habebam apud Mudelunde, cum medietate mareſcorum, & unam piſcinariam anguillarum , & . · . · . terram trium carrucarum, & terram Tirpet, & apud Temchebraïnum unam medietariam, & in foreſta boſcum ad ignem, & ad ædificia Eccleſiæ, & omnium domorum ſuarum, & paſnagium in foreſta, & herbam, & fulgeriam*, & juncos ad falcandum, & omnia neceſſaria ſua, ſicut ego Comes habeo, Eccleſiæ hominibus mortuum boſcum ad neceſſaria & quitanciam in omni terra mea. HUGO de Pontivis dedit in Surda-valle feodum de ſuſpenſis , totum concedente me Comite RICHARDO de Eſtra , totam terram quam habuit mater ſua in Surda-valle. Adam de mala herba dedit ſeptem maſuras ſuper pontem de Egrania. ROBERTUS filius Oberni in Rufa vetula ſexaginta acras terræ, & in Montefauciello decem acras. LODEFIODUS* de Sageyo ſuam medietariam de Bello-monte.

* id eſt, filicem, *fougere*

*f. Lodefridus

Et ita ego Guillermus Comes antedictus, fundator Abbatiæ memoratæ, dedi & conceſſi donationes Baronum meorum , & aliorum hominum meorum factas Abbatiæ & Monialibus ibidem Deo ſervientibus , quidquid habebam in dominio , & in dominico in Bur-

Digitized by Google

go-novo & omnibus aliis locis in charta contentis, quod nihil mihi & heredibus meis omnino retinui præter denarium in die feriæ meæ, & panagium forestæ meæ de hominibus Ecclesiæ, & retributionem divinam, cùm omnibus pertinentiis suis in terris, in Ecclesiis, in decimis, in bosco & plano, in pratis & pascuis, in viis & semitis, in aquis, in molendinis, in vivariis & piscariis, & in omnibus aliis locis & aliis rebus ad illas pertinentibus, tam ex donatione mea, quàm aliorum donatorum, in puram & perpetuam eleemosynam penitus liberam & quietam, bene & in pace, liberè & quietè, plenariè & integrè, & honorificè cum omnibus libertatibus & liberis & consuetudinibus suis. Et volo & concedo Monialibus antedictis, quòd possint ædificare, construere domos, furnos, stagna, molendina ad aquam & ad ventum, & omnia alia ædificia ad habitandum, & ad utilitatem Abbatiæ necessaria in omnibus locis à me Comite & ab aliis hominibus meis datis & concessis in Episcopatu Ebruicensi, Constantiensi, Bajocensi, bona Ecclesiæ augmentando: & prohibeo ne eis vel hominibus suis vel rebus suis injuria vel contumelia fiat, vel fieri permittatur, quæ ipsæ & omnia sua sunt in manu & custodia & protectione mea.

Concessit D. d'Herouval.

Confirmatio, seu renovatio cujusdam privilegii antiqui, olim Abbati & Conventui Monasterii Cluniacensis per inclytæ memoriæ LUDOVICUM * *Regem Francorum concessi.*

* sextum

An Chr. 1119. confirmatum an. 1312.

XXXI. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. PH. Dei gratiâ Francorum Rex inter ceteras curarum fluctuationes, quibus nostra sollicitudo distrahitur, progenitorum nostrorum facta magnifica cunctis manifesta fidelibus ante nostræ considerationis oculos revocamus, qui cunctos undique rebel-

les & inimicos in brachii sui fortitudine conterentes in immensum regni sui fines & gloriam dilatarunt, quod eis à Majestate divina concessum esse credimus ob sanctæ devotionis affectum, quem ad sanctas Dei Ecclesias, Ecclesiarumque ministros & servos Dei continuatis temporibus habuisse noscuntur. Etenim sicut nostra tenet fiducia, ille qui in altis habitat, respicit, qui Regibus dat salutem, beneficia & caritatis opera, qui à viris magnificis suis sanctis Ecclesiis & servis in ejus nomine liberaliter impendi considerat, sibi impensa testatur, & benefactores ipsos juxta suæ dispositionis libram gloria remunerat & honore. Exhibuerunt siquidem nobis Religiosi viri dilecti nostri Abbas & Conventus Monasterii Cluniacensis quoddam antiquum privilegium sibi & suo Monasterio per inclytæ memoriæ LUDOVICUM Regem Francorum prædecessorem nostrum concessum, cujus tenor sequitur in hæc verba: In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen.

Ego LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex. Notum fieri volumus cunctis fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, quòd nos pro salute nostra & stabilitate Regni nostri ad preces Archiepiscoporum, Episcoporum & Principum Regni nostri, Monasterium Cluniacense nobilius membrum Regni nostri, cum omnibus Prioratibus, possessionibus & pertinentiis suis in Regno nostro constitutis, in nostra & successorum nostrorum Regum Francorum defensione, garda & tutela recipimus. Et quia certum est quòd singuli Prioratus ad Abbatem & Monasterium Cluniacense pertinentes, per Abbates Cluniacenses acquisiti sunt, & eis dati ad suam & Monachorum suorum, & pauperum Christi sustentationem, & quod à fundatione Ordinis Cluniacensis est observatum, quòd Abbas Cluniacensis Prioratus suos committit regendos & custodiendos, sicut rem suam propriam, cuicumque voluerit de suis Monachis, sine aliqua distinctione, electione, vel certæ personæ requisitione, vel nominatione, & eosdem removet, quando sibi bonum videtur & utile. Ideo ad tanti gregis do-

Digitized by Google

minici unitatem sub potestate & dominio & obedientia Abbatis & Monasterii Cluniacensis regendam perpetuò, ad requisitionem Abbatis & Conventus Cluniacensis, & ad preces Priorum & Monachorum Prioratuum Cluniacensium, nomina Prioratuum in quibus Abbas Cluniacensis habet & exercet supradicta ad suam voluntatem præsentibus litteris inseri fecimus.

Sunt autem hæc nomina: videlicet Prioratus beatæ MARIÆ de Caritate super Ligerim, quem GAUFRIDUS Autissiodorensis Episcopus, & GUILLELMUS Comes Nivernensis, & BERNARDUS de *Chailant*, & alii fideles nostri Regni, ad quos locus ille de Caritate cum villa & pertinentiis suis omnibus in spiritualibus & temporalibus totaliter pertinebat, HUGONI Abbati, & Monasterio Cluniacensi & eorum successoribus dederunt & concesserunt absque ulla retentione per se & Monachos suos professos omni tempore habendum, tenendum & possidendum. Prioratus sancti Martini de Campis Parisiis, & alii Prioratus, qui sequuntur: videlicet de Lehuno, de Monte-desiderio, de Abbatis-villa, de Crispeio, de Nantolio, de Antolio, de Grandicampo, de beata Margareta, de Consiaco, de Gaya, de Vendopera, de Turribus super Matronam, de sancto Theobaldo, de sancta Margareta, de Floriaco, de Vergeio, de Troaudo, de Magobrio, de Longoponte, de Nongento, de Gaziencuria, de Pewert, de Ponte Monachorum, de Prato juxta Douziacum, de sancto Stephano Nivernensi, de sancto Salvatore Nivernensi, de sancto Reveriano, de Luperciaco, de Borbonio, de Paredo, de Amberta, de Caro-loco, de Marcigniaco, quem Hugo Abbas Cluniacensis fundavit in patrimonio suo: de Rumiliaco, de Wasto, de Bugisent, de Domna Petra, de Silviniaco, de Rivis, de Celsiniis, de Volta, de sancto Floro, de portu sancti Saturnini Prioratus.

Statuimus insuper, & concedimus & promittimus, quòd nos & successores nostri Reges Francorum tenemur Abbates qui pro tempore fuerint, & eorum suc-

Digitized by Google

cessores, & Monasterium Cluniacense, & Prioratus prædictos manutenere, defendere & custodire, sicut res proprias, & ipsis Abbati & Monachis Cluniacensibus garantizare cum omnibus bonis & rebus suis in Regno positis, vim & violentiam removere, damna & injurias à quocumque inferantur, facere emendari, promittimus & tenemur pro nobis & successoribus nostris Regibus Francorum, quotiens nos vel successores nostri Reges Francorum per Abbatem & Conventum Cluniacensem fuerimus requisiti. Fortalicia autem castra & munitiones propter necessitates & defensiones Coronæ Regni Franciæ publicè faciendas, in manu Coronæ Francorum habebimus, Abbate & Conventu Cluniacensi priùs requisitis. Prædicta autem aliquo casu extra manum & Coronam Regni Francorum non poterunt ad aliquam aliam personam aliquo modo transferri sive pervenire. Adstantibus in Palatio nostro his, quorum subtitulata sunt nomina, facta sunt hæc, videlicet GUILLELMO Dapifero, GISLEBERTO Buticulario, HUGONE Constabulario, GUIDONE Camerario.

Ut autem hæc memoriæ traderentur, scripto commendavimus, & sigilli nostri auctoritate, & nominis nostri impressione, ne à posteris infirmari posset, vel infringi, corroboravimus. Actum publicè Aurelianis, anno Incarnati Verbi millesimo centesimo nonodecimo, regni nostri undecimo. S. GUILLELMI Dapiferi. S. GISLEBERTI Buticularii. S. HUGONIS Constabularii. S. GUIDONIS Camerarii. Data per manum STEPHANI Cancellarii.

1119.

Supplicantes humiliter, ut privilegium ipsum, & contenta in eo divinæ pietatis intuitu pro eorum tranquillitate & pace servandis, approbare & conservare vellemus. Nos igitur Religiosorum ipsorum conversationem laudabilem, regulariumque disciplinarum strictam observantiam, quibus apud Deum & homines florere mirificè prædicantur, affligentes corpora, & in servitutem redigentes obedientiæ, mundi rejectis oblectationibus, carnem spiritui servire compellunt; eximiæque devo-

tionis sinceritatem, quam ipsos & eorum prædecessores ad nostros habuisse & præsentes ad nos habere novimus, attendentes, eorum devotis supplicationibus inclinati suprascriptum privilegium & contenta in eo, quatenus de eis usi sunt, ob nostræ progenitorum nostrorum prædictorum recolendæque memoriæ JOHANNÆ Dei gratiâ Francorum & Navarræ Reginæ quondam consortis nostræ carissimæ, animarum remedium & salutem, approbamus tenore præsentium & auctoritate nostra Regia confirmamus, ut omnibus semotis perturbationibus, & molestationibus propulsatis, eorumque personis & rebus sub nostro protectionis clypeo in quiete manentibus, divinis mysteriis liberiùs insistere valeant & vacare: non intendentes tamen per hujusmodi nostram confirmationem memoratis Religiosis in proprietate vel possessione contra quemcumque jus aliquod novum acquiri, nobisve, aut quibusvis aliis præjudicium aliquod generari. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri munimine & regalis charactere nominis inferiùs designato, fecimus communiri.

1312. Actum Viennæ anno Incarnati Verbi millesimo trecentesimo duodecimo, regni verò nostri vicesimo septimo, mense Martio. Adstantibus in Palatio nostro, quorum nomina supposita sunt & signa, Dapifero nullo. S. GUIDONIS Buticularii. S. LUDOVICI Camerarii. S. GALCHERI Constabularii. Data vacante Cancellaria.

Ex MS. Eccl. Carnot. concessit D. d'Herouval.

A GAUFRIDO *Episcopo Carnot. Licentia Canonicis concessa eligendi Decani.*

An. Chr. circ. 1125.

XXXII. EGO GAUFRIDUS Dei gratiâ Carnotensis Ecclesiæ humilis minister, notum fieri volo tam futuris quàm præsentibus, quòd Clericis Ecclesiæ nostræ unanimiter sæpe reclamantibus proprium jus, quod in eligendo sibi Decano sese habere dicebant,

Digitized by Google

dicebant, tandem intuitu fraternæ pacis, necnon amore & gratia ipsorum, nullam eis injuriam seu violentiam inferre volens, concessi eis, ut liberam & canonicam electionem Decani absque impedimento & calumnia de cetero habeant. Et ut hæc mea concessio ab hac hora in antea firma & stabilis maneat ad notitiam posterorum, præsens scriptum inde fieri, & sigilli mei munimine roborari præcepi.

Institutio Canonicorum Regularium in Abbatia sancti Martini Sparnacensis à THEOBALDO *Comite Campaniæ.*

XXXIII. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego THEOBALDUS Dei dispositione Comes Palatinus, pernecessarium duxi notum fieri tam præsentibus quàm futuris Ecclesiæ Catholicæ filiis, quòd divina inspiratione commonitus, Sparnacensem Ecclesiam à prædecessoribus meis fundatam & ornatam, jure hereditario ab ipsis mihi derelictam, in. . . voluntati meæ obnox. . . . mei esset jux. . . . . consuetudinem. . . . . nave Abbatiam Episcopo domino Regularibus. . . . . perpetuò omnium Domino servituris: cùm enim secundùm pristinum morem prædictam Abbatiam WALERAMNO venerabili Andreæ Dapiferi mei filio tradidissem, incommutabili voluntati Dei, qui omnia mutat, quando vult & quomodo vult, eadem Ecclesia ad meliorem statum taliter est mutata: præfatus namque Waleramnus Spiritus sancti gratiâ inflammatus, & Domni Bernardi Abbatis Clarævallis salutari consilio roboratus meipsum adiit, seseque sæculo abrenuntiaturum, & apud Claramvallem Monachum futurum enuntiavit, utque ad ordinem & regulam beati Augustini Sparnacensem Ecclesiam commutari concederem devotissimè postulavit; cujus petitioni tam piæ ac rationabili libenter annuens, Deo Regularibusque

Ab. Chr. 1127.

Digitized by Google

Canonicis Ecclesiam ipsam ab omni ditionis meæ & successorum meorum exactione liberam funditus, & sub regula sancti Augustini in perpetuum permansuram dimisi; ita ut libera sit facultas Regularibus Abbatem sibi eligere, electum Archiepiscopo ad consecrandum præsentare, à quo totius Ecclesiæ curam suscipere, cui soli dumtaxat, & de actionibus suis Ecclesiæque negotiis respondere, cujus & Concilia debebit frequentare; communicato itaque cum religiosis viris consilio Abbate Clarævallis, GUIDONE venerabili Monacho, fratre Abbatis, & cum Abbatibus Canonicorum URSIONE sancti Dionysii, & EUSTACHIO omnium Sanctorum, personam ad regimen Sparnacensis Ecclesiæ satis idoneam communi assensu Canonicorum Sparnacensium elegimus, Domnum videlicet FULCONEM * Tullensis Monasterii Canonicum Regularem, quem per litteras nostras ab Abbate suo bonæ memoriæ SCHERO, necnon à Capitulo, sicuti ordo poscebat, requisivimus, & Deo volente, canonicè requisitum habuimus. Abbas itaque electus diebus sacris Pentecostes Sparnacum ante præsentiam nostram nonnullorumque Abbatum, præsentibusque Sparnaci Canonicis adductus, ipsisque ac omni collaudante collegio ipsius Abbatiæ, nostra voluntate & assensu secundùm præscriptam libertatem compos effectus: eisdemque denique diebus gratia Spiritus sancti cooperante, astantibus Abbatibus, necnon Ecclesiæ Remensis Canonicis, ante altare Virginis perpetuæ benedictus, curâ Sparnacensis Ecclesiæ juxta pristinum tenorem in exterioribus atque interioribus ab Archiepiscopo, cui soli profectò erit responsurus, canonicè est investitus, salva, ut decet, ejus reverentia in omnibus. Hoc igitur opus bonum à Deo dispositum, & à nobis eo auxiliante peractum, ego ut in perpetuum ratum foret, sigilli mei impressione firmavi. Actum Dominicæ Incarnationis anno MCXXVII. concurrente V. Indict. IV. Epacta sexta.

* *ad quem S. Bern. scripsit epistolam 98. de Machabæis.*

Digitized by Google

Charta RAINALDI II. *Remensis Archiepiscopi, de eadem institutione.*

XXXIV. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego RAINALDUS Dei miseratione Remorum Archiepiscopus, pernecessarium duxi notum fieri omnibus Ecclesiæ Catholicæ filiis tam præsentibus quàm futuris, quòd illustris Comes THEOBALDUS divina, ut credimus, inspiratione compunctus Sparnacensem Ecclesiam ob remedium animæ suæ, necnon & prædecessorum suorum, STEPHANI videlicet patris sui, & avi sui Comitis THEOBALDI, qui in eadem Ecclesia sepultus est, in manu nostra hujusmodi libertate donavit, cùm prædictus Comes THEOBALDUS præfatam Ecclesiam à progenitoribus suis quasi hereditario jure sibi derelictam teneret, & Abbatiam Ecclesiæ suæ WALERAMNO domini ANDREÆ Dapiferi sui filio dedisset, incommutabili voluntati Dei, qui mutat omnia, quando vult & quomodo vult, eadem Ecclesia ad meliorem statum mutata est: præfatus namque Waleramnus, Spiritus sancti gratiâ divinitus inspiratus, & Domni BERNARDI Abbatis Clarævallis prudenti consilio roboratus, jam dictum Comitem adiit, sese sæculo abrenuntiaturum, & apud Claramvallem Monachum futurum enuntiavit, petivitque ab eo, quatenus Ecclesiam Sparnacensem ad ordinem & regulam beati Augustini per manum nostram permutari concederet: cujus petitioni satis rationabili Comes sæpedictus libenter annuens, Deo & nobis Ecclesiam supradictam liberam, & sub regula sancti Augustini in perpetuum permansuram dimisit.

An. Chr. 1128.

Nos itaque, qui auctore Deo eidem Ecclesiæ Metropolitana auctoritate præsidemus, communicato cum religiosis viris consilio, Episcopo scilicet Suessionensi JOSLENO, & JOFFRIDO Abbate sancti Medardi, Abbate quoque Clarævallis BERNARDO, GUI-

Digitized by Google

DONE fratre Abbatis, & cum Abbatibus Canonicorum URSIONE sancti Dionysii, & EUSTACHIO Omnium Sanctorum, personam ad regimen Sparnacensis Ecclesiæ satis idoneam communi assensu Canonicorum Sparnacensium elegimus, videlicet dominum FULCONEM Tullensis Monasterii Canonicum Regularem, quem per litteras nostras, & Comitis Theobaldi ab Abbate suo bonæ memoriæ SCHERO, necnon & à Capitulo, sicut ordo poscebat, requisivimus, & Deo volente, canonicè requisitum habuimus, Abbasque electus diebus sacris Pentecostes in Capitulum Ecclesiæ Remensis ante præsentiam nostram, nonnullorumque Abbatum, toto assistente Capitulo, præsentibusque Canonicis Sparnaci adductus, de Abbatia à nobis collaudante omni Collegio regulariter est investitus; ita tamen quòd Canonici qui tunc temporis in Ecclesia Sparnacensi erant, quamdiu viverent præbendas suas tenerent. Eadem deinde die prædictum fratrem, gratia Spiritus sancti cooperante, assistentibus Abbatibus & Canonicis nostris, ante altare perpetuæ Virginis benediximus, & benedicto curam Sparnacensis Ecclesiæ juxta antiquum tenorem in exterioribus & interioribus nobis dumtaxat responsuro commisimus, salva Remensis Ecclesiæ, ut decet, in omnibus reverentia & jure. Hoc igitur opus bonum à Deo dispositum & à nobis eo auxiliante peractum, ego & Comes prædictus, ut in perpetuum ratum foret, sigillorum nostrorum impressione firmavimus. Siquis autem hujus nostræ institutionis tenorem violare præsumserit, Redemtoris nostri ac beatissimæ Genitricis ejus MARIÆ, beatorumque Apostolorum Petri & Pauli, sanctorumque Martini, Augustini, omniumque Sanctorum ac nostra auctoritate excommunicatus, iram Dei incurrat, & nisi condignè satisfecerit, anathema maranatha fiat. Ut autem præsentis decreti pagina rata & inconvulsa in perpetuum permaneat, probabilium personarum subnotatione corroborari fecimus. Sig. Johann. Abbatis sancti Nicasii. S. GILLEBERTI Abbatis sancti Dionysii. S. ANSELMI Cisoniensis Ab-

Digitized by Google

batis. S. HUGONIS Archidiaconi. S. FREDERICI Præpositi. S. GERVASII Cantoris. S. HUGONIS Thesaurarii. S. LEONIS, BOSONIS & DROGONIS Diaconorum. S. Magistri ALBRICI. Actum Remis anno incarnati Verbi MCXXVIII. Indict. V. regnante LUDOVICO Francorum Rege anno 20. Archiepiscopatus autem domini Reginaldi III.

LUDOVICUS VI. *Rex Francorum confirmat Privilegium, quo servi Carnotensis Ecclesiæ habent in omni foro sæculari liberam potestatem testificandi, &c.*

Eruit D. d'Herouval.

XXXV. LUDOVICUS Dei misericordiâ Rex Francorum, omnibus Christi fidelibus. Cùm juxta sacratissimarum legum instituta regia potestas ex injuncto sibi officio Ecclesiarum defensioni & honori vacare plurimùm debeat, operæ pretium est eos quibus tanta permissa potestas à Deo, earum tranquillitati & paci attentiori cura sollicitudinis providere, & ad laudem Dei omnipotentis per quem Reges regnant, Ecclesias & earum res quodam honoris privilegio decorare, ut in bonis actibus & regium morem exerceant, & supernæ retributionis præmium indubitanter recipiant.

An. Chr. 1128.

Noverint igitur universi, quia fidelis noster GOFFRIDUS venerabilis Carnotensium Episcopus, & beatæ MARIÆ Carnotensis Ecclesiæ Conventus majestatis nostræ præsentiam adierunt, humiliter conquerentes & ostendentes, quatinus servi præfatæ Ecclesiæ sæcularibus personis tanto contemtui habebantur, quòd in forensibus & in civilibus causis vel placitis adversus liberos homines in testimonium nullatenus recipiebantur, & ecclesiastica mancipia sæcularibus servis ferè in nullo præferebantur. Unde res ecclesiastica ob tanti scilicet opprobrium dedecoris non solummodo vilesce-

Digitized by Google

bat, sed maximum diminutionis incommodum de die in diem incurrebat. Cognita verò prædictæ Ecclesiæ querela, moti tam ratione, quàm dilectione, necessarium duximus ab eadem Ecclesia tantum scandalum omnino removere, & Carnotensem beatæ MARIÆ illius gloriosissimæ Virginis & Reginæ Ecclesiam regio beneficio sublimare.

Ego igitur LUDOVICUS, divinâ in Regem Francorum clementiâ sublimatus, antiquam consuetudinem Carnotensis Ecclesiæ recognoscens, communi Episcoporum & Procerum nostrorum assensu & consilio, necnon & uxoris meæ ADELAIS & filii mei PHILIPPI in Regem designati, instituo & decerno, ut servi sanctæ Carnotensis Ecclesiæ, tam qui ad Episcopum, tam qui ad Canonicos pertinent, adversus omnes tam liberos quàm servos, in omnibus causis, placitis & negotiis liberam & perfectam habeant testificandi & bellandi licentiam; & nemo umquam servitutis occasionem eis opponens, in eorum testimonio ullam dare præsumat calumniam. Quòd si aliquis temeraria præsumtione illorum testimonium in aliquo refutaverit, aut calumniatus fuerit, non solùm regiæ majestatis & publicæ institutionis reus existat, sed querelam negotii sui vel placiti inrecuperabiliter amittat, ita scilicet, ut præsumtuosus calumniator de querela sua, si quærat ulteriùs, non audiatur: & si aliquid ab eo quæratur alterius querelæ, reus omnino & convictus habeatur.

Aliud etiam statuimus, ut prædictus calumniator, nisi de tanta calumniæ culpa Carnotensi Ecclesiæ satisfecerit, ad testimonium proferendum ulteriùs non admittatur. Quod ne valeat oblivione deleri, scripto commendavimus, & ne possit à posteris infirmari, sigilli auctoritate, & nominis nostri charactere subter firmavimus. Actum Parisius publicè anno M. C. XXVIII. regni nostri XX. adstantibus in palatio nostro, quorum nomina subtitulata sunt & signa. S. LUDOVICI Buticularii. S. HUGONIS Constabularii. S. ALBERICI Camerarii, Dapifero nullo.

Digitized by Google

Fundatio Abbatiæ de Miratorio * Ord. Cisterciensis.

* in Vicecomitatu Burgundiæ.

An. Chr. 1131.

XXXVI. ANNO ab Incarnatione Domini M. C. XXXI. HUMBERTUS Coloniacensis construxit Abbatiam, quæ Miratorium dicitur, in Archiepiscopatu Lugdunensi, tempore Domini PETRI Archiepiscopi, & WILLELMI Comitis Matisconensis, à quo terram eamdem tenebat, deditque fratribus ibidem Deo servientibus consensu & concessu uxoris & filiorum suorum GUIRRICI, HUMBERTI & WILLELMI Comitis, omnem terram quam ibi habebat, & nemus eidem terræ contiguum, quod Bileium dicitur. Concessit etiam quidquid Miratorienses Monachi ab ejus hominibus quoquo loco, vel quolibet modo possent acquirere, necnon & per omnem terram suam pascua & nemora eorumdem usui necessaria.

Hujus rei testes sunt RAINALDUS de Cusiaco, MILO de Bello-forti, AIMO Lumb. de Cusello, GUIDO Bardulfus. Dedit etiam terram apud Gisiacum, in qua fratres prædicti vineam ædificaverunt, & partim ab hominibus ejus ipso adjuvante emerunt, videlicet à Girino, & ab Aimone & fratribus suis de septem Chavannis, & à Widone Mareschaldo filiis suis. Quam venditionem Girini ipso eunte Jerusalem nepotes sui laudaverunt, videlicet Lambertus, & Aimo, & Wido, & Willelmus, & Bernardus pater eorum. Dedit iterum terram de Linisiaco eisdem fratribus, teste Humberto de To ia & Girardo de Chavannis: similiter & Colongiam unam in Nauns, quæ erat Dalmavaco de Vareiaco, laudante uxore sua & filiis suis, Guidone videlicet, atque Dalmatio & Bernardo.

Tempore verò procedente Domnus Guirricus prædicti Humberti filius, anno M. C. LVI. cumbam Osscii, & omnem terram prædictæ cumbæ circumquaque adjacentem fratribus prædictis pro C. solidis vendidit, lau-

1156.

dante Humberto fratre suo, cujus termini sunt à via Lisiniaci, quæ dicitur via Perlessar, Willelmi Asterii, usque ad terminum campi Guidonis Titelli à parte australi, quæ dedit Deo & Fratribus Miratorii, & habuit inde duos solidos & dimidium, & à termino illo per juxta campum usque ad crossam Vongeii, & à crossa illa usque ad terminum Bellofortis & Calendiniaci. Testes sunt Gauterius de Castello Reinaldi, Aimo Major de Minceio, & David Præpositus. Hoc idem concesserunt homines, qui ab eo terram illam tenebant, videlicet Guido Sacerdos, & fratres ejus Stephanus & Petrus, Stephanus Sacerdos de septem Cavannis, & fratres ejus Aimo & Arcux, Aimo eorum avunculus, Girinus & nepotes sui, videlicet Lambertus, & Aimo, & Wido, & Willelmus, Guido Titellus, Aimo & Hugo de Forchi, David Præpositus, & Guido Malez frater suus, Hugo & Bernardus de Chisia, Hugo Bilinus & fratres ejus, Bernardus Adtedux & Stephanus frater suus. Inde testes sunt Nantelmus & Albertus Monachi, Guido & Stephanus Sacerdotes de Gisiaco, Guido Bardulfus, Aimo Lumb.

1158. Idem verò Guirricus anno ab Incarnatione Domini M. C. LVIII. erga prædictos fratres de quibusdam terris & de decimis, quas à Guidone Bardulfo, laudante & adjuvante fratre suo Humberto, adquisierunt, & maximè de cumba Osseii calumniam movit: quam calumniam fratres pacificare cupientes, per manus Willelmi Vicarii, tunc Prioris de Frontoniaco, & Rogerii fratris sui, & Pontii Vicarii, & Willelmi Caler de Coloniaco, ad diem pacis convenerunt. Quæ pax eodem anno Deo adjuvante fuit composita; videlicet terram prædictam de Osseio ad decimas prædictas, & omnia quæ ab exordio Abbatiæ à patre suo, & ab ipso, & à cunctis hominibus suis, quocumque modo possedissent, remota omni querela, Deo & beatæ MARIÆ, & Ordini Cistercii fideliter dedit & concessit, & fratres dederunt ei trecentos solidos & unum palafredum ferrant. Cujus rei testes sunt Guido Abbas, Symon Monachus,

Digitized by Google

nachus, Willelmus Vicarius, Rogerius Vicarius frater suus, Pontius Vicarius, Willelmus Calers, qui fuerunt accordatores, Hugo de Loco-nacto; Humbertus de Trina, Hugo Bastardus frater G. Eschafis famulus Guillelmi, Richardus de Caponerest. Tetardus de Cosantia, qui postea veniens in Capitulo Miratorii hoc idem præsentibus Fratribus laudavit, firmamque pacem in perpetuum tenere promisit: deinde sacramento confirmavit, quòd si ipse vel quisquam suorum super his injuriam faceret, vel de substantia Fratrum aliquid auferret, si infra septem dierum spatium, ex quo Conventus fuerit ab Abbate, vel ab aliquo suorum non restitueretur, in uno castrorum suorum, scilicet in Cabrello, vel in Andalost maneret, nec inde exiret, quousque damnum ex integro persolveretur. Hujus rei testes sunt Conventus Monachorum & Conversorum ibidem præsentium, & Guido de Mugnet Prior Gignaci, Jocerannus de Vogneio Monachus suus, Pontius Vicarius, Petrus Præpositus de Gigniaco, & Reinardus famulus Prioris, & David Præpositus de Gisiaco. Et ut hoc ipsum ratum haberetur, jussit hanc chartam facere, & sigillo Domni Eraclii Lugdunensis Archiepiscopi, Apostolicæ Sedis Legati, & Stephani atque Girardi Comitum, & suo proprio confirmare.

HUGO *Episcopus Autissiodorensis complurium decimas Ecclesiarum suis Canonicis concedit, ea conditione, ut tota Quadragesima communiter comedant.*

Eruit D. d'Herouval.

XXXVII. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, res gestas memoriæ tradere, chartarumque testimonio confirmare, legum sancit auctoritas, magnaque mortalibus esse videtur utilitas. Unde ego HUGO Autissiodorensis Ecclesiæ Episcopus notum fieri volo, chartæque hujus testimonio confirmo, quòd fratres nostri, Canonici videlicet S. Stephani, ad me venerunt; & ut eis decimas Ausiaci & quatuor Ecclesias,

An. Chr. 1136.

Digitized by Google

Ecclesiam videlicet Basernæ, & Ecclesiam S. Prisci, & Ecclesiam Montiniaci, & Ecclesiam Vendonsæ donarem, me rogaverunt. Ego autem petitioni eorum diligenter acquievi, & prædictas decimas & Ecclesias perpetua possessione habendas salvo jure Episcopali eis donavi, ea quidem conditione, ut per singulos annos tota Quadragesima in refectorio communiter comedant, ut & ipsi & volunt & petunt. Et ego concedo, ut eorum perpetua sit hujusmodi possessio, sic & ego & volo, & præcipio, & ipsi concedunt, ut perpetua sit prædicta conditio. Si verò sine legali essonio dimittatur, omnia ad Episcopum revertantur. Hujus autem rei petitores & concessores fuerunt ULGERIUS Præpositus, JOCELINUS Decanus, STEPHANUS Thesaurarius, ATO Archipresbyter, HUGO Presbyter, JOHANNES Presbyter, & alter HUGO Presbyter, & alii Presbyteri. De Diaconibus GAUFRIDUS, SABARICUS, RODULFUS, ATO, & alii Diacones. De Subdiaconibus *Rainaldus*, *Anselmus*, *Wilelmus*, *Iterius*, & alii Subdiacones. Huic quoque petitioni & donationi adfuerunt HUGO Decanus sancti Petri, OLRICUS Prior S. Amatoris, HERVEUS Præpositus sanctæ MARIÆ. Hoc verò actum est Autissiodori in Capitulo sancti Stephani, anno ab Incarnatione Domini M. C. XXXVI. LUDOVICO Rege, WILELMO Consule, JONA Cancellario.

D. d'Herouvalerуit.

JOHANNES *Martini seipsum ac filios tradit dominio* GERARDI *Comitis Rossilionensis.*

An Chr. 1162.

XXXVIII. IN Dei nomine notum sit cunctis præsentibus & futuris, quòd ego JOHANNES Martini dono corpus meum per hominem, per me, & per omnem meam posteritatem, tibi Girardo Rossilionensi Comiti, & omni tuæ posteritati in perpetuum, & convenio tibi, ut semper stem omnibus diebus vitæ

Digitized by Google

meæ in villa de Malpas per stagem cum infantibus meis, quos ego meliùs voluero. Et si ego hoc passaverim, vel fregerim, (quod non fecissem) dono tibi & tuis in retorno omnia mea alodia, quæ habeo in termino villæ de Canomals in ajacentia sancti Salvatoris, & in termino, & in ajacentia sanctæ Eugeniæ de Labegan, vel in qualicumque alio loco habeo, vel habere debeo. Et ego JOHANNES Martini convenio tibi Girardo & tuis, quòd semper sim adjutor vester, & *Valedors* de hominibus omnibus & feminis, exceptis de dominis meis de Bergedan, de vita vestra, & de membro vestro, & de vestro honore. Et sicut superiùs scriptum est, convenio tibi, ut ita attendam, & juro ego tibi per Deum & hæc quatuor Evangelia.

Et ego GIRARDUS Rossilionensis Comes recipio te JOHANNEM Martini ad hominem, & convenio tibi per me & per meos, ut semper te manuteneam, sicut unum de meis probis hominibus, sine omni engan-no, & est manifestum. Actum est hoc x. Kal. Novembr. anni ab Incarnatione Domini M. C. LXII. regnante LODOÏCO Rege. Sig. † JOHANNIS Martini, qui hanc chartam fieri jussi, firmavi, laudavi, & testes firmare rogavi. Sig. † GIRARDI Comitis, qui hanc chartam fieri jussi, firmavi, laudavi, & testes firmare rogavi. Sig. † PETRI de sancta Maria. Sig. † MARTINI Jacobi. Sig. † PETRI Magistri de Malpas. Sig. † PETRI Boirelli. Sig. † GUILLELMI Majoris. . . . . NICOLAUS Levita, qui hoc scripsit rogatus atque jussus, sub die & anno quo suprà.

Confirmatio privilegiorum Ecclesiæ Narbonensis.

Communicavit D. d'Herouval.

Datum à Ludovico VII. Rege Franc. An. Chr. 1165.

XXXIX. PHILIPPUS, &c. Notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris, nos infrà scriptas vidisse litteras formam quæ sequitur, continentes.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen.

Digitized by Google

Confirmatum à Philippo VI. an. 1344.

Ego Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex. Contemplantes Ecclesiarum vetera privilegia, quibus majorum nostrorum Regum Franciæ donaria confirmantur, quadam exemplo eorum in nobis caritas excitatur, & venerabilium Prælatorum petitionibus exaudiendis faciliùs inclinatur. Siquidem Narbonensis Ecclesia de antiquis possessionibus suis, & antecessorum nostrorum largitionibus habere documenta solebat, sed jam vetustatis senio attrita, neque diutius duratura nullatenus amodo memoriam poterunt excitare; ad quæ renovanda, & quadam novæ scripturæ pueritia convenustanda providus ejusdem Ecclesiæ patronus, & dignissimus Archiepiscopus Pontius humiles nostræ serenitati preces porrexit; & nos libenter commodavimus aurem precanti.

Notum liquidò facimus universis sanctæ matris Ecclesiæ fidelibus & filiis, quòd quidquid Narbonensis Ecclesia ex dono & concessione antecessorum nostrorum Regum Franciæ; & quidquid etiam ex alia parte justè & canonicè possidere dinoscitur, tam ipsi Archiepiscopo & successoribus suis, quàm ejusdem Sedis Canonicis auctoritate regia confirmamus. Insuper etiam ad instar patrum nostrorum sancimus, ne aliquis Dux, Comes, Vicecomes, sive alius aliquis Princeps super jamdictam Narbonensem Ecclesiam, aut Clericos, Milites, aut burgenses, sive rusticos ad eamdem Ecclesiam pertinentes, injustas exactiones exerceat, omnimodis inhibemus.

Antecessorum igitur nostrorum liberalitatem sectantes concedimus, & præsentis auctoritate rescripti firmamus præfato Pontio Ecclesiæ Narbonensis Episcopo, & successoribus suis in perpetuum, in civitate Narbona Ecclesiam Metropolim sanctorum Justi & Pastoris, cum omnibus ad eamdem Ecclesiam in eadem civitate & suburbiis, & toto termino ejusdem civitatis pertinentibus, & medietatem civitatis Narbonæ, cum turribus omnibus, & muris & adjacentiis eorum intrinsecùs & extrinsecùs; & telonei & portatici, ac de navibus per mare & fluvium decurrentibus, necnon de salinis,

Digitized by Google

& de omnibus omnino rebus, de quibus ledda vel usaticus dari solet, pro ejusdem Ecclesiæ reverentia in omnibus medietatem eidem Ecclesiæ concedimus.

Concedimus etiam præfatæ Ecclesiæ Narbonensi molendina, quæ sunt subtus pontem ipsius civitatis, & molendina quæ sunt in loco, quem vocant Matam Pedilii, & de porta Coriani usque ad Celatam, & usque ad medium flumen Atacitis, & usque ad lavatorium Coriani, cum monte Judaïco: & omnia prædia culta, vel inculta, ædificata, sive inædificata, quæ protenduntur ex parte Circii usque ad muros prædictos prædictæ civitatis, & usque ad viam publicam quæ à porta regia discurrit versus pontem septimum, sicut hodierno die ea justè & rationabiliter Ecclesia tenet & possidet. In burgo etiam Ecclesiam sancti Pauli, cum omnibus in eodem burgo, & aliàs ubicumque sint, ad eamdem Ecclesiam pertinentibus, ita ut nulli deinceps Ecclesiæ, sæcularive personæ post hujus nostri edicti confirmationem, præfatam Ecclesiam sancti Pauli à jure & ab amministratione Narbonensis Archiepiscopi nostris futurisque temporibus subtrahere liceat. Villa quoque Decemsarada, Casolos, Alentianus, insulam quæ vocatur Madiaracus, Villars quod vocatur sancta Agatha, Curcuciacus, Vencenatus, villa quæ dicitur sanctus Saturninus; Abbatiam quoque sancti Laurentii, quæ vocatur Baujolas, Abbatiam de Quadraginta; villam etiam de Limos, villam Cesaram, villam Argeregii, Trapas castrum: præterea de Auriaco cum villis suis & terminis, castrum de Fonte Joucoso cum villa sua & terminis, castrum de Villa-rubea cum villa sua & terminis: & in Redensi Comitatu castrum de Corniliaco cum terminis suis, castrum de Salis cum villa sua & terminis, castrum de Pozalerio cum villa sua & terminis, castrum de Argens cum toto suo districtu, castrum de Ventenaco cum villa sua & terminis, castrum de Quilano cum villa sua & terminis; & honorem & villam de Fonte-erecto cum toto termino suo; castrum de Grursano cum toto suo districtu, castrum quod

Digitized by Google

dicitur villa Damiani cum toto suo districtu; & Immunbensi Vicecomitatu castrum de Peiraco, castrum de Onerato, castrum de Crustacadas cum villa sua & terminis, castrum de Caner cum villa sua & terminis, castrum de Sejano cum villa sua & terminis, castrum de Monciliaco cum pertinentiis suis, castrum etiam de Capite-Stagni cum villa sua & terminis, & omnibus ad id castrum pertinentibus.

Hæc demumque omnia & alia quæ justè & canonicè, Deo auctore, Narbonensis Ecclesia habet & possidet, concedimus præfato PONTIO Narbonensi Archiepiscopo & successoribus suis, atque Ecclesiæ sanctorum Justi & Pastoris in perpetuum, & sub nostræ protectionis munimine perpetuò valitura suscipimus; ut gaudeat prælibatus Archiepiscopus suique successores sub nostra defensione quietè residere & nostro parere imperio, & quidquid jus fisci exinde in omnibus præfatis exigere poterat, hoc est, omnia regalia jura, totum nos pro æterna remuneratione eidem concedimus Ecclesiæ, ut perpetuis temporibus Archiepiscopis & Clericis ibidem Deo servientibus proficiat in augmentum, quatinus auctores * ipsius cum omnibus ad se pertinentibus pro nobis & conjuge proleque nostra ac totius Regni à Deo nobis concessi, Domini misericordiam alacriter exorare delectet.

* Rectores ipsius Ecclesiæ Narbon.

Decernimus præterea, & per hujus nostri rescripti sacros apices statuendo sancimus, ut præfatus PONTIUS Narbonensis Archiepiscopus & successores sui in burgo de Narbona quantum modò tenet, sive quantumlibet in futurum excreverit, & in castro de Moncilio, & in castro & villa de Capite-Stagni, & in toto termino castri & villa, quantumcumque dilatatum fuerit in omnibus, & de omnibus illius loci habitatoribus occasione aliqua commemorantibus, firmantias, justitias, publicas exactiones, & in omnibus omnino causis potestativum plenariè districtum, & quidquid ad jus regium pertinet, post hujus nostri præcepti donationem, sine alicujus hominis contradictione in pace ha-

beat & possideat, & exercendam justitiam quæ ad feudum in burgo Narbonensi ab Archiepiscopo habetur: & ut liceat jam dicto PONTIO Archipræsuli & successoribus suis omnia castra, quæ nunc habet & possidet, sive aliquis Narbonensis Ecclesiæ condirigere & efforsare, & in alio (si Narbonensis Ecclesiæ Rectoribus idoneum visum fuerit) loco de novo construere & transmutare statuimus in alodio suo & in castellaria, id est, termino ejusdem castri.

Et ut hæc præcepit nostri auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subsignantes, sigilli nostri impressione consignari præcepimus. Actum publicè apud Silviniacum anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo quinto, adstantibus in palatio nostro, quorum substitulata sunt nomina & signa. S. Comitis Blesensis, Theobaldi Dapiferi nostri. S. Guidonis Buticularii. S. Matthæi Camerarii, Radulfi Constabularii. Data per manum Hugonis Cancellarii & Episcopi Suessionensis.

1165.

Quas quidem litteras & omnia alia singula supradicta in eisdem contenta rata & grata habentes, ea volumus, laudamus, ratificamus, approbamus, & de nostra speciali gratia & certa scientia, quatenus GOSBERTUS nunc ipsius Ecclesiæ Narbonensis Archiepiscopus, & ejus prædecessores huc usque eisdem usi sunt, tenore præsentium confirmamus. Quod ut firmum & stabile permaneat in futurum, nostrum præsentibus fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro, & in omnibus quolibet alieno. Datum apud sanctum Germanum in Laya, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, mense Septembri.

Digitized by Google

Fundatio Nosocomii Noviomensis à RAINALDO *Episcopo approbata.*

An. Chr. 1178.

XL. IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen. Quoniam apud sapientiæ fontem, quæ hominem mirabiliter creavit, ac mirabiliùs recreavit, in illius districti examinis area, ubi grana à paleis segregabuntur, misericordiæ opera præ ceteris commendabuntur, filiique misericordiæ ab auditione mala non timebunt: Eapropter ego RAINALDUS per Dei gratiam Episcopus, minister ejus licèt indignus, mihi plebisque commissæ saluti studens, tam futuris quàm instantibus notum fieri volo, HENRICO Sacerdoti bonæ opinionis viro, SIMONI de sancto Quintino, Canonicis nostris, Magistro RAINALDO & NICOLAO Clerico & amico nostro, & LAURENTIO venerabili Burgensi nostro, quos ad bonum opus credo esse animatos, vetus hospitale cum omnibus appendiciis suis, & etiam potestatem construendi novum hilari animo concessisse, & quidquid per Dei gratiam poterunt adipisci, sub ejus ac nostra protectione suscipio, & in omnibus consilii & auxilii nostri plenitudinem promitto: placet etiam quoddam tamquam calcar ad bene agendum intuitu pietatis addere, ut quoscumque prædicti beneficii divina clementia fecerit participes, eis oblita indulgeantur peccata, vota fracta, si ad ea redire non contemserint, offensiones parentum, si in eos manus violentas injecerint, venialium medietas, criminalium quadragena, vel septem dies pœnitentiæ injunctæ relaxentur. Ne ergo adversus tam honestæ, tam sanctæ concessionis paginam aliquis perditionis, aut discordiæ filius ausus sit *aliquid* machinari, sub anathematis vinculo prohibeo, præsentisque scripti testimonio communio, atque sigilli mei impressione subterfirmo, salvo jure Ecclesiarum Noviomensium. Actum anno Domini M. C. LXXVIII. Ego

BALDUINUS

Balduinus Noviomensis Ecclesiæ Cancellarius legi & subscripsi. *Sigillatum cera viridi.*

Lucius *Papa III. probibet Canonicis Carnotensibus pluralitatem beneficiorum, & residentiam præscribit.*

D. d'Herouval erait.

XLI. Lucius * Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Petro Episcopo, & dilectis filiis G. * Decano & Capitulo Carnoten. salut. & Apostol. benedictionem. Cùm ab eo cui plus committitur, amplius exigatur, dignum est & consonum rationi, ut qui in Ecclesia vestra præ aliis honorantur, studiosiùs illi deserviant, & utilitati ipsius intendant. Hac itaque ratione inducti auctoritate duximus Apostolica statuendum, ut Honores * Carnoten. Ecclesiæ aliis de cetero minimè concedantur, nisi qui secundùm antiquam & rationabilem consuetudinem residentiam se promiserunt habituros. Si autem post promissionem suam hoc nequaquam impleverint, ab ipsis reddantur honoribus alieni. Ad hæc auctoritate Apostolica inhibemus, ne quis in alia Ecclesia beneficium habens in Canonicum Ecclesiæ vestræ, aut plebanum Presbyterum admittatur, nisi priori cesserit beneficio, & ab proprio fuerit Episcopo absolutus.

An. Chr. circ. 1184.
* III. *hoc nomine.*
*Goffrido II.
* Beneficia, sive officia & dignitates.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Velleit. xvi. Kalend. Februarii.

Digitized by Google

Ex MS Ecclesiæ Carnot. D. d'Herouval communicavit.

An. Chr. 1087.

URBANUS *Papa II.* REGINALDO *Carnotensi Episcopo, ne domus in Claustro laïcis dentur, aut locentur à Canonicis.*

XLII. URBANUS Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri R. Episcopo, & dilectis filiis Decano & Capitulo Carnotensi salutem & Apostolicam benedictionem. Audivimus & audientes nequivimus non mirari, quòd laïci quidam in Claustro vestro domos jure hereditario possidentes, tales personas plerumque admittunt, per quas Clericorum quies inhonesto strepitu sæpe turbatur, & devotio populi ne divinis intendat officiis, præpeditur. Joculatoribus quidem, aleatoribus, cauponibus & mulieribus turpibus præscriptæ domus de consuetudine prava locantur. Volentes igitur communi Ecclesiæ honestati consulere, auctoritate Apostolica prohibemus, ne domos canonicales ulteriùs laïcis, per quos honestati Ecclesiasticæ derogetur, vel gratis dentur, aut etiam sub quacumque occasione locentur. Constituimus etiam de domibus, quas laïci in Claustro jure hereditario tenent, si eas in personis propriis cum honesta familia, exclusis mulieribus turpibus, inhabitare noluerint, ut nonnisi Clericis, vel personis regularem vitam professis, gratis, vel pro pretio concedantur, si congruum eis protium voluerint exhibere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Ven. XII. Kal. Martii.

Digitized by Google

PHILIPPUS II. *Rex Francorum pagensibus de Vailli, de Condé, &c. Diœcesis Suession. Communiam concessam confirmat & auget.*

XLIII. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quòd karissimus avus noster LUDOVICUS hominibus de Vailli, de Condé, de Chavonois, de Filaino, & de Paregni Communiam inter se habendam concessit, & sigilli sui auctoritate confirmavit; post cujus decessum, pater noster venerandus LUDOVICUS eam manu tenuit & custodivit. Nos verò priorum patrum vestigiis inhærentes, Communiam prædictis hominibus concessam, & Communiæ consuetudines, sicut avus & genitor noster illas eis tenuerunt, concedimus & confirmamus.

An. Chr. 1187.

1. Has videlicet inter villas superiùs nominatas alter alteri rectè secundùm suam opinionem auxiliabitur, & nullatenus patietur quòd aliquis alicui eorum aliquid auferat, vel eis talliatam faciat, vel quidlibet de rebus ejus capiat.

2. Omnem forestam, exceptis infractione villarum & veteri odio, quinque solidis emendabunt. Etsi ab aliquo teloneum requiratur, & requisitor diem quo illud & unde illud habere debuerit, minimè nominaverit, numquam ei respondebitur. Et si diem nominaverit, & dictum ejus ille sola manu infirmare non poterit, quinque solidis emendabit.

3. Si quis verò sacramentum alicui facere debuerit, & ante arramissionem sacramenti se in negotium suum iturum dixit, propter illud faciendum de itinere suo non remanebit, nec ideo incidet: sed postquam redierit, convenienter monitus sacramentum faciet.

4. Si autem Archidiaconus aliquem implicitaverit,

Digitized by Google

nisi clamor antè venerit, vel forefactum apparuerit, non ei respondebit. Si tantùm testem habuerit, contra quem accusatus se defendere non possit, emendabit.

5. Homines autem Communionis hujus uxores quascumque voluerint ducendi licentiam à dominis suis accipient. Et si domini hoc concedere noluerint, & absque consensu & concessione domini sui aliquis uxorem alterius potestatis duxerit; si dominus suus eum inde implicitaverit, quinque solidis tantùm illi inde emendabit.

6. Capitales homines censum debitum dominis suis persolvent: & si die constituto non reddiderint, inde quinque solidis emendabunt. Et si aliquis aliquam injuriam fecerit homini, qui hanc Communiam juraverit, & clamor ad Juratos inde venerit, si ipsum hominem qui injuriam fecerit, capere potuerint, de corpore suo vindictam accipient, nisi forefactum emendaverit ei cui illatum fuerit, secundùm judicium virorum illorum qui Communionem custodierint.

7. Et si ille qui forefactum fecerit, ad aliquod receptaculum perrexerit, & homines Communiæ ad ipsum receptaculum transmiserint, & domino receptaculi vel primatibus ipsius loci quæstionem fecerint, ut de eorum inimico faciant & rectitudinem, sicut superiùs dictum est. Si satisfacere voluerint, rectitudinem accipient; quod si facere noluerint, homines Communiæ auxiliatores erunt faciendi vindictam de corpore & de pecunia ipsius, qui forefactum fecit, & hominum illius receptaculi, ubi eorum inimicus erit. Si mercator in istas villas venerit ad mercatum, & aliquis aliquid ei forefecerit infra leucam istarum villarum, si Jurati inde clamorem audierint, & mercator eum in istis villis invenerit, homines Communiæ ad vindictam faciendam super hoc rectè suam opinionem & auxilium præstabunt, nisi mercator ille de hostibus sæpedictæ Communiæ fuerit. Et si ad aliquod receptaculum ille adversarius perrexerit, si ipse mercator vel Jurati ad ipsum miserint, & hostis mercatori satisfecerit secun-

Digitized by Google

dùm judicium illorum qui Communiam servaverint, vel ostendere poterit forefactum illud se non fecisse, Communiæ sufficiet: quòd si ille facere noluerit, si postmodum inter dictas villas capi poterit, de eo vindictam facient Jurati.

8. Nemo autem præter nos & Dapiferum nostrum & heredes defuncti Milonis poterit conducere hominem in villas istas, qui forefactum fecerit homini qui hanc Communiam juraverit, nisi forefactum emendare venerit secundùm judicium illorum qui hanc Communiam servaverint.

9. Si Abbas Corbiensis adduxerit in istas villas ignoranter hominem, qui forefactum fecerit homini de ista Communia, postquam sibi ostensum fuerit illum esse de hostibus Communiæ, nullo modo eum postea adducet, nisi de assensu illorum, quibus observanda Communia incumbit: & ea vice eum reducere poterit. Pro illa verò pecunia, quam homines hujus Communiæ crediderunt, postquam hanc Communiam juraverunt, nullum hominem capient, nisi sit debitor, vel fidejussor.

10. Si extraneus homo panem vel vinum suum in istas villas causâ securitatis adduxerit, si postea inter dominum ejus & homines Communiæ discordia emerserit, quindecim dies habebit ille panem & vinum vendendi in eisdem villis, & defendendi nummos & aliam pecuniam suam, præter panem & vinum, nisi ille fore factum fecerit, vel fuerit cum eis qui forefactum fecerint. Nemo de villis prælibatis, qui hanc Communiam juraverint, credet pecuniam suam, vel commodabit hostibus Communiæ, quamdiu guerra duraverit. Et si quis probatus fuerit credidisse aliquid hostibus Communiæ, justitia de eo fiet ad judicium eorum qui Communiam servabunt. Si aliquando homines Communiæ contra hostes suos exierint, nullus de Communia loquatur cum hostibus Communiæ, nisi de licentia custodum Communiæ.

11. Ad hæc, statuti homines jurabunt, quòd neminem propter amorem seu propter odium deportabunt

vel gravabunt, & quòd rectum judicium facient secundùm suam æstimationem. Omnes alii jurabunt, quòd iidem judicium, quod prædicti statuti super eos fecerint, patientur & concedent, nisi probare potuerint quòd de censu proprio persolvere nequirent.

12. Universi homines inter villas supradictas commorantes in cujuscumque terra morentur, Communiam jurent: qui verò jurare noluerit, illi qui juraverint, de domo ipsius & de pecunia facient justitiam. Si quis etiam de Communione aliquid forefecerit, & per Juratos emendare noluerit, homines Communiæ exinde justitiam facient. Si quis verò ad sonum pro Communia congreganda factum non venerit, duodecim denariis emendabit.

13. Inter has autem consuetudines à patribus nostris concessas & indultas concedimus, ut nullus infra ambitum dictarum villarum aliquem possit capere, nisi Major & Jurati, quamdiu de eo facere justitiam voluerint. Et si aliquis de ea Communia aliquid nobis forefecerit, oportebit ut nos in Curia beati Petri Corbiensis apud Vailliacum per Majores hujus Communiæ ad judicium eorum Juratorum justitiam capiamus, nec eos extra prædictam Curiam, vel placitare, vel chartam monstrare, compellere poterimus; nec cuiquam licebit ab aliquo vel ab aliqua de Communia manum mortuam exigere.

14. Has itaque consuetudines prætaxatas, & eas quæ ab avo nostro eis concessæ fuerunt & confirmatæ, salvo jure nostro, & salva fidelitate nostra, & salvis consuetudinibus nostris & heredum Milonis defuncti, & Ecclesiæ Corbiensis, & Ecclesiarum & dominorum, qui in prædictis villis aliquid habent juris & consuetudinis, concedimus & confirmamus. Sciendum est quòd hæc Communia nobis annuatim debet centum solidos, & heredibus Milonis defuncti centum solidos. Quod ut ratam & inconcussam sortiatur perpetuam firmitatem, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate ac regii nominis karactere subtus annotato commu-

Digitized by Google

nimus. Actum anno Incarnationis Domini M. C. LXXXVII. regni nostri VIII.

HUGO *de Gornaco fundat ac dotat Abbatiam Bellosanensem Canonicorum Ord. Præmonstratensis.*

D. d'Herouval eruit.

XLIV. UNIVERSIS sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, ad quos præsens scriptum pervenerit, HUGO de Gornaco salutem. Notum sit tam omnium futurorum quàm præsentium caritati, quòd ego HUGO de Gornaco divinæ pietatis & dilectionis intuitu pro salute animæ meæ, & patris mei & matris meæ & aliorum antecessorum meorum, & pro salute heredum meorum in propria hereditate mea, in foresta mea juxta Bellosanam in honorem Dei & salvatoris nostri JESU CHRISTI, & beatissimæ Virginis MARIÆ matris ejus, fundavi Abbatiam, ibique ad serviendum Deo in perpetuum secundùm regulam beati Augustini & consuetudines Ordinis Præmonstratensis Abbatem & Conventum piè institui: ad quorum victum & vestitum, ad necessaria Christi pauperum ad se confluentium secundùm possibilitatem loci, de terris & redditibus & justis acquisitionibus meis in perpetuam, puram & liberam eleemosynam omnipotenti Deo & beatæ MARIÆ, & Abbati & Canonicis ibidem Deo servientibus ea quæ subscripta sunt, super altare ejusdem Abbatiæ devotè obtuli.

An. Chr. 1190.

Scilicet locum illum in quo fundata est Abbatia, & quamdam pieçam forestæ meæ de Brayo juxta ipsam Abbatiam, sicuti signa facta fuerunt, quando donavi eam, & sicut fossata ibi facta demonstrant, usque ad rivulum qui descendit de Merreval in forestam, & totum alnetum quod est inter nemus Canonicorum & rivulum de Merreval: & quamdam pieçam unius campi, qui fuit Assæ de Quarroge, inter ipsam Abbatiam & villam de Bellosana, & Ecclesiam sancti Petri de Wellebuc cum

capella sancti Aniani, & Ecclesiam sancti Martini de Bresmostier, cum capella sancti Leonardi de Merreval, & capella sanctæ Margaretæ de Bellosana, & quidquid juris & libertatis Abbatia de Becco Herluin & ego habuimus in prædictis Ecclesiis & capellis, & in omnibus pertinentiis & decimis, & libertatibus earum, excepta capella beatæ MARIÆ, quæ est in curte mea de Bellosana, quam in manu mea retinui ad voluntatem meam faciendam. Ita quòd Canonici præfati in prædicta mea capella nullam reclamationem facere possunt.

Et præterea totum maisaigium * cum toto pomerio quod Monachi de Becco Herluin habuerunt apud Bremostier, cum omnibus terris & tenementis, quæ iidem Monachi habuerunt in parochia de *Bremostier*, exceptis hospitibus cum masuris eorum, & duas carrucatas terræ, quas iidem Monachi supra montes habuerunt, cum omnibus libertatibus & quietationibus, quas præfati Monachi in omnibus præscriptis tenementis & in pertinentiis eorum habuerunt. Et juxta pomerium suum dedi eis terram triginta pedum latitudinis in masura, quam tenuit Radulfus Fauvel vsque ad communem viam villæ, & totam culturam de Betonessart, & totam culturam Desborc, & culturam de Gonestey MARIÆ, & unam pieciam terræ juxta *Audon*, & culturam *de Mesnil*, & culturam Talami, & unum campum in Monte-Ricardi, & culturam de Bequerel, & culturam de Rustuchon, & unam virgatam juxtà, & aliam ad viam *Romaisene*, & virgatas tres ad spinam *de Merreval*, & Ecclesiam *de Tyl*, cum omnibus suis pertinentiis, & quidquid juris in eadem Ecclesia habebam, quam mihi Simon de Belsart donavit.

* *sive* masagium

Et iterum donavi prædictæ Abbatiæ totam terram, quam escambiavi ab Odone de Bresmostier apud Bellosanam, præter hortos & prata. Dedi etiam eis unam culturam terræ, quam emi ab Ydra filia Philippi de Corceliis, quæ vocatur cultura de Sablonia, & quamdam terram, quam emi ab Albereda filia Willelmi Blanguian, quæ dicitur Campus de Prato Monachi, & juxta

ta terras quæ fuerunt Monachorum de Becco super montes. Dedi eis particulam nemoris mei à Tronquia ad viam, quæ venit per ante Rogos de busco Erembodi, sicut divisiones demonstrant, ad ibi ædificandum sibi manerium, & centum acras terræ in haia de Maci propinquiores bosco Monachorum de Bello-becco, pro qua terra Monachi de Belbec reddere debent centum minas frumenti singulis annis, ad minam Rotomagi, præfatis Canonicis ad festum omnium Sanctorum, requirendas in grangia de Morimont de meliori frumento post sementem, sive terra fuerit culta, sive non. Passnagia quieta porcorum suorum, & pasturas suorum animalium, & mortuum boscum in foresta mea & haiis meis de Braio pacificè habeant & possideant.

Et præterea eisdem Canonicis concessi libertatem vendendi & emendi ea quæ necessaria fuerint ad proprios usus prædictæ Abbatiæ per totam terram meam absque ulla consuetudine danda.

Hæc autem omnia præscripta ad fundationem Abbatiæ meæ de Bellosana libera & absoluta ab omni sæculari servitio, & ex omnibus exactionibus, & querelis mihi & heredibus meis pertinentibus, nihil in prædictis eleemosynis mihi vel heredibus meis retinens, præter orationes & beneficia spiritualia, Deo & beatæ MARIÆ in perpetuum donavi. Ut autem hæc donatio mea rata & inconcussa perseveret, appositione sigilli mei & præsenti scripto corroboravi. Actum est hoc Verbi incarnati anno M. C. XCVIII. Teste Domno GALTERO Rotomagensi Archiepiscopo, omnes prædictas donationes approbante & confirmante. Teste etiam HUGONE de Caugumiler, Abbate de Becco Herluin, ROBERTO Abbate de Bello-becco, ROBERTO Abbate de Insula Dei, ROBERTO Abbate de Ardena, Magistro ROBERTO de S. Paterno Rotom. Archidiacono, Magistro HUGONE de Archis, ODONE Capellano domini Hugonis de Gornaco, RADULFO Thesaurario de Gornaco, RICARDO de Aufay, RAD. de Mallion, HERUNENDO de Marvel, ÆGI-

DIO de Hodenc, *Morello* fratre suo portario, *Nicolao* de Frosseres, *Hugone* de Agia, *Willelmo* de S. Martino, *Adam* de Ferrieres, *Acardo* Malovicino, & pluribus aliis.

Ex MS Ecclesiæ Carnot. concessit D. d'Herouval.

SYMON *Comes Montisfortis* C. *sol. anniversario matris suæ assignatos confirmat.*

An Chr. 1206. & 1215.

XLV. SYMON dominus Montisfortis, Dux Narbonæ, Tolosensis & Leicestrensis Comes, Biterrensis & Carcassonensis Vicecomes, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quòd nos audivimus & vidimus quasdam litteras sigillo carissimæ dominæ & matris nôstræ quondam AMICIÆ Comitissæ Lieccestrensis & dominæ Montisfortis sigillatas sub hac forma.

AMICIA Comitissa Lieccestrensis, domina Montisfortis, universis tam præsentibus quàm futuris, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem. Noverit universitas, quòd nos Ecclesiæ beatæ MARIÆ Carnotensis centum solidos monetæ Parisiensis de annuo reditu in perpetuam eleemosynam concedimus & donamus, expendendos in opus ipsius fabricæ, dum vivemus. Post nostrum autem decessum distribuendos Canonicis ejusdem Ecclesiæ, qui nostro intererunt anniversario. Assignamus autem eosdem centum solidos in censu nostro apud sanctum Leodegarium castrum nostrum, ab ejusdem castri Præposito annuatim in crastino festi sancti Remigii dictæ Ecclesiæ persolvendos; hoc tenore, quòd idem Præpositus, nisi eos ad terminum prædictum reddiderit, pro singulis diebus, quibus eos reddere differet, quinque solidos Parisienses tenebitur reddere Ecclesiæ pro emenda. Quod ut ratum & stabile in perpetuum perseveret, præsentem chartulam inde notari fecimus, & sigilli nostri munimine roborari. Datum anno incarnati Verbi M. CC. sexto. Nos autem dona-

Digitized by Google

tionem istam, sicut prælibata est, gratam & ratam habemus, & præsentem paginam in testimonium sigilli nostri munimine roboramus. Datum anno dominicæ Incarnationis M. CC. quinto-decimo, mense Aprili.

Quibus conditionibus recipiatur à Capitulo Noviomagensis Ecclesiæ Decanus.

XLVI. JOHANNES Decanus, totumque Noviomensis Ecclesiæ Capitulum, omnibus in perpetuum. Paci nostræ posterorumque nostrorum tranquillitati providere cupientes, pagina præsenti declarare, & sigilli nostri munimine decrevimus roborare, quæ ex antiquo & consuetudinario jure Decanus noster in novitate promotionis suæ, antequam à Canonicis ei canonica præstetur obedientia, super sanctum Evangelium, corporali sacramento præstito, firmiter & inviolabiliter observaturum se promittere debet.

An. Chr. 1208.

1. Primum quidem, quòd in Ecclesia nostra mansionem & residentiam continuam faciet. 2. Quòd in damnum vel detrimentum seu præjudicium Ecclesiæ munera non accipiet. 3. Quòd ab Episcopo nostro feodum non recipiet, nec ei homagium faciet, nisi fortè quæ hoc exigat, hereditario jure successio quælibet ad ipsum fuerit devoluta. 4. Quòd in Ecclesia nostra duos personatus non obtinebit. 5. Quòd res Ecclesiæ ad trecensum non tenebit, nisi fortè illas quas ante tempora suæ promotionis tenuerit. 6. Quòd præbendarum partitionem non impediet, nec constitutioni quam major & sanior pars Capituli *. . . de partitione præbendarum obviabit, vel de partitione aliquid recompensationis gratiâ postulabit. 7. Quòd tempore messis in grangiis nostris procurationem non accipiet, nisi fortè specialiter à Capitulo pro aliquo negotio Capituli fuerit in partibus illis destinatus. 8. Quòd nonnisi de consilio & convenientia Capituli, Canonici præbendam non saisiet, aut occu-

* *deest verbum* fecerit

Digitized by Google

pabit, nec ipsum suspendet, nisi per Capitulum. 9. Quòd ipse Decanus, si Presbyter non fuerit, ad submonitionem Capituli ad Presbyteratus ordinem tenebitur accedere. 10. Quòd homagia Ecclesiæ ad submonitionem partis, vel communitatis absque exactione & redemtione in Capitulo recipiet. 11. Quòd nonnisi de consensu Capituli Clericos in choro recipiet, nec receptos ad ordinandum præsentabit ex parte Capituli, nisi per Capitulum.

Ut igitur præmissa futuris temporibus observatione perpetua gaudeant & firmitate, præsentem paginam sigilli nostri appensione roboravimus; & ne aliter fiat, sub anathematis interminatione prohibemus. Datum anno Incarnationis dominicæ millesimo ducentesimo octavo, mense Maio.

Ex MS. cod. Eccles. Carnot. communicavit D. d'Herou:al.
An. Chr. 1211.

De anniversario STEPHANI *de Pertico.*

XLVII. STEPHANUS de Pertico Miles, omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem in Domino. Noverint universi præsentis scripti paginam inspecturi, quòd JOHANNES de Friesia Miles omnem viariam, quam ipse in terra Ecclesiæ beatæ MARIÆ Carnotensis habebat, eidem Ecclesiæ in perpetuam eleemosynam contulit & donavit, volente hoc & concedente fratre suo GARINO. Hanc autem donationem ego concessi & confirmavi.

Præterea pro anniversario meo in eadem Ecclesia annuatim celebrando quinquaginta solidos Carnotensis monetæ assignavi in reditu de Longovillari, post decessum meum percipiendos. Institutionem etiam anniversariorum karissimi fratris mei GAUFRIDI Comitis Perticensis, & MATHILDIS Comitissæ uxoris ejusdem Comitis, & reditum pro eisdem anniversariis celebrandis, sicut in litteris ejusdem Comitissæ continetur assignatum, ego concessi & approbavi. Ad quo-

Digitized by Google

rum robur atque memoriam sigilli mei appositione præsentem paginam communivi. Actum in Capitulo Carnotensi præsente Raginaldo ejusdem Ecclesiæ Episcopo, & multis aliis adstantibus. Anno gratiæ M. CC. XI. mense Junio.

Fundatio duarum Præbendarum in Ecclesia S. Matthæi de Foilliaco.

XLVIII. RADULFUS Dei gratiâ Archidiaconus Pontivensis & dictus Abbas Præbendarum sancti Matthæi de Foilliaco * apud Corbeiam, universis ad quos litteræ præsentes pervenerint, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quòd in constitutione duarum Præbendarum, quas dilecti in Christo HUGO de Vers, Canonicus Noviomensis, & THOMAS alumnus ipsius, zelo caritatis succensi, temporalia quæ in possessionibus feodalibus cum suis pertinentiis apud Aubegni à Stephano de Marasco cognato eorum emtionis titulo obvenerant, conferendo de novo in eadem Ecclesia sancti Matthæi, de assensu nostro & Capituli ipsius Ecclesiæ plantaverunt, ita voluntatem suam propter tenuitatem temporalium & pietatis intuitu declarare curaverunt, ut postquam ambo fuerint ab hac luce subtracti, illæ duæ Præbendæ cum temporalibus eis deputatis ad communes usus ejusdem Ecclesiæ & Canonicorum reducantur: illius verò qui priùs humanæ sorti debitum exsolverit, Præbenda cum temporalibus superstiti, dum vixerit, integraliter accrescat, & ita demum ad Ecclesiam ipsam & Canonicos Præbendæ illæ post utriusque obitum devolventur. Nos igitur devotionem eorumdem Hugonis & Thomæ in Domino commendantes, & Deum præ oculis habentes, de assensu & voluntate Capituli ejusdem Ecclesiæ, sæpedictos Hugonem & Thomam ad easdem Præbendas in Fratres & Canonicos consueta solemnitate adhibita,

An Chr. 1211.

* Gal. Fouilloy

Digitized by Google

admittere curavimus, dantes eis vocem in Capitulo, & locum in Choro assignantes. In cujus rei firmitatem & testimonium eis præsentem chartam sigillorum nostrorum charactere signatam duximus concedendam. Actum anno dominicæ Incarnationis 1211.

Ordinationes pro Nosocomio factæ ab STEPHANO *Noviomensi Episcopo.*

An. Chr. 1215.

XLIX. STEPHANUS Dei gratiâ Noviomensis Episcopus, universis Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pervenerit in perpetuum. Cùm domus hospitalis Noviomensis à prædecessore nostro bonæ memoriæ RENALDO Noviomensi Episcopo, ad receptionem pauperum infirmorum cum multa fidelium devotione fuerit fundata: nos ipsam domum quæ redituum paucitate, & infirmorum ibidem decumbentium, & aliorum domus ejusdem cohabitatorum multitudine aggravari dignoscitur, & immediatè nobis subjecta est, brachiis caritatis specialiter amplexamur, paupertati & pressuris ipsius salubriter imposterum consulentes. Nos igitur cùm ultra modum in multitudine Fratrum, vel Sororum ibidem cohabitantium eadem domus oneretur, proinde statuimus ut ultrà quàm quinque Presbyteri talis ætatis, qui idonei sint ad divina celebranda, & duo Clerici apti & habiles ad ordinandum, in ea recipiantur, nec umquam numerum istum de cetero simul excedant, & quinque Conversi Laïci tantùm ibidem valeant admitti, & tredecim Sorores tantùm, quæ tales sint & tam fortes, quòd officia domus competenter valeant exercere: nec aliquando iste numerus excedatur, ita tamen ut cùm aliquis in utroque sexu recipi debuerit, in habitu laïcali per annum probetur, & anno elapso in conspectu universitatis Fratrum & Sororum ordo * domus ei exponatur; & si ei placuerit, & domui similiter, ut remaneat, & se promiserit ordinem obser-

* id est, regula

vaturum, de consensu universitatis, vel partis sanioris in collegium domûs recipiatur: ita tamen quòd tria vota, videlicet obedientiæ, castitatis & renuntiationis proprietatis humiliter emittat; & quòd sine licentia Præceptoris nihil recipiet, vel habebit, vel alii donabit, fideliter promittat: & tunc demum flexis genibus devotè & humiliter in manus Præceptoris in osculo pacis recipiatur. Verumtamen nullus uxoratus cum uxore sua simul recipiatur. Hanc autem nostræ institutionis paginam auctoritate Dei omnipotentis & beatæ MARIÆ Virginis, & omnium Sanctorum & nostra, sub anathematis interminatione decernimus observari. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quinto-decimo, mense Martio.

Prologus STEPHANI *Noviomensis Episcopi ad regulam fratribus & sororibus hujus* * *Nosocomii ab ipso datam, sive confirmatam.*

* Noviomensis

An. Chr. 1218.

L. STEPHANUS Dei gratiâ Noviomensis Episcopus, universis Christi fidelibus præsentis paginæ inspectoribus salutem in Domino. Cùm ex commisso nobis pastoralis officii talento super gregem nobis creditum assiduè & instanter teneamur vigilare, & universis & singulis simus debitores in Christo, præcipuè tamen religiosis personis & mundo renuntiantibus debemus providere, ut sicut sæculo & actibus sæcularibus, voto emisso & habitu Religionis assumto, renuntiaverunt exteriùs; ita quoque Christum operibus sanctis & obedientiæ nexibus astricti, & Christianam Fidem interiùs imitentur. Vestris igitur justis postulationibus grato concurrentes assensu, regulam & ordinem, quem voluntate & habitu assumsistis, tu Magister Hospitalis Noviomensis, & vos Fratres & Sorores ejusdem domus, Episcopali auctoritate in perpetuum confirmamus, quædam pro utilitate domus vestræ de

Digitized by Google

novo providè statuentes, quædam verò de sanctorum Patrum antiquatis regulis, & aliorum ordinum institutionibus approbatis adjungentes; & ut regulam diligentiùs observetis, vobis in remissionem peccatorum vestorum injungentes.

Deum timete, & mandata ejus observate. Super omnia diligatur Deus, &c. *

** sicut in Regula Nosocomii Belvac. quæ est in tom. 11. Spicilegii nostri.*

ARTICULUS LVIII.

Si verò homicidium fecerit, vel incendium, vel furtum, vel adulterium, vel peccatum contra naturam, & super hoc convincatur, à domo ejiciatur.

ARTICULUS LIX. ET ULTIMUS.

Hæc autem à nobis constituta sunt, ita quòd si domui viderimus expedire, ad petitionem ipsius domus liceat nobis addere, vel subtrahere, vel mutare. Hanc autem nostræ institutionis paginam auctoritate omnipotentis & beatæ MARIÆ Virginis, & omnium Sanctorum Dei & nostra decernimus observari. Actum anno Domini M. CC. XVII.

Litteræ HONORII III. *Summi Pontificis Regulam istam approbantis.*

An Chr. 1218.

LI. HONORIUS Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Rectori & Fratribus Hospitalis Noviomensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Sanè autem cùm sicut referentibus vobis didicimus. . . . . venerabilis frater noster STEPHANUS Noviomensis Episcopus, datis in Hospitali vestro de approbatis religionibus, ordine ac regula super numero Fratrum Hospitalis ipsius, & modo recipiendi eos, ac & aliis quæ regularem sapiunt honestatem, certa & salubria ibidem ediderit instituta. Nos autem vestris justis postulationibus

Digitized by Google

bus grato concurrentes assensu statuta hujusmodi, sicut ab eodem Episcopo providè & salubriter facta sunt, & ipsius litteris dicitur contineri, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsenti scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani IV. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

GERARDUS *Noviomensis Episcopus confirmat fundationem Nosocomii Noviomensis.*

LII. GERARDUS divina miseratione Noviomensis Episcopus universis Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pervenerit in perpetuum. Cùm domus hospitalis Noviomensis ab antecessore nostro bonæ memoriæ RAINALDO quondam Noviomensi Episcopo ad receptionem pauperum infirmorum cum multa devotione fidelium fuerit fundata, & postmodum à venerabili patre prædecessore nostro STEPHANO in ordine & in numero Presbyterorum & Clericorum, & laïcorum Conversorum & mulierum infirmis ministrantium, secundùm qualitatem temporis fuerit ordinata: nos attendentes ex insinuatione Magistri & Fratrum ipsius domus, numerum istum mulierum ad officium infirmorum non posse sufficere, proinde statuimus ad petitionem ipsius domus, ut viginti Sorores ad servitium domus admittantur, quæ tales sint ac fortes, quòd officia domus competenter valeant exercere; quæ etiam per velamen nigrum capiti suo impositum tamquam Conversæ ipsius domus cognoscantur. Cetera verò quæ authenticis antecessorum nostrorum continentur, firmiter volumus observari. Actum anno

An Chr. 1222.

Domini millesimo ducentesimo vigesimo secundo, mense Februario.

Littera WILLELMI *Noviomensis Episcopi de eodem Hospitali Noviomensi.*

An. Chr. 1266.

LIII. UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis WILLELMUS Dei gratiâ Noviomensis Episcopus in Domino salutem. Cùm religiosa domus hospitalis sancti Johannis Noviomensis ab antecessoribus nostris ad pauperum infirmorum receptionem cum multa fidelium devotione fundata fuerit, & postmodum in ordine & numero proborum Clericorum & laïcorum Conversorum, & mulierum infirmis ministrantium, secundùm qualitatem temporis fuerit ordinata: nos intelligentes ex insinuatione Magistri & Fratrum ipsius domus, numerum istum proborum ad officium divinum tam infirmorum quàm eorum parochialium Ecclesiarum, non posse sufficere. Cupientes etiam cultum divinum non minui, sed potiùs augmentari, tam ad petitionem dictæ domus, quàm ad preces devotas venerabilis viri domini Petri dicti Chopin, Canonici in Ecclesia nostra beatæ MARIÆ Noviomensis, qui zelo devotionis motus dictæ domui centum & quadraginta libras Parisienses ob remedium animæ suæ & antecessorum suorum concessit, ad constituendum de novo unum Presbyterum cum aliis: proinde statuimus, ut sex Presbyteri in dicta domo dicti Hospitalis ad dictum officium faciendum tam in dicta domo, quàm in dictis Parochiis perpetuò admittantur. Cetera verò quæ in authenticis antecessorum nostrorum continentur, firmiter volumus observari. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillo nostro pontificali fecimus roborari. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, mense Martio.

Digitized by Google

Ordinationes GAUFRIDI Ambianensis Episcopi pro Canonicis S. Matthæi de Foilliaco prope Corbeiam.

LIV. GAUFRIDUS divina permissione Ambianensis Ecclesiæ Minister humilis, præsentes litteras inspecturis æternam in Domino salutem. Attendentes quòd Ecclesia Canonicorum sancti Matthæi de Foilliaco * nostri patronatus, tam in spiritualibus quàm in temporalibus minùs proficeret incrementis, pro eo quòd non esset canonicis ordinationibus informata, accessimus ad locum, & vocatis omnibus Canonicis, de prudentum virorum consilio eamdem Ecclesiam studuimus in divinis ordinare servitiis, disciplinis canonicis informare, & perpetuis fundare statutis.

An. Chr. 1233.

* vulgo Foulloy

1. Statuentes quòd divinum servitium secundùm possibilitatem Ecclesiæ ordinatè fiat & tempore debito, in Matutinis, Missis & ceteris Horis canonicis, singulis Canonicis residentibus, ministrantibus in ordine vicis suæ; & ad minus in Festis novem Lectionum cum Diacono & Subdiacono in sacris vestibus Missa celebretur.

2. De bonis quoque pertinentibus ad communionem, singulis Canonicis qui in Matutinis interfuerint in Festis novem Lectionum tres denarii, in aliis noctibus duo denarii distribuantur ad præsens, donec crescente communione, & ipsa divinorum officiorum solemnitas, & quotidiana distributio recipere valeat incrementum.

3. Numerum quoque præbendarum ad quindenarium statuimus reducendum, retenta nobis potestate, quòd siqui Clerici novas in eadem Ecclesia de bonis suis voluerint creare Præbendas, recipere poterimus eos in Canonicos usque ad quinque, tali tenore, quòd eorum quolibet decedente, Præbenda sua in quotidianam distributionem convertetur. Volentes autem inæqualitatem Præbendarum ad æqualitatem reduci, sic ordinavimus, quòd corpus Præbendarum erit in perpetuum sex modio-

Digitized by Google

rum, ita quòd quandocumque vacaverit major Præbenda, quod plus fuerit, recidetur, & illud quod excreverit de corpore illius Præbendæ, convertetur in augmentum minorum Præbendarum, quo usque omnes parificatæ fuerint, & pervenerint ad summam sex modiorum. Tres verò Præbendæ, quæ ad præsens excrescunt supra quindenarium, secundùm quod eas vacare contigerit, in usus similes deducentur. Quidquid autem habet Ecclesia, & quidquid habebit in reditibus futuris temporibus, præter prætaxata Præbendarum corpora, cadet in communionem, quæ in servitio Ecclesiæ & communibus necessitatibus expendetur: in distributionibus autem quotidianis illi soli percipient, qui intererunt officiis quibus deputatæ sunt, & illi qui minuti * fuerint: Decanus verò duplum percipiet. Qui foraneus fuerit, non percipiet corpus Præbendæ; qui verò scholaris fuerit, vel in peregrinatione de licentia, corpus Præbendæ percipiet, hoc salvo quòd onus servitii, ad quod tenentur Præbendæ quatuor primæ institutionis, omnibus aliis præbendis imponimus, cùm earum quamlibet vacare contigerit de manu illius qui eam creavit.

* *id est*, quibus sanguis missus fuerit

4. Ordinavimus quidem in eadem Ecclesia Decanum, cui curam dedimus Canonicorum, & eidem Ecclesiæ Capitulo concessimus in posterum liberam electionem Decani. Facient autem Canonici Decano suo ad exemplar nostræ matris Ecclesiæ Ambianensis obedientiam: & Decanus eorum consilio sollicitudinem præstet & operam, quatenus in divinis officiis devotio, & in personis vitæ servetur honestas, & delinquentium castigentur excessus, & Ecclesia in bonis spiritualibus & temporalibus sortiatur augmentum.

Hanc igitur ordinationem nostram, & hæc statuta salubria, ab universis & singulis Canonicis prædictæ Ecclesiæ concorditer approbata, auctoritate pontificali perpetuis temporibus illibata permanere sancimus. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo trigesimo tertio, mense Decembri.

Digitized by Google

Statuta facta ad mores corrigendos Canonicorum Foilliacensium.

LVI. UT Canonicorum nostrorum mores & vita in melius reformentur, statuimus, ne quis in Ecclesia, vel atrio Ecclesiæ, vel in platea juxta Ecclesiam ludum taxillorum, vel alearum, vel alium quemcumque ludum illicitum audeat exercere. Ludum taxillorum universis & singulis simpliciter inhibemus: adjicimus etiam quòd nullus publicè tabernam frequentet, nec publicè teneat concubinam. Et cùm Clerici sint quasi signum positi ad sagittam, quorum vita debet esse aliis in exemplum, firmiter prohibemus, ne quis spectaculum sui corporis ludibriosum faciat, sed puro corpore incedat per Foilliacum & Corbeiam; & quòd pileum de floribus non portent publicè, immo ita honestè & maturè per dicta loca incedant, quòd gravitate itineris mentis maturitatem ostendant, & quòd in eorum incessu & conversatione honestas omnimoda valeat demonstrari. Item quòd arma publicè non ferant, & usurarii non existant. Statuimus insuper, quòd tonsuram habeant congruentem, & quòd officia, vel commercia sæcularia non exerceant, maximè inhonesta.

An Chr. 1240.

Si quis verò Canonicorum ausu temerario contra prædicta venire præsumserit, ipsum decrevimus sententiâ innodatum. Actum anno Domini MCCXL. in Capitulo facto in Ecclesia, die Lunæ proxima post Assumptionem beatæ MARIÆ Virginis, de consensu Decani.

Vide Tractatum D. du Cange de capite S. Ioan. Baptist. cap. 13. n. 9.

Transsumptum litterarum nobilis viri Domini Ottonis de Cyconis, Carysti Dominatoris, qui dedit Abbati & Conventui Cistercii, & misit in theca aurea Capsella argentea per Abbatem de Bella-Valle, & Abbatem de Delphineto, Brachium B. Johannis Baptistæ, per hæc verba:

An. Chr. 1263.

LVI. VENERABILIBUS in Christo Patribus Abbati Cistercii, ac universis Abbatibus, Prioribus, ceterisque Cisterciensis Ordinis Fratribus, in generali eorumdem Capitulo congregatis, Otto de Cycconis, Dominator Karysti in Imperio Romano, salutem, & tam sanctæ Congregationis apud Deum intercessionis gratiam promereri. Si nobis in hujus sæculi fluxu labentibus amicos de iniquitatis mammona facere consulit Magister infallibilis æquitatis, quos in æternorum distributione donorum inveniamus amicabiles receptores; quales profectò existimet quis futuros de sanctitatis thesauris acquisitos? Cùm itaque (sicut ex attestatione serenissimi Domini nostri Balduini Imperatoris Constantinopolitani, ex cujus munificentia liberali ad manus nostras pervenit portio muneris pretiosi pro certo constat) penes nos haberemus brachium illius venerandissimum, cujus præclaræ vocis tonitruum nobis intonuit, & dextræ manus digitus Redemtorem mundi sæculo demonstravit, & talis tantique thesauri nos custodes reputaverimus, non tam idoneos quàm indignos, sacratissimique Ordinis vestri matrem, domum scilicet Cisterciensem, quam affectione speciali diligimus; fidelissimam thesaurariam tantæ rei merito inibi conversantium nullatenus ambigamus. Magnum hoc & gloriosum munus ipsius custodiæ duximus committendum, brachium ipsum aurea theca tectum, & in argentea capsa reconditum trecentorum ypperorum

Digitized by Google

petio æſtimatis, per venerabiles viros de Bella Valle, & de Dalphineto, Ordinis veſtri Abbates, latores præſetium tranſmittentes, ac ſpeciali devotion e poſcentes, ut tam præclaræ poſſeſſio margaritæ honore dèbito conſervata virtutis ſuæ gratiam obtineat, & gloriam dignis exculta laudibus aſſequatur. Denique nos & conſortem tori noſtri Dominam felicem ac liberos noſtros Congregationi veſtræ ſanctiſſimæ, qui Salvatorem mundi eo meruit habere propitium, quo in ejus nomine congregata, ſudores & labores ſuos ipſius ſancto ſervitio noſcitur conſecraſſe, recommendamus nos humiliter & devotè, per Dei miſericordiam obſecrantes, quatenus contra lapſus noſtros & diſcrimina innumeraque pericula quibus inceſſanter urgemur, opponatis ſanctarum orationum veſtrarum fortiſſima munimenta, quibus & hìc à noxiis protecti, remiſſionem percipere delictorum, & in futuro cum ſanctis omnibus ad æternæ vitæ gaudia pertingere mereamur, illum in decore ſuo regio conſpecturi, quem ad redemtionis noſtræ myſterium venientem in carne mortalem primus ipſe præco mortalibus prædicavit. Datum in Romania, in civitate Nigro-Ponte, anno Domini M.CC.LXIII. vndecimo Kal. Aprilis.

Item tranſſcriptum litterarum ſcriptarum in Gallico ſereniſſimi Domini Balduini Dei gratia Imperatoris Conſtantinopolitani, per quas ipſe Brachium beati Johannis Baptiſtæ cum capſella argentea & theca aurea nobili viro Domino Ottoni de Cycons, Karyſti Dominatori, conceſſit, contulit & quitavit perpetuò ſub hac forma:

NOs Balduins par la grace de Dieu tres-feiaux Empereres de Dieu coronez, goveirneres de Romanie & toztens accreſſans, faiſons à ſçavoir à touz cels qui ces preſentes lettres verront, que com noſtre amez nobles homs Ottes ſires de Cycons & de la Ca-

Digitized by Google

riſte nos euſt preſte à noſtre requeſte por la grant neceſſite de nos & de noſtre Empire v. mill. pres ſur nos gages, leſquex Niquefores * noſtre meſſages li delivra de par nos, il nous en a fait aſſez de grace & de bonte de latendre, & de garder les outre lou terme que il nos dona, de quoi nos li ſavons bon gre. Nos por ce que ne ſumes pas aiſie de rachater cels devant diz nos gages dou devant dit Monſeignour Otte, ne de faire à faire à lui ſatisfaction de la dette preſentement, & por ce que nos ne volons que il en ait plus des hors en avant grevance de garder & tenir les devant diz gages & deſette de ſon paiement, quitons au devant dit Monſegnour Otte, & à ſes hoirs perpetuemant por nos & nos hoirs les devant diz gages, à faire ſa volonte come de ſa propre choſe, ſenz rapeler ne de nos, ne de nos hoirs en nul temps. Et en teſmoignage de cette choſe nos avons done au devant dit Monſeignour Otte, ces preſentes lettres ſeellees de noſtre ſeel & ſeignies de nos imperiaux enſeignes. Ces lettres furent donee a Athenes en lan de la Incarnation noſtre Seigneur MCC. & LXI. ou mois dOctobres, ou XXII. an de noſtre Empire.

* *id eſt* Nicephore.

Item exemplar litterarum antedicti nobilis viri Domini Ottonis de Cyconiis, Karyſti Dominatoris, quas miſit Abbati & Conventui Ciſtercii, & etiam Capitulo generali, de donatione quam fecit eidem Domui Ciſtercii de brachio ſupradicto B. Johannis Baptiſtæ in hæc verba:

VENERABILIBUS in Chriſto Patribus Domino Abbati Ciſtercii, totique Conventui ejuſdem loci, ac univerſis Abbatibus ipſius Ordinis ad ſuum Capitulum celebrandum inibi congregatis, Otto de Cyconiis, Karyſti Dominator, cum ſui reommendatione reverentiam debitam & devotam. Pretioſo theſauro quæritur locus tutus & pretioſus, fons laudabilis animæ

mæ sitienti, arbori stabili, stabile fulcimentum & robustum brachium, ut gravi casui obvietur. Hinc licèt non meis meritis illuminante luce, quæ omnem hominem in hunc mundum illuminat venientem, me noscens arborem debilem, ut ceteri mortales in morte casuram, & ideo ad Austrum, non ad Aquilonem pendere desiderans, ut post casum corporis aliquando transplanter in horto cæli vestri, cunctorumque Fratrum vestrorum, quos super angulos mundi plantavit dextera Præpotentis, ut suis humeris portent orbem, ac sanctæ vitæ fulgoribus illuminent omnem terram, humiliter & devotè postulo totis viribus, toto conatu cordis, diligentique affectione suffragia tam in vita, quàm in morte, mihi, uxori meæ ac filiis, animabus quoque parentum & propinquorum meorum defunctorum, omnibusque propinquis meis præsentibus & futuris, & amicis meis, concedi misericorditer & communicari, ut totius Ordinis vestri beneficiorum participatione usque in finem in plantario formatæ fidei fulciar, & ipsorum suffragiorum brachio cunctorum inimicorum impugnatione defensus, finaliter inveniar efficaciter sustentatus. Ad cujus devotionis argumentum piæ postulationis effectum, & memoriale perpetuum, offero Monasterio vestro Cistercii loco tuto & pretioso pretiosum thesaurum, Brachium B. Johannis Baptistæ in theca aurea & capsella argentea, quæ sunt ypperis trecentis appretiatæ. Hoc si quidem brachium habui priùs in pignore ab Imperatore Constantinopolitano, postmodum idem Imperator ipsum liberè & propriè ac totaliter mihi concessit, ut inde facerem, tamquam de re propria, velle meum, sicut in ejusdem Imperatoris litteris patentibus cum Bulla pendente (quas vobis transmitto cum præsentibus) continetur. Quod (inquam) brachium baptizavit appendentem tribus digitis molem terræ, baptizantem in Spiritu sancto & igni, Dominum scilicet Jesum Christum in stupentis unda Jordanis, splendorem gloriæ radiumque Solis, qui me dignetur unà vobiscum in splendore cæli & consortio

spirituum beatorum beatificare sua perpetua visione. Datum apud Nigropontem, anno Domini M. CC. LXII. XII. Kal. Aprilis.

Ex registro Capitulorum Gen. Ord. Cist.

Anno Domini M. CC. LXIII. in Capitulo Generali Ordinis Cister. facta fuit diffinitio tenoris sequentis:

Abbati de Delphino, qui in deportando de Græcia ad Domum Cistercii gloriosissimas Reliquias, videlicet Brachium S. Johannis Baptistæ, non modicùm laboravit, volens Generale Capitulum facere gratiam specialem, concedit eidem, quòd quamdiu in dicta Domo abbatisaverit, eo tantùm venire termino teneatur, quo Abbates Syriæ venire solent ad Capitulum generale.

Charta, sive Vidimus *Domni Johannis Episcopi Cabilonensis, de prædictis tribus litteris, acta anno Domini* 1442. *more Romanæ Curiæ*, 25. *mensis Aprilis.* Cetera non habemus.

Añа. Perpetuis nos, Domine, S. Johannis Baptistæ tuere præsidiis, & quantò fragiliores sumus, tantò magis necessariis attolle suffragiis. ℣. Fuit homo missus à Deo. ℟. Cui nomen erat Johannes. *Oremus.* Omnipotens sempiterne Deus, qui præsentem Ecclesiam honorabilem fecisti Dexteræ B. Johannis Baptistæ præsentiâ, concede propitius, ut ipsius virtute defensi, mereamur ab hostibus mentis & corporis liberari: Per Christum Dominum nostrum.

Christi Baptista, thalamus tuus est domus ista:
Nos igitur dextra tua protegat intus & extrà.

Digitized by Google

Littera regia per quam concedit Dominus PHILIPPUS *Prælatis & perſonis Eccleſiaſticis Regni, quòd acquiſita pacificè teneant.*

Communicavit D. d'Herouval.

LVII. PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, dilecto & fideli noſtro Epiſcopo Lingonenſi ſalutem & dilectionem. Quia Flamingorum rebellium noſtrorum nefanda perverſitas magis ac magis cotidie invaleſcens, ad ſubverſionem, deſtructionem & excidium Regni noſtri aſperiùs ſolito ſuæ malignitatis conatus exponit, adeo quòd ipſi nuper ad civitatem Morinenſem, & nonnullas alias villas & loca Morinenſis, Attrebatenſis & Tornacenſis Diœceſis cum multitudine ſatellitum hoſtiliter accedentes, beatæ MARIÆ Morinenſis, & aliarum villarum & locorum prædictorum Eccleſias ipſius Virginis, & aliorum Sanctorum imagines eruentes in eis, ipſorum reverentiâ penitus retrojectâ, & Domini timore poſtpoſito, nefandis auſibus & temeritate ſacrilega ignis incendio concremarunt, ac civitates, villas & loca prædicta per depopulationes & cædes, depoſita omni humanitatis manſuetudine totaliter deſtruxerunt, nec Deo, nec homini, nec perſonæ, nec dignitati aliquatenus deferentes, nec ſexui, nec ætati parcentes: Nos ad defenſionem neceſſariam dicti Regni Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, ac prædictorum rebellium conterendam ſuperbiam, àc ulciſcendos exceſſus & alios compeſcendos, totis, ut condecet, ſtudiis intendentes: noſque cum Baronibus & fidelibus aliis noſtris, & ingenti, ſicut res exigit, gentis armigeris commitiva ad partes illas propter hoc perſonaliter conferentes; quia pro negotio defenſionis hujuſmodi importabilia ſubire continuè nos oportet omnium expenſarum, dilectos & fideles noſtros nonnullos Archiepiſcopos & Epiſcopos dicti Regni ad noſtram propter hoc præſentiam ſpecialiter evo-

An. Chr. 1303.

Digitized by Google

catos requiri fecimus; ut nobis in subsidium hujusmodi expensarum decimam nobis olim cum dimidia decima ab eis & aliis Prælatis sub certa forma pro dicti Regni defensione concessam, præsentialiter exhiberent prædicta dimidia decima alio congruo tempore persolvenda; ipsi verò necessitates & omnia quæ incumbunt, debitis considerationibus attendentes, tam propedictis necessitatibus, quàm pro congruis infrascriptis requisitionibus nostris in hac parte liberaliter assenserunt.

Nos autem eorum devotionem gratuitam & gratitudinem liberalem volentes grata recognitione respicere, ad eorum supplicationem, tam sibi quàm aliis Prælatis, Abbatibus, Prioribus, Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Collegiis, & aliis personis Ecclesiasticis, regularibus & sæcularibus dicti Regni, de speciali gratia duximus concedendam, quòd omnes conquestus per eos in feodis & retrofeodis, censivis & alodiis nostris factos quibuscumque temporibus retroactis usque ad diem datæ præsentis litteræ, tenere & pacificè perpetuò possidere valeant absque occasione vendendi vel extra manum suam ponendi, aut præstandi financiam pro eisdem sibi per nos vel successores nostros imposterum faciendam; quódque tam ipsi quàm alii Prælati & personæ Ecclesiasticæ, qui prædictam decimam solvunt in præsenti de veniendo vel mittendo hac vice in nostrum Flandrensem exercitum, vel finando aut præstando subventionem aliam pro eodem excusati penitus & immunes nihilominus habeantur.

Quocirca diligentiam vestram requirimus & rogamus, quatenus prædictas necessitates & omnia diligentiùs attendentes, & quòd in hoc casu causa nostra Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum dicti Regni singulariter omnium & generaliter singulorum agi dinoscitur, & proprium cujuslibet prosequitur interesse, nobis in tantæ necessitatis urgentia prædictam decimam in præsenti solvere & exhibere curetis, & ab Abbatibus, Prioribus, Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Collegiis,

Digitized by Google

& aliis personis Ecclesiasticis, regularibus & sæcularibus civitatis & diœcesis Lingonensis faciatis præsentialiter exhibere, eamque per illos per quos aliàs, necnon juxta formam & taxationem quibus aliàs colligi consuevit, fideliter colligi, & Thesaurariis Parisiensibus cum omnimodæ accelerationis instantia apportari.

Damus autem Baillivis & aliis Justiciariis nostris præsentibus in mandatis, ut personas Ecclesiasticas prædictas ad solutionem hujusmodi decimæ, si opus fuerit, ad vestram requisitionem compellant, & quod inde receperint, vobis integrè, libenter & assignent, patentes litteras vestro munitas sigillo recepturi, quid, quantum & quando vobis tradiderunt, continentes. Eisdemque Baillivis & Justiciariis mandamus nihilominus, ut si quæ de personis Ecclesiasticis prædictis in solutione hujus decimæ rebelles, quod absit, exstiterint, cuncta hæc taliter de remedio opportuno provideant, ne in tantæ necessitatis articulo ob defectum subsidii Regnum nostrum remaneat indefessum. Datum apud Longum-Campum die undecima post Assumptionem beatæ MARIÆ Virginis, anno Domini millesimo trecentesimo tertio. 1303.

Commonitorium fit Priori de Cheza * *super negotiis quæ sequuntur, expediendis in Curia, super quibus supplicandum est Domino Papæ, vel super quibus habet Prior litteras præsentare.*

Communicavit D. d'Herouval.

* *Infrà in alia epistola vocatur Petrus de Paredo, domino de Cheza, Priori de Menillo.*

Tempore Philippi Pulcri.

LVIII. PRIMÒ, ut recommendet dominum Regem, liberos suos, fratres, specialiter Regem Navarræ, Domno Papæ.

Item, ut litteræ Apostolicæ super articulis Prælatorum Domno Papæ missis reportentur, & tam super articulis ipsis, quàm super articulis à domino Rege missis, litteræ Apostolicæ patentes remittantur per Domnum Papam, ut ex eis solidi processus fundari possint.

Item advertat dictus Prior, quòd super articulis præ-

Digitized by Google

dictis dictorum Prælatorum adhuc nulla est adhibita responsio, nec super articulis à domino Rege missis in dicto negotio responsum est, nisi per litteras clausas Regi missas, quæ non sufficiunt, immo sunt necessariæ litteræ patentes Apostolicæ, quæ super omnibus dirigantur Prælatis.

Item habet dictus Prior, promovere provisionem Ecclesiæ Senonensis juxta traditam aliàs sibi formam, ac provisionem Ecclesiæ Cameracensis de Magistro Guillermo de Tria, Episcopo Cameracensi, priùs ad Ecclesiam Senonensem translato.

Item procurare dispensationem super matrimonio contrahendo inter filiam Comitis sancti Pauli, & filium domini G. de Flandria, domini Nigellæ.

Item super matrimonio contrahendo inter primogenitum Ducis Brebantiæ, & filiam domini LUDOVICI fratris Regis, Comitisque Ebroïcensis.

Item ut liceat ALBERTO de Hangesto Militi, filio Alberti de Hangesto contrahere matrimonium cum alia; nonobstante quòd se adserat olim contraxisse matrimonium per verba de præsenti cum Comitissa nunc Suessionensi, nulla tamen carnali copula subsecuta, quæ postmodum Comiti Suess. proximè defuncto nupsisse noscitur, & ab eo liberos suscepisse, nec sine gravi scandalo dictus Albertus posset vendicare in uxorem dictam Comitissam, negantem se cum eo contraxisse matrimonium, maximè propter difficultatem probationis, licèt dicta Comitissa confiteatur se verba habuisse cum dicto Alberto de matrimonio contrahendo, si placeret amicis Comitissæ ipsius, quod non placuit eis, nec placet. Super dispensatione verò prædicta pluries dominus Rex supplicavit Domno Papæ, tam ore tenus, quàm per litteras; supplicarunt etiam Domina Regina MARIA, & filius ejus Comes Ebroïcensis prædictus, quia nuper tractatus est habitus de matrimonio contrahendo inter filium dicti Comitis Ebroïcensis, & filiam heredemque Comitis Suess. prædicti. Rex instat pro dicta dispensatione, propter vitandum scan-

Digitized by Google

dalum maximè, ac etiam ſubſequenti gratia dicti matrimonii, quod de liberis prædictis tractatur.

Item ſuper diſcordia, quæ erat inter inclytum Principem SANCIUM Regem Caſtellæ, & dominum ALFONSUM, & bominum FERRANDUM fratres ipſius Regis conſanguineos, pax & concordia facta fuerit inter eos, quæ domino Regi Francorum multùm grata exſtitit, qui utriſque proximo gradu conſanguinitatis tenetur. Poſtmodum quia auctore diſcordiæ procurante iterum diſcordia fuit ſuſcitata inter dictum Regem Caſtellæ, & dictum Ferrandum; occaſione cujus Rex ipſe Caſtellæ terram & caſtra, de quibus prædictam concordiam providerat dicto Ferrando, ad manum ſuam retraxit. Supplicat dictus dominus Rex, ut Domnus Papa, qui eſt pacis amator, ſuper his provideat, ut dicta concordia renovetur, & ſuſcitata diſcordia tollatur, & dicta terra cum caſtris prædictis per Regem Caſtellæ reſtituatur dicto Ferrando; & quòd tractatum hujuſmodi Domnus Papa committat exequendum alicui magnæ perſonæ, qui diligat partem utramque, quòd inſuper Domnus Papa efficaciter ſcribat ſuper his dicto Regi Caſtellæ, ac Regibus Arragonum & Portugalæ, ut præmiſſa promoveant & fieri procurent; quibus dominus Rex Franciæ ſcribit ſimiliter: & videtur domino Regi propter multa pericula evitanda quæ ſequi poſſent, & ſic expediat præmiſſa fieri dicto Regi Caſtellæ, ſicut dicto Ferrando. Super his autem Prior de Cheza habet loqui cum Epiſcopo Sabinenſi, ut ipſe hoc aſſumat negotium, & ſcribat efficaciter dicto Regi Caſtellæ: cui domino Sabinenſi ſuper hoc ſcribit dominus Rex.

Item habet præſentare Prior de Cheza ſummo Pontifici litteras Regis, quæ ſibi mittuntur, ſuper negotio Magiſtri P. de Latilliaco, & domini G. de Plaſiano, & ſibi exponere, quæ dominus Rex ſibi oſtendit; & ſuper eodem negotio habet præſentare Cardinalibus, quæ ſuper ipſo negotio Regi ſcripſerunt, videlicet domino BERENGARIO, domino STEPHA-

Digitized by Google

NO, ac domino PRÆNESTINO.

Item habet præsentare super quodam secreto negotio non aperto litteras Regis, quæ eis mittuntur Cardinalibus, domino REMONDO, domino PRÆNESTINO, domino BERENGARIO, domino STEPHANO.

Item habet præsentare domino Berengario, domino Stephano, domino P. de Columna, Cardinalibus, litteras rescriptas super negotio termini statuti ad Concilium generale, super quo negotio dominus Rex sibi aperuit velle suum, super quo domino Regi scripserunt.

Item mem. Priori, quòd sibi mittuntur districtè gradus consanguinitatis, quibus sunt conjuncti filius Ducis Brabantiæ, & filia domini LUDOVICI fratris Regis; gradus verò consanguinitatis vel affinitatis, quibus juncti sunt filia Comitis sancti Pauli & filius G. domini de Flandria, sibi satis citò mittentur: sunt enim in gradu prohibito satis remoto.

Item habet Prior Domno Papæ exponere domini Regis intentum super negotio Fratrum Hospital. Regni Franciæ, & specialiter nationis Francorum, quorum status & honor est ipso ordine quamplurimum diminutus, & in ordinatione particularis passagii pro Terræ Sanctæ negotio retardatus. Super quo negotio litteræ Regis dirigendæ, tam domino Papæ quàm Magistro & Fratribus dicti Ordinis satis citò Priori mittentur, quas ipse opportuno tempore præsentabit.

Item exponat Prior Papæ & Magistro Hospitalis, qualiter Rex malè contentus est de dicto Magistro, eo quòd ordinationem particularis passagii non significavit Regi, nec deliberationem habuit cum eodem; & licèt se excusaverit Magister prædictus frivola excusatione, quòd in recessu suo de Pictavis ordinationem scriptam dimisit domino G. de Plasanio Regi tradendam, quam Rex postea numquam vidit, & dictus dominus G. ab eo recessit, nisi solùm quamdam cedulam scriptam, non clausam, nec sigillatam, quam quidem Procurator

Digitized by Google

curator Hospitalis sibi ex parte Magistri tradidit ; de qua idem dominus G. non curavit , quia taliter tradebatur , nec excusationem habet Magister, quominus postquam certificatus fuit per litteras Regis super hoc ante Nativitatem Domini ; postea de ordinatione passagii domino Regi intimare curavit , cùm postea venerint Parisius Prior sancti Ægidii & alii Fratres.

Item malè contentatur Rex de Magistro prædicto, quia suo tempore, & specialiter in ordinatione passagii contra consuetudinem Ordinis vituperavit & diminuit honorem Regni, ex quo majus quàm aliunde intendit habere subsidium, & specialiter in duobus , quia cùm sex-viginti Fratres nationis Franc. esse consueverint in Conventu Hospitalis ultra mare , modò non sunt nisi duodecim vel circa, & cùm tot equites in hoc particulari passagio aliunde assumat , de natione Franc. non assumit nisi paucos , scilicet quinquaginta vel circà. Exponat igitur Prior domino Papæ , ac insuper dicto Magistro , quòd voluntatis Regis esset , ut numerus Fratrum nationis Franc. reintegretur in Conventu ultramarino , & huic particulari passagio quod instat, Domino concedente, agendum ; tales præponantur , de quibus Rex possit confidere, & tam de personis eorum, quàm de pecuniis Regni Franciæ prudenter & fideliter erogandis ad usum destinatum ; & de litteris voluerit Rex certus esse : aliter ipse providebit , prout Dominus sibi ministrabit, juxta modum pristinis temporibus observatum. Ostendaturque Domno Papæ, quòd Rex non vult divisionem linguarum facere in Ordine supradicto; sed si velint Regni beneficiis gaudere, non permittet nationem Francorum in Ordine ipso postponi per Fratres Ordinis memorati. Instet ergo Prior apud dominum Papam, quòd in dicto Ordine non fiat divisio, & quòd nationi Franciæ debitus honor servetur, sicut est hactenus consuetum, & hoc particulare passagium ad laudem Dei sanctæque matris Ecclesiæ, ac sine detractione honoris Regis & Regni Franciæ taliter ordinetur , quòd Rex ipse debeat contentari ; &

Digitized by Google

tot & tales de Fratribus Regni Franciæ ad hoc passagium assumantur, quòd Rex possit confidere de eisdem. Et hæc omnia Prior exponat domino Papæ, dicto Magistro & Fratribus sui Ordinis, qui debent apud Avinionem in proximo convenire, & super his in proximo mittentur sibi litteræ, quas Domno Papæ, dictisque Magistro & Fratribus præsentabit.

Item habeat in memoria Prior exponere dictis Magistro & Fratribus injuriam & damnum, quas intulit Thesaurarius Hospitalis Franciæ Priori Franciæ. Procurante enim Priore sancti Ægidii recessit & aufugit cum tota pecunia Prioris, congregata pro passagio particulari, & cum alia pecunia mercatoris deposita in domo Hospitalis Paris. Petatur ergo & remittatur dominus Thesaurarius Parisius, ut ibi respondeat de prædictis, dictaque pecunia per eum asportata, dicto Priori restituatur pro negotio supradicto.

Item habet dictus Prior loqui domino Papæ de negotio decimæ per eum domino Regi concessæ, ut litteræ executoriæ prorsus inutiles emendentur, juxta modum in aliis decimis consimilibus consuetum: quæ litteræ executoriæ sibi mittentur celeriter per nuntium de Camera Compotorum, vel alium idoneum.

Memoria sit Priori de Cheza, quòd litteræ Apostolicæ executoriæ super decima per dominum Papam domino Regi concessa, quæ litteræ diriguntur Archiepiscopis Narbonensi, Rotomagensi, & Magistro Gaufrido de Plex. domini Papæ Notario, sunt in pluribus defectivæ, & per consequens inutiles, nisi per Summum Pontificem corrigantur: sunt enim propter conditiones diversas adjectas prorsus inutiles; & forma in eis contenta est nova, non solita, nec secundùm stylum in aliis decimis per alios Summos Pontifices concessis servatum.

Primò continetur in eis, quòd exsecutores decimam imponant de consilio Ordinatoris, & duorum Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium, &c. Cùm tamen nullius consilium sit necessarium, cùm secundùm anti-

Digitized by Google

quam decimam fiat taxatio, nisi eo casu quo Ecclesiarum facultates auctæ essent, vel diminutæ, propter quod esset opus nova taxatione.

Item præcipitur in litteris eisdem exsecutoribus, quòd ipsi in personis suis habeant circuire Regni Provincias propter hoc; quod est impossibile.

Item præcipitur eis & imponitur difficultas in personis eligendis eorum, per quos decimam levabunt.

Item præcipitur eis, quòd strictam rationem exigant à substituendis per eos, & quòd ipsi * rationem reddant: cùm tamen soli Regi, vel gentibus suis, cujus est decima, seu ejus emolumentum, ratio reddi debeat; non autem domino Papæ, nec est fieri consuetum.

* Papæ

Item novitas & difficultas inducitur in juramento & ejus forma, quod collectores præcipiuntur præstare.

Item dominus Papa onerat super omnibus conscientiam exsecutorum, cùm tamen postquàm ipsi dederint idoneos substitutos, prorsus exonerati consueverint esse, nisi aliquis de substitutis querelam referret; quo casu deberet facere jus de eisdem.

Item consuetum est dari exsecutoribus potestatem absolvendi à sententiis excommunicationis, interdicti, latis contra non solventes, cùm tamen obediunt, sunt absolvendi ab irregularitate, si forsan ex ea causa aliquis incidit in eamdem.

Item cùm decima conceditur tertii anni, non potest eodem anno tota levari, immo plerumque superest major pars ad solvendum propter impedimenta non solventium. Cum magna namque difficultate decimæ hujusmodi exiguntur, quinimmo hodie de præcedentibus decimis diversorum Paparum maximæ quantitates domino Regi debentur; nec enim potest homo honestè personas Ecclesiasticas sic atrociter coercere, sicut sæculares personas, quæ per captionem personarum in debitis talibus coercentur, nec umquam cum coercione sententiarum possent Commendæ * coerceri, nisi adesset manus brachii sæcularis: appellant

* f. Communiæ, *Gal.* *Communauté*

enim, & sententias sustinent. Quare omnia remedia sunt necessaria, & nihilominus ut cùm postmodum obediunt, à sententiis absolvantur & ab irregularitate, cùm in ea incidunt; vel numquam venirent ad obedientiam plenam. Cùm igitur in litteris prædictis executoriis scriptum sit, quòd eodem anno, cujus decima conceditur, decima illa levetur, quod est impossibile, & aliter esset damnosum Ecclesiis multis & personis Ecclesiasticis, quæ precedentium annorum arreragia multa debent, est necesse quòd clausula illa tollatur, si dominus Papa vult gratiam suam effectum habere.

Quid plura? videatur in antiquarum decimarum litteris executoriis, qualiter difficultates hujusmodi non continentur in eis. Expedit ergo, decet etiam dominum Summum Pontificem, ut prospiciat super istis, & difficultates amoveat, & defectus suppleat, quibus gratia per eum concessa esset aliàs inutilis.

Eruit D. d'Herouval.

PHILIPPUS *Pulcher Francorum Rex, ob victoriam in Flandria relatam, centum libras annuatim persolvendas tribuit Ecclesiæ Carnotensi.*

An. Chr. 1304.

LIX. PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, ad perpetuam rei gestæ memoriam. Si Regnum Franciæ quod à priscis temporibus divina stabilivit potentia, multisque ditavit beneficiis, & honoribus decoravit, novissimis temporibus, doli Sathan adinventor, persecutor pacis, & totius malitiæ seminator, invidens quòd Regnum ipsum virtus divina sic vallasset per circuitum, in Flandriæ partibus, Domino permittente, tetigerit, subditosque nostros partium earumdem in superbia & abusione contra nos fecerit nequiter rebellare, ipsosque totius incentor nequitiæ sic in sua rebellione firmasset, ut cogitantes iniquitates pessimas in corde tota die nobis constituerent prælia, ita ut Ecclesiis

Digitized by Google

ac aliis ſacris locis, villis & aliis regnicolarum habitationibus circumpoſitis ſummæ vaſtationis jacturæ deditis, per eoſdem plures nobiles & alias perſonas Regni ejuſdem, quod gravius eſt, hujuſmodi causâ rebellionis mors amara rapuerit, nec in his averſus eſſet furor eorum, ſed potiùs ſemper eorum ſuperbia aſcendiſſet.

Tandem immenſa Chriſti pietas ſuæ glorioſæ matris MARIÆ Virginis piis provocata precibus, ad Regnum ipſum, cujus regimen nobis miſeratio divina commiſit, cor paternum reflectens, videns inimicorum nequitiam multam nimis & cor eorum impœnitens, nos cum fideli exercitu Gallicano ad faciendam vindictam in natione illa Flandriæ contra rebelles ipſos ſub fortis manus ſuæ tegumento direxit, nobiſque menſis Augusti die decima octava, die Martis poſt feſtum Aſſumtionis ejuſdem Virginis, in loco qui *Mons in Pabula* nominatur, contra ipſos ad nos in contumaci multitudine venientes ad pugnam conſcenſis, placuit Altiſſimo poſt longam cum inimicis prædictis dimicationem, eos in ventum ſuperbiæ altiùs elevatos ad ima dejiciendo potenter elidere, eiſque cum pluribus ipſorum ductoribus & capitaneis in mortis laqueum per noſtrum & ejuſdem noſtri exercitus miniſterium ſub potenti Domini manu deducere, & glorioſum de ipſis nobis præbere triumphum. Sicque mirabilis Deus mirabiliter pro nobis voluit operari, ut meritò dici poſſit illam à Domino & non ab homine victoriam factam eſſe.

Quapropter nos in humilitatis ſpiritu confitentes Domino, eique & ſacratiſſimæ Genitrici illius devotæ laudis ſacrificium offerentes, regratiamur ei, qui ſedens ſuper thronum judicavit cauſam juſtitiæ Regni ſui. Et ut Dominus, qui tamquam vir pugnator delevit impios ante faciem noſtram, in ſuis laudetur operibus, ejuſque non obliviſcantur mirabilia, & beatiſſima Virgo mater ejus MARIA de præſtito nobis per ejus ſuffragia filii ſui auxilio honoretur: nos ad laudem & gloriam ejuſdem Domini noſtri & beatæ MARIÆ Vir-

Digitized by Google

ginis genitricis ejus, Eccleſiæ Carnotenſi in ipſius Virginis glorioſæ honore fundatæ, centum libras Pariſienſes annui & perpetui redditus ob noſtram & cariſſimæ conſortis noſtræ Johannæ Franciæ Reginæ & liberorum noſtrorum ſalutem, pacem & tranquillitatem Regni noſtri, noſtrorumque fidelium ſubjectorum, concedimus ab ipſius Eccleſiæ Decano & Capitulo nomine dictæ Eccleſiæ habendas, tenendas & poſſidendas liberè & pacificè in perpetuum, abſque coactione vendendi vel extra manum ſuam ponendi, & abſque præſtatione financiæ cujuſcumque, capiendaſque in Theſauro Pariſius ſingulis annis in feſto dominicæ Aſcenſionis, donec eas in locis & rebus competentibus duxerimus aſſidendas. Volentes & ſtatuentes, quòd dictæ centum libræ Pariſ. videlicet Canonicis duæ partes ac Vicariis, Capellanis, & aliis quibuſcumque perſonis in choro ipſius Eccleſiæ exiſtentibus, qui in primis Veſperis dictæ diei Martis, in Matutinis & ſolemni Miſſa diei Martis prædictæ intererunt; reſidua tertia pars diſtribuantur juxta conſuetudinem Eccleſiæ memoratæ.

Quod ut ratum permaneat, præſentibus litteris noſtrum fecimus apponi ſigillum. Actum in caſtris prope Inſulam, anno Domini M. CCC. quarto, menſe Septembri.

Eruit D. d'Herouval.

PHILIPPUS *Pulcher attribuit fratri ſuo* LUDOVICO *Comitatus, Baronias, &c. quindecim millia librarum Turonenſium annui reditus.*

An. Chr. 1307.

LX. PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus univerſis, tam præſentibus quàm futuris, quòd cùm nos tam ex donationibus & aſſignationibus per inclytæ recordationis dominum & progenitorem noſtrum Philippum, quondam Regem Francorum, quàm per nos factis cariſſimo fratri noſtro LUDOVICO, teneremur eidem fratri noſtro aſſidere

Digitized by Google

in terra cum nobilitate & Baronia quindecim millia librarum parvorum Turonensium, annui & perpetui redditus, per eumdem fratrem nostrum & successores suos in perpetuum ex suo corpore descendentes hereditariè possidendas, nosque dudum per dilectos & fideles JOHANNEM Choiselli & JOHANNEM Venatoris Milites nostros, informationem fecissemus fieri diligentem, de valore eorum quæ habebamus in civitate & Præpositura Ebroïcensi, in castris & Præposituris de Albiniaco, de Giemo super Ligerim, de Feritate Alesis, de Stampis, de Dordano, de Meullento, & dictorum locorum & Præpositurarum pertinentiis, in quibus civitate, castris, locis & Præposituris assidere dictum annuum redditum dicto fratri nostro volebamus, facta nobis diligenti relatione per dictos Milites de æstimatione per ipsos facta de consilio proborum hominum, quantum dicta civitas cum dictis aliis castris & locis, & eorum Præposituris & pertinentiis valebant in annuo redditu pro assisia terræ facienda, vel valere debebant: dictum annuum redditum dicto fratri nostro in locis prædictis assidemus in hunc modum.

In primis facimus dictum fratrem nostrum Comitem Ebroïcensem, & tradimus & assidemus sibi civitatem, Præposituram & Castellaniam Ebroïcensem cum earum pertinentiis, prout dicta Castellania terminabitur, & declarabitur scita veritate valoris dictæ Castellaniæ & omnium subscriptorum cum castro, redditibus, forestis, ceterisque domaniis & juribus, feodis, retrofeodis, & homagiis, ac jurisdictione alta & bassa, & omnibus aliis ad nos & Comites Ebroïcenses quondam in dictis civitate & Præpositura, ac earum pertinentiis pertinentibus. Quæ omnia sibi in Comitatu & Baronia assignamus & assidemus, pro sex millibus sexcentis viginti septem libris, novem solidis & tribus denariis Turon. deducuntur pro feodis, elemosynis & expensis, quadringentæ viginti septem libræ, decem & octo solidi, & novem denarii Turon. Et sic prædicta assidemus sibi, deductis prædictis elemosynis, feodis

Digitized by Google

& expensis dictæ Præpositurę pro sex millibus centum octuaginta decem & novem libris, undecim solidis & sex denariis Turon. exceptis & retentis nobis & successoribus nostris Regalibus, ressorto, superioritate immediata & garda Episcopi, & Capituli & Ecclesiæ Ebroïcensis, & terrarum, & feodorum, & retrofeodorum suorum, placito de spata in terris eorum supradictis antiquis, & aliis per ipsos de novo acquisitis, & per nos admortisatis, antequam prædictam terram tradidissemus eidem fratri nostro.

Item assidemus & tradimus sibi Præposituram de Albigniaco, cum tota Parrochia & villis d'Oison & de Climont, & earum pertinentiis modo & forma præmissis, pretio nongentarum sexaginta sex libra. decem solidorum & novem denariorum Turon. de quibus deducuntur pro feodis, eleemosynis & expensis centum una libr. Tur. & sic assidentur sibi prædicta pro mille & octingentis sexaginta quinque libris, decem solidis & octo denariis Turon.

Item assidemus & tradimus sibi modo & forma præmissis castrum cum Præpositura de Giemo supra Ligerim & ejus pertinentiis, cum ressorto villarum de Oratorio super Trisiam, villarum de Briarra, Danne Marie in Pezoia, Brechau, sancti Romani, Lavoy, Alopin, Dampierre, in Broilli, retentis nobis & successoribus nostris Regibus Franciæ garenna grossarum bestiarum in nemoribus de Voure *en Lopin* & de *Dampierre en Brechi, la Buissiere*, quantum pertinet ad Robertum de Sacro-Cæsare, & ad dominam de Montrezer, Satesonges & Arreblayo, & feodis, & retrofeodis, ac domaniis Comitissæ de Barro. Quæ omnia sibi assidemus pro duobus milibus sexaginta decem libris, quatuordecim solidis, & duobus denariis Turon. deductis pro expensis, feodis, & elemosynis centum quadraginta septem libris & viginti denariis Turon. Et sic restat quòd assidemus ea sibi pro mille nongentis viginti tribus libris, duodecim solidis & sex denariis Turon.

Item

Digitized by Google

Item assidemus & tradimus sibi modo & forma præmissis locum & Præposituram de Feritate Alesis, exceptis & retentis nobis feodis, retrofeodis & domaniis, homagiis, ressorto, & alta justitia eorumdem quæ dilectus & fidelis JOHANNES de Bovilla, dominus Milliaci, Miles & Cambellanus noster, & fratres sui habent in dicta Castellania, & in Castellaniis infrà scriptis de Stampis & de Dordano. Quæ omnia sibi assidemus pro quingentis quinquaginta una libris, decem & septem solidis & octo den. Turon. deductis pro expensis, feodis & eleemosynis quadraginta tribus libris & tredecim solid. Turon. Et sic sibi assidentur pro quingentis octo libris, quatuor solid. & novem denar. Turon.

Item assidemus & tradimus sibi modo & forma præmissis villam, Præposituram & Castellaniam de Stampis, cum omnibus earum pertinentiis, exceptis & retentis nobis pluribus villis quæ olim fuerunt de ressorto Præposituræ de Stampis, & nunc sunt de ressorto Præposituræ Aurelianensis, & prædicta sibi assidemus pro duobus millibus quingentis libris, centum duodecim solidis & quinque denar. Turon. deductis pro expensis & eleemosynis, sexcentis quatuordecim libris, sexdecim solidis & sex denariis Turon. Et sic restat quòd assidentur sibi pro mille octingentis octuaginta decem libris, quindecim solidis & novem denariis Turon.

Item assidemus & tradimus sibi modo & forma præmissis castrum & Præposituram de Dordano cum eorum pertinentiis pro mille ducentis sexaginta libris decem & octo solidis, & novem denariis Turon. deductis pro expensis viginti quinque solidis Turon. Restat quòd sibi assidentur pro mille ducentis quinquaginta novem libris, duodecim solidis & novem denariis Turon.

Item assidemus & tradimus sibi modo & forma præmissis Præposituram de Meullento, Præposituras de Vaus, de Texancourt, & Davenes. Item *les Griages* Castellaniæ de Meullento, excepto incremento quod extenditur in feodis & retrofeodis, & tenementis *de Larche*, & Ca-

stellaniæ de Beaumont, de Domon, de Mente usque ad rippam d'Este, & ab inde in antea, juxta antiquam calciatam, quod est juxta calciatam Juliani Cæsaris usque extra Telhe, & ab inde usque ad dictum Domon, prout Castellania de Meullento dividitur de dicto incremento. Et prædicta sibi assidentur pro mille septingentis septuaginta novem libris, quinque solidis & quinque denariis Turonens. omnibus expensis deductis.

Summa valoris omnium particularium summarum assisiæ prædictæ, quindecim millia quadringentæ viginti-septem libræ, tres solidi, & octo denarii Turonenses. Restat quòd frater noster prædictus & ejus successores tenebuntur reddere & solvere singulis annis executoribus Choleti, & aliis feodis & eleemosynis in Castellania de Meullento quadringentas viginti-septem libras, tres solidos & octo denarios Turon. Et nos & successores nostri Reges Franciæ reddemus & solvemus residuum de quo est onerata Castellania de Meullento. Retinemus tamen nobis & successoribus nostris Regibus Franciæ prædictis omnibus, civitate, Comitatu, castris, Castellaniis, Præposituris, villis & earum pertinentiis superiùs expressatis & assignatis dicto fratri nostro, superioritatem, ressortum & homagium-ligium, & omnia Judæorum bona, quæ habebant Judæi ipsi tempore expulsionis eorum. Justitiam, gardam, ressortum, & superioritatem omnium Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum, & quorumcumque aliorum in personis & bonis eorum, qui sunt privilegiati à nobis, vel nostris prædecessoribus Regibus Franciæ, quòd de manu nostra separari non possint, ac etiam omnium Ecclesiarum Cathedralium Regni nostri, in personis, bonis & juribus eorumdem, si quæ habent ab antiquo in terris prædictis, vel quæ de novo admortizata tenent à nobis, vel prædecessoribus nostris.

Et est actum inter nos & dictum fratrem nostrum, quòd iterum scietur veritas de valore omnium eorum

quæ specialiter æstimata fuerunt per dictos Milites, & tradita olim per alias nostras litteras dicto fratri nostro, ac etiam aliorum jurium, domaniorum, feodorum, & retrofeodorum, ac gardarum, quæ habemus, & habebamus tempore dictæ æstimationis in dictis Comitatu, Castellaniis, castris, Præposituris, locis eorumque pertinentiis, & circumstantiis quibuscumque, quæ non fuerunt per dictos Milites æstimata, nec nobis tenuerunt locum in assisia prædicta. Et scita veritate de omnibus, dictus frater noster illa quæ aliàs æstimata non fuerunt, tenebitur pro æstimatione recipere competenti, & id quod dicta æstimatio quantitatem quindecim millium librarum Turon. prædictam excedet, recipere tenebitur in deductionem & acquitationem ceterorum reddituum quos sibi assidere tenemur, prout in nostris super hoc confectis litteris pleniùs dicitur contineri. Et tunc alias certiores litteras eidem fratri nostro fieri faciemus de assisia supradicta. Quibus factis, istæ & aliæ quas dudum fecimus litteræ, in quibus continentur particulæ æstimatæ assisiæ supradictæ, adnullabuntur omnino: salvo in aliis jure nostro, & in omnibus alieno. Quod ut ratum & stabile perseveret, præsentibus litteris nostrum apponi fecimus sigillum. Actum Pissiaci anno Domini millesimo trecentesimo septimo, mense Aprilis. De mandato domini Regis. Per G. de Plasiano.

PHILIPPUS *Valesius* JOHANNI *filio suo primogenito emancipato confert Ducatum Normanniæ, & Comitatus Andegaviæ & Cenomaniæ.*

Erat D. d'Herouval.

LXI. PHELIPPE par la grace de Dieu Roy de France, savoir faisons à tous presens & advenir, que comme en grant conseil & deliberation sur les choses cy apres escriptes & chascune dicelles, considerans les exemples de plusieurs Roys nommez en

An. Chr. 1331.

Digitized by Google

la sainte Escripture, & d'aucuns de noz predecesseurs Roys de France, & de plusieurs autres Roys. Voulans à lonneur de Dieu, & pour le bien commun de nostre Royaume pourveoir pour le temps present & advenir au gouvernement de nostre tres-chier filz JEHAN de France, lequel apres nostre decés, quant Dieu plaira, doit estre Roy de France, & veoir aussi, comme nous desirons, que il se gouverne bien es mendres choses, qui lui seront baillées, que il saiche mieulx apres gouverner les plus grans choses & le Royaume de France, quant il plaira à Dieu qu'il y viengne.

Audit nostre chier filz JEHAN de France present & recevant, lui premierement par nous emancipé, & aagé, & sur son aage dispensé quant à ce & à toutes autres choses, de nostre liberalité royal, & pour bonne & justes causes, touchant la paix & la seurté de nostre Royaume, qui à ce faire nous ont meuz: Avons donné & donnons, baillé & baillons plainement & entierement la Duchié de Normandie, & les Contez d'Anjou & du Maine, avecques toutes honneurs, noblesses, Justices haultes, moiennes & basses, fiefs, hommages, droiz & appartenances, quelles que elles soient, aux charges qui y sont. A tenir lesdites choses de nous à vng fié, & vng hommage-lige & en Parrie par ledit JEHAN nostre filz, lequel nous en avons fait & faisons Per de France, avec tous droiz & honneurs de Parrie, lequel fié & hommage-lige à tenir de nous en Parrie, & le droit du service du fié, & nostre ressort, & souveraineté royal, nous y retenons, & voulons que tantost apres le decés dudit Jehan nostre filz, ait enfans, ou non, ladite Duchié de Normandie retourne & reviengne entierement & parfaitement à nous, se nous survivions à luy. Et ou cas, ouquel nous serions lors trespassez de ce siecle, ladite Duchié retournera & appartiendra à celuy qui sera Roy de France, & à la Couronne, & au Royaume perpetuellement, sans estre jamais deslors en avant departie, ne desseurte * dudit Royaume.

*f. desseurée, id est, separée

Et se ledit Jehan nostre fil trespassoit de cest siecle, nous seurvivant à lui, & de lui ne demeurast hoir masle, mais seulement fille ou filles: en celui cas les Contez d'Anjou & du Maine revenront à nous & au Royaume de France. Et la fille si elle estoit seule, ou l'aisnée, se il y en avoit plusieurs, emporteroit sept mile livres tournois de terre, ou de rente à la valuë de terre. Et la seconde auroit deux mile livres de terre, & cinquante mile livres tournois pour une fois. Et la tierce aura mile livres de terre, & quarante mile livres tournois pour une foiz. Lesquelles sommes dargent, nous se nous vivons, ou celui qui sera Roy de France apres nous, seront tenuz à paier, & asseoir & bailler en lieux bons & convenables lesdites terres, & de ce chargons, & voulons estre chargiés nous & noz successeurs Roys de France. Ne plus grant droit ne pourroient lesdites filles demander, ne avoir en la succession dudit Jehan nostre filz. Car en celui cas les Comtez dAnjou & du Maine revenront au Royaume de France.

Et à plus grant fermeté des choses dessusdites avons receu ledit Jehan nostre filz en nostre foy & hommage desdites Duché, Contez & Parrie. Et voulons & commandons à tous Prelats, Ducs, Contes, Barons & autres nobles & non nobles, & à toutes manieres de gens desdits Duchié & Contez, de quelque condition qu'ils soient, que ilz entrent en la foy & hommage dudit Jehan nostre filz, & lui respondent & obeïssent comme à vray Duc, Conte & Seigneur en tout & par tout, ainsi comme ils faisoient, & estoient tenus à faire à nous pour cause dudit Duché & Contez; sauf nostre fié & hommage, & le service de fié, avec nostre ressort & souveraineté royal que nous y avons retenu, si comme dessus est dit. Et voulons, octroions audit JEHAN nostre filz, lequel nous avons envestu des choses dessusdites, & auquel nous avons baillé la saisine corporelle à la seigneurie & proprieté de toutes les choses à lui données dessusdites à tenir de lui, si comme dit est. Que il

Digitized by Google

de sa propre auctorité reçoive fiefs & hommages desdits Duchié & Contez, & en joïsse de cy-en-avant, comme vray sire, & se appelle & soit appellez Duc & Conte d'icelles. Et ceuls qui seront entrez en l'hommage de nostredit filz, nous les quictons de la foy & hommage, par lesquelz ils estoient tenus à nous pour cause desdits Duchié & Contez.

Et promettons en bonne foy audit Jehan nostre filz present & retenant, tenir & garder sans enfraindre, toutes les choses dessusdites & chacune d'icelles, & les garantir & appaisier à lui en jugement & dehors. Voulant neantmoins & de certaine science decernons, que doresenavant toute audience soit denoiée à toute personne qui vouldroit venir en jugement, ne dehors, encontre les choses dessusdites, ou aucunes d'icelles : & que toutes les choses dessusdites vaillent ainsi & soient mises à execution, comme chose jugée par Arrest de nostre Court, nonobstant droit escript, & non escript, us, coustume de Normandie, d'Anjou & du Maine de Royaume de France, ou de nostre Court, se point en avoit au contraire. Et avec ce de nostre plain povoir & auctorité royal, & de certaine science, cassons & adnullons tous droiz & coustumes qui pourroient estre au contraire. Et suppleons tout deffaut, soit pour raison de eage, ou par quelque autre cause que seroit ou pourroit estre es choses dessusdites, ou en aucune d'icelles.

Si commandons à tous ceulx de nostre lignage, & à tous autres de nostre Royaume sur la foy & loyauté que il nous sont tenuz, que ledit Jehan nostre filz aident & confortent contre tous qui luy voudroient nuire, ou mettre aucuns empeschemens esdites choses ou en aucunes d'icelles. Et pour ce que ce soit ferme & estable à tousiours, nous avons fait mettre nostre seel en ces presentes Lettres, faites & données au Louvre pres de Paris le Lundy 17. jour en Fevrier, apres ce que nous eusmes emancipé & aagé nostredit filz. L'an de grace mil CCCXXXI. Ainsi signé par le Roy, M. de Molins. Tripp^ta.

Digitized by Google

LUDOVICUS *Imperator dat potestatem* LUDOVICO *Comiti de Oetingen tractandi quædam negotia cum* HUMBERTO *Dalfino Viennensi.* Vide sequens diploma.

D. d'Herouval communivit.

An. Chr. 1335.

LXII. LUDOVICUS Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, nobili & potenti viro suoque consanguineo prædilecto HUMBERTO Dalphino Viennensi, Comiti Albonensi, cum sinceræ dilectionis affectu, gratiam suam & omne bonum. Ad tuæ dilectionis præsentiam, spectabilem virum LUDOVICUM juniorem Comitem de Oetingen duximus transmittendum, dantes eidem plenam & liberam potestatem, vice & nomine nostro, tractatus cum dilectione tua super his quæ ad ipsum per te, vel tuos procuratores deduxeris consummandi, finiendi, perficiendi & terminandi, ac ipsis finem debitum imponendi, & omnia faciendi, quæ super prædictis fuerint necessaria & etiam opportuna; quæ per nos fieri possent, si præsentes essemus, etiam si mandatum exigant speciale, promittentes, ac præsentibus nos obligantes, quòd omnia & singula super quibus idem Comes cum dilectione tua nomine nostro in. . . . convene. . . . seu pacta, vel conventiones, aut alias obligationes quascumque inierit, seu promissiones fecerit, & suo sigillo conscripserit, & conscripta signaverit, grata, firma & rata perpetuò habebimus, quodque ipsa ratificabimus, approbabimus & confirmabimus litteris Majestatis nostræ solemniter consignatis, prout tibi visum fuerit expedire, quando & quotiens super his fuerimus requisiti. Datum Monaci XIII. Kal. Aprilis, regni nostri anno vigesimo, imperii verò octavo, anno Domini millesimo CCC. trigesimo-quinto.

Digitized by Google

LUDOVICUS *Bavarus Imperator Regnum Viennæ confert* HUMBERTO *Dalfino per* LUDOVICUM *Juniorem, Comitem de Oetingen, Legatum suum.*

Concessit D. d'Herouval.

An. Chr. 1335.

LXIII. IN nomine Domini, Amen. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quòd anno Incarnationis ejusdem Domini millesimo trecentesimo trigesimo-quinto, die XVI. mensis Aprilis, Indictione tertia, in præsentia Notarii publici, auctoritate imperiali, & testium infrascriptorum, constitutus spectabilis vir dominus LUDOVICUS junior, Comes de Oetingen, Missus, seu Legatus à serenissimo Principe domino LUDOVICO Dei gratiâ Romanorum Imperatore semper Augusto, ut de legatione ipsa constat, per litteras patentes sigillo dicti domini Imperatoris sigillatas in pendenti, quæ incipiunt in secunda sui linea, *nobili*, & finiunt in eadem, *Delphino*. Qui quidem dominus Comes, consideratis obsequiis & servitiis impensis per illustrem Principem dominum HUMBERTUM Dalphinum Viennensem, & ejus prædecessores dicto domino Imperatori, & ejus antecessoribus in ipso Imperio, & quæ sperat per eumdem dominum Imperatorem recipere in futurum, dedit, donavit, cessit & concessit, vice & nomine dicti domini Imperatoris, dicto domino Humberto DALPHINO præsenti & recipienti pro se, & suis heredibus juris, & rei successoribus in perpetuum, in feudum, Regnum Viennæ, cum juribus, pertinentiis & appendentiis dicti Regni, & quidquid idem dominus Imperator habet in dicto Regno, & infrà dictum Regnum, & sibi competit, vel competere debet, seu potest, necnon & civitates, castra, & dominia, & jurisdictiones, & exercitium jurisdictionis, ac merum & mixtum imperium, & regalia ad Regnum ipsum spectantia, vel pertinentia quovis modo, ad

Digitized by Google

ad habendum, tenendum, possidendum, regendum & gubernandum per se, aut ejus procuratores, officiales & nuntios, quoscumque voluerit deputare, & quidquid sibi placuerit faciendum, dans & concedens dictus dominus Comes, vice & nomine quibus suprà, dicto domino Dalphino præsenti & recipienti pro se & suis, plenam, generalem ac liberam potestatem & auctoritatem dictum Regnum & possessionem ipsius apprehendendi, adipiscendi, & officiales quoscumque ibidem ponendi & creandi, revocandi creatos & creandos tot quot voluerit, & totiens quotiens sibi videbitur expedire, & in omnibus & singulis locis, ubi voluerit, infrà dictum Regnum, & omnia, & singula faciendi, & dicendi, & exercendi per se, vel per alium, quæ verus dominus Rex facere potest & posset, in & de Regno suo, & quæ ipse dominus Imperator facere & dicere posset, si personaliter præsens esset, vel si ad manum propriam dictum Regnum & jura Regni teneret.

Hoc acto & convento inter prædictum dominum Comitem, vice & nomine quibus suprà, & dictum dominum HUMBERTUM Dalphinum, quod idem dominus Humbertus Dalphinus, & ejus successores in dicto Regno post eum, possit & possint ex nunc inantea ordinare de dicto Regno, testari, & disponere juxta usum & consuetudinem patriæ Dalphinatus & ipsius Regni, & de omnibus & singulis ad dictum Regnum spectantibus quovis modo.

Et cùm dictus dominus Dalphinus aliàs sit vassallus Imperii, idem dominus LUDOVICUS Comes, vice & nomine quibus suprà, donavit dictum Regnum cum juribus & pertinentiis ejusdem in feudum prædicto domino Dalphino stipulanti & recipienti ut suprà, cum eo jure, ratione & forma, quo & quibus meliùs potest. Ita tamen quòd ab ipso Imperatore & ejus successoribus in Imperio, & sub dominio Imperii dictus dominus Humbertus Dalphinus & successores ejusdem in dicto Regno, in feudum teneant dictum Regnum. Promittens dictus dominus Ludovicus Comes, vice & nomine quibus su-

prà, dicto domino Dalphino præsenti & recipienti, ut suprà, per pactum sollemni stipulatione vallatum, præsentem donationem ratam & firmam habere perpetuò & tenere, & ipsum Regnum servare, & defendere ab omni homine & persona dicto domino Dalphino & suis.

Et cùm dictus dominus Comes sciat & sentiat, quòd dictus dominus Dalphinus non habet possessionem dicti Regni.·.·. dicitur quòd est per diversos & diversimodè occupatum, immo quasi annihilatum, promittit dictus dominus Comes, vice & nomine quibus suprà, dicto Domino Dalphino stipulanti & recipienti, ut suprà, dictum dominum Dalphinum juvare de facto & de jure, secundùm quod commodè poterit, & secundùm quod dominus tenetur juvare vassallum suum & tueri, ad acquirendum dictum Regnum & jura ipsius Regni, & illud tenendum & custodiendum, & eumdem dominum Dalphinum præsentem & recipientem pro se suisque heredibus & successoribus. Idem dominus Legatus de dicto Regno & de omnibus prædictis cum juribus & pertinentiis eorumdem investivit per traditionem unius baculi, ut moris est.

Item & ad cautelam promisit & convenit dictus dominus Comes dicto domino Dalphino se facturum & curaturum cum effectu, quòd etiam dictus dominus Imperator dictum dominum Dalphinum Regem Viennæ constituet & creabit, & ipsum in Regem Viennæ coronabit, & de dicto Regno & ejus pertinentiis, & de his, & omni jure quod & quæ dictus dominus Imperator, & ipsum Imperium, & ipse dominus Imperator ratione dicti Imperii habet in dicto Regno, vel sibi competit, vel competere potest & debet in dicto Regno, cum his quæ sunt infra dictum Regnum, eumdem dominum Dalphinum infeudabit, & in feudum donabit sibi & ejus successoribus, & ipsum sibi limitabit. Et dato quòd non reperiretur aliàs fuisse Regem in Vienna, vel non fuisse Regnum conditum, nihilominus dictus dominus Imperator Regnum ipsum

Digitized by Google

condet & statuet, & terminabit & limitabit, & confines congruos ei assignabit, & de illo & his quæ fuerint infra dictum Regnum, dictum dominum Dalphinum, & ejus successores in perpetuum infeudabit, & in feudum dabit: & in omnem eventum dictus dominus Imperator præcipiet & mandabit per suas litteras efficaces omnibus & singulis vassallis, & aliis Imperio subjectis in dicto Regno condito vel condendo constitutis, quòd dicto domino Dalphino pareant, & obediant sicut domino & Regi; & dicto domino Dalphino assignent & resignent quidquid habent de Imperio quod sibi quandoque commissum fuerit custodiendum pro dicto Imperio, & ad prædicta eos compellet, & rebelles & inobedientes banno Imperii decernat, & præcipiat subjacere, & quod bona ipsorum per quoscumque valeat occupare.

Et si reperiretur aliquam donationem factam fuisse ullo umquam tempore de dicto Regno per dictum dominum Imperatorem vel per alium, quòd dictus dominus Imperator illam revocet & decernat non valere, hanc solam donationem perpetuò valituram: & de prædictis omnibus dictus dominus Imperator dabit litteras opportunas aliis clausulis decentibus & opportunis appositis in eisdem conficiendas ad consilium peritorum, quas sigillo imperiali faciet communiri.

Et hæc omnia vniversa & singula suprascripta voluit & mandavit dictus dominus Comes, vice & nomine quibus suprà, omnibus quorum interest & interesse poterit in futurum, per præsens publicum instrumentum fieri manifesta.

Acta fuerunt hæc apud Balmam, Lugdunensis Diœcesis, in domo Dalphinali in Camera aulæ bassæ, in præsentia & testimonio potentium & nobilium virorum dominorum JACOBI Riverre, PETRI de Herbeysio, GUORRARDI de Nuef-festeingn, Militum; venerabilium & nobilium virorum dominorum EBRARDI de Tumprow, Archidiaconi Ecclesiæ Augustensis, MARQUARDI de Raudilr Juris Professoris, Cano-

Digitized by Google

nici Augustensis, & Magistri ULDRICI Protonotarii domini Imperatoris prædicti, testium vocatorum & rogatorum ad præmissa, per me Notarium publicum infrascriptum; & datum anno die, & Indictione quibus suprà. Et ego Johannes Nicoleti de Cermiaco, Viennensis Diœcesis Clericus, auctoritate Imperiali publicus Notarius, præmissis omnibus vnà cum dictis testibus præsens interfui, & inde hoc præsens publicum instrumentum manu mea propria scripsi & subscripsi, signoque meo solito signari rogatus & tradidi. Nos enim præfatus LUDOVICUS Junior, Comes de Oetingen, Legatus in hac parte, & destinatus per serenissimum Principem dominum LUDOVICUM Romanorum Imperatorem semper Augustum, dominum nostrum, vice & nomine ipsius domini nostri Imperatoris, asserentes & cognoscentes præmissa omnia universa & singula fore vera in singulis suis capitulis, ut superiùs enarrantur, & per nos vice & nomine quibus suprà, concessa fuisse; sigillum nostrum huic publico instrumento apposuimus ad majorem cautelam, & evidentiam rei gestæ.

Communicavit D. d'Herouval.

Fundatio Monasterii Cælestinorum de Medunta, à CAROLO V. *Francorum Rege facta.*

An. Chr. 1376.

** Longissimam & onerosam præfationem expunximus.*

LXIV. CAROLUS Dei gratiâ Francorum Rex, &c. * Ad laudem, honorem & gloriam sanctissimæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. In Capella beatæ Christinæ Virginis & Martyris, situata in loco qui dicitur Carreria beati Albini de Lymaio prope Meduntam, Rotomagensis Diœcesis, quoddam perpetuum Collegium ac Conventum duodecim Fratrum Religiosorum seu Monachorum exemtorum, Ordinis beati Petri Cælestini, tamquam membrum Monasterii sancti Spiritus prope Sulmondam Valvensis Diœcesis, qui ut novella plantatio in horto sanctæ matris Ecclesiæ noviter radicata,

Digitized by Google

zelo religionis, vitæ & conversationis munditiâ universis sanctimoniæ circumfundat, ut speramus, odorem, instituimus & fundamus. Ad cujus Collegii & Conventus dotationem, & ut Fratres inibi sub observantia regulari præfatæ summæ Trinitati perpetuum exhibeant famulatum, ac assiduis & supplicibus intercessionibus apud Deum insistant, ut hîc sua nos pietate dirigat per suorum semitas mandatorum, & post diem extremum salvationis locum jubeat nobis misericorditer indulgeri, annuos trecentarum librarum Par. redditus in nostris aliis litteris super hoc confectis & conficiendis, & per illas specificè declaratas & pleniùs declarandas, exnunc auctoritate nostra regia de certa scientia & speciali gratia tenore præsentium deputamus & assignamus; ipsosque trecentarum librarum annuos redditus dictis Fratribus concedimus & donamus: volentes & eisdem Fratribus auctoritate, scientia & gratia prædictis concedentes, ut ipsi Fratres moderni pro se suisque successoribus hujusmodi annuos redditus, etsi in feodo, ac media & bassa justitia fuerint, liberè recipere, & eos licitè retinere, ac perpetuò, pacificè & quietè possidere valeant, absque eo quòd illos vendere, & alio quovis modo extra manum suam ponere, seu financiam nobis, aut successoribus nostris aliquam propter hoc solvere, aut facere teneantur. Nos enim etiam hujusmodi quantamcumque financiam de nostra uberiori gratia, in quantum opus est, eisdem Fratribus penitus & expressè quitamus, remittimus & donamus. Quod ut firmum & stabile perpetuò perseveret, nostrum præsentibus litteris fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro, & in omnibus quolibet alieno. Datum Parisius anno Domini millesimo CCC. septuagesimo-sexto, regni verò nostri XIII. mense Februarii. Per Regem, *Tourneur.* Dictisque annuis trecentarum librarum Par. redditibus per nos, aut de mandato nostro in locis, & à personis infrascriptis & nominatis, emptis & acquisitis, & primò à Baudi Martelli omnibus redditibus & obventionibus,

1376.

Digitized by Google

quos & quas habebat in denariis, bladis, avibus & molendinis, cum feodis & retrofeodis in Parochiis de Essevilla & de Crescot, æstimatis ad septuaginta libras Turon. annui redditus, valent LVI. libr. Par.

Item à Nicasio Venatoris Milite quatuor modiis avenæ ad mensuram Castellaniæ vallis Redolii, quæ ipse Miles capiebat ad hereditatem annis singulis supra nos in dicto loco, æstimatis ad XXX. libr. Turon. annuales, valent XXIV. libr. Par. Item ab Aymerico de Beraco Burgens. Par. terram de Ver sitam in Castellania Meduntæ, cum omnibus terris, censibus, nemoribus, redditibus, tegulariis, feodis, retrofeodis, justitia & dominio, & generaliter omnibus aliis quæ habebat in villa de Ver & ejus territorio, æstimatis ad XX. libr. Par. annuales. Item à dicto Aymerico XIV. libr. Par. quas ipse quolibet anno capiebat super villam & Communiam dictæ villæ de Medunta. Item à Soullardo de Condin Milite, domino de Longuesse, censibus, redditibus, champardis, nemoribus & omnibus aliis quæ habebat & possidebat in villa & territorio de Fremevilla, æstimatis ad XX. libr. Par. annual. Item à Guillermo de Puteo triginta libris capiendis supra plures domos, vineas & terras, quas habebat in villa de Vernone & ejus territorio. Item à Petro de Lemovicis X. libr. ac XI. solid. & octo den. Par. capiendis supra plures domos, vineas & terras quas habebat in dicta villa de Vernone & ejus territorio. Item à Johanne de Estainvilla Burgens. Meduntæ, censibus, redditibus, champardis, nemoribus, torculari, foragiis & omnibus terris, obventionibus & possessionibus cum basso dominio, quas habebat in villa & territorio de Folainvilla, æstimatis ad XX. libr. Par. annual. Item à dicto Johanne XL. solid. Par. quos ipse annuatim capiebat supra domum Panseti de Fonte sita in dicta villa de Medunta. Item à Johanne Birnin de Medunta censibus, redditibus, champardis, nemoribus, terragiis & omnibus terris, obventionibus & possessionibus quas habebat in villa & territorio de Se-

Digitized by Google

mevilla, æstimatis ad quatuor libr. Par. annual. Item à Johanna Desnappes, censibus, redditibus, champardis, forragiis, terragiis & aliis terris, obventionibus & possessionibus quas ipse habebat in villis de Medunta & de Lymaio, & earum territoriis, æstimatis ad XL. solid. Par. annual. Item à dicta Johanna septem solid. & X. denar. Par. quos capiebat annuatim supra domum *à la Quatremaille*, sitam in dicta villa de Medunta. Item à Guillermo domino de sancto Claro Milite, & Johanna ejus uxore, XLVII. libr. Par. quas ipsi conjuges capiebant anno quolibet super piscidem & obventiones Majoriæ dictæ villæ de Medunta. Item à Ferrico de Metis Milite XL. libr. Par. videlicet XX. quas ipse supra dictam villam & Communiam de Medunta, & XX. quas supra mercaturas ascendentes & descendentes & per aquam & terram dictæ villæ annis singulis capiebat. Item à Guiardo Cyroismes XL. solid. Par. capiend. annuatim supra domum, quam tenet in dicta villa Meduntæ, vocatam *le Barilhet*, & super alia bona sua. Item à Johanne le Bas XXVII. solid. Par. capiend. annuatim supra plures domos, vineas, terras & possessiones quas ipse tenet & habet in dicta villa de Vernone & ejus territorio, Item à Radulpho Pelet Presbytero sexaginta & decem sol. videlicet XL. sol. Par. capiendis in dicta villa de Medunta, supra domum Petri le Bourrelier, & XXVIII. sol. Par. in villa de Drocis supra domum *à la Colande*, & II. sol. supra unam peciam terræ, quam tenent in villa de Limayo heredes defuncti Dionysii *le Hotteron*. Item sexaginta solid. Par. capiendis supra omnia hereditagia, quæ fuerunt uxoris quondam defuncti Philippi Rousset, & Johannis de Furno.

Volumus quòd memorati Fratres, dictique eorum successores ipsos annuos trecentarum librarum Par. redditus sic specificè declaratos, & quatenus in confectis super eorum emtione & acquisitione litteris, quas eisdem Fratribus tradi & liberari fecimus, diffusiùs describuntur, liberè recipere, & eos licitè retinere, ac

perpetuò, pacificè & quietè possidere valeant, ut dictis nostris suprascriptis ac præsentibus insertis litteris latiùs est expressum. Quod ut firmum & stabile perpetuò perseveret, nostrum præsentibus litteris fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro, & in omnibus alieno. Datum apud Meduntam, mense Junii, anno Domini M. CCC. LXXIX. regni verò nostri XVI.

1379.

Eruit D. d'Herouval.

JOHANNES *Rex Francorum confert* LUDOVICO *filio suo secundogenito Andegaviæ & Cenomaniæ Comitatus.*

An. Chr. 1360.

LXV. JOHANNES Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris, quòd cùm amor paternalis nos sollicitet, & affectio naturalis nos adstringat erga filios nostros, ut ipsos dignitatibus & honoribus præ ceteris attollamus; illos tamen quos filialis devotio & reverentia, ac naturalis obedientia paterno respondentes amori, inclinant nos continuè revereri, & nostra beneplacita diligenti animo adimplere, ferventiùs regius amor prosequitur, & ad ipsorum dignitatum, & honoris, ac status augmentationem inclinamur.

Considerantes igitur quòd LUDOVICUS carissimus secundogenitus noster personam suam propriam obsidem pro liberatione nostra ad voluntatem & ordinationem nostram promtè obtulerit, & de cujus constanti perseverantia in filiali obedientia persistendi speramus in futurum, paterno & benivolo affectu prosequendo, dignum arbitramur & congruum, ut nos in his, quæ ipsius filii nostri & suæ prolis ac posteritatis honorem, statum & commodum respiciunt, aliquali remuneratione reddamur ad favorem & gratiam liberales. Nos igitur ea consideratione inducti, de nostra certa scientia, auctoritate regia, & gratia speciali pro nobis & successoribus nostris quibuscumque dedimus

&

& concessimus & damus & concedimus per præsentes donatione pura & simplici inter vivos in perpetuum valitura, eidem LUDOVICO secundogenito nostro ad hereditatem perpetuam pro se & suis heredibus, & liberis masculis ex carne sua legitimo matrimonio procreatis, & etiam nascituris, Comitatus Andegaviæ & Cenomaniæ, ac castrum & Baroniam Castrilidi in dicto Comitatu Cenomanensi situato, & castrum nostrum & Castellaniam de Chanteceaux tenenda perpetuò, & possidenda per eum, & ejus liberos masculos tantùm, ut præfertur, pacificè & quietè, cum omnibus jurisdictionibus, altis, mediis & bassis, mero & mixto imperio, civitatibus, villis, castris, fortalitiis, censibus, redditibus, feudis, retrofeudis, hominibus, homagiis, juribus patronatuum, & collationibus Beneficiorum, silvis, vineis, terris, pratis, pasturis, nemoribus, stagnis, garennis, aquis, & aliis omnibus, & singulis suis juribus & pertinentiis universis, qualitercumque & ubicumque sint & consistant, & quocumque nomine censeantur. Et quidquid juris nobis competit & competere potest in eisdem Comitatibus, Baronia, Castro & Castellania, & eorum quolibet pro nobis & nostris successoribus dicto Ludovico filio nostro pro se & suis heredibus masculis, ut præfertur, cedimus ad perpetuum penitus & donamus, & ea universa & singula in ipsum transferimus pleno jure, legibus, juribus, usibus, consuetudinibus, vel statutis ad hæc contrariis vel adversis non obstantibus quibuscumque: quæ sibi locum vendicare nolumus in hac parte; salvis tamen & nobis retentis, & reservatis juribus nostræ regaliæ, monetis & exemptionibus Ecclesiarum Cathedralium, & aliarum quarumcumque, quarum cognitio ad nos, & Coronam Franciæ, ac nostram Parlamenti Curiam pertinet, ac fide, & homagio, & superioritate, & ressorto. Quod si quidem homagium prædictus LUDOVICUS secundogenitus noster nobis fecit die datæ præsentium, ad quod illum recepimus, nostro & alterius jure salvo. Et eumdem Ludovicum coram nobis

personaliter adstantem, de prædictis Comitatibus, Baronia, Castro & Castellania, & omnibus aliis præmissis, & singulis eorum, tenore præsentium investimus realiter & de facto.

Dantes per præsentes in mandatis universis & singulis vassallis hominibus feudatariis, & aliis quorum interest, qui nobis ratione præmissorum Comitatuum, Baroniæ & Castellaniæ, ad fidem & homagium, ac fidelitatis juramentum præstandum & faciendum astringuntur, ut prædicta homagia & fidelitatis juramenta dicto secundogenito nostro, & suis liberis & heredibus masculis faciant & præstent: & eos & quemcumque eorum à prædictis homagiis & juramentis, ad quod nobis sunt adstricti, per præsentes quittamus & absolvimus, & quittos & absolutos esse volumus absque alterius expectatione mandati.

Dantes & concedentes tenore præsentium auctoritatem, potestatem & speciale mandatum dicto secundogenito nostro, ut quandocumque sibi placuerit, possessionem corporalem & realem dictorum Comitatuum, Baroniæ, Castri & Castellaniæ, cum juribus & pertinentiis eorum universis per se vel per procuratorem suum auctoritate sua valeat apprehendere, recipere, ac etiam retinere. Dantes etiam in mandatis omnibus & singulis subditis dictorum Comitatuum, Baroniæ & Castellaniæ, quorum interest & intererit, ut de præmissis omnibus & singulis, quatenus quemlibet tangit, & tangere potest & poterit in futurum, dicto Ludovico & suis prædictis respondeant & satisfaciant, & dicta homagia & deveria faciant & præstent liberè, eidemque tamquam dictorum Comitatuum Comiti & Baroniæ prædictæ ac Castri domino exnunc & in perpetuum pareant efficaciter & intendant. Necnon dilectis & fidelibus Gentibus Cameræ Compotorum Parisius, quatenus præmissa omnia & singula eidem filio nostro, ut prædicitur, donata, concessa, & quitata de compotis receptorum, quorum intererit, deducant sine difficultate quacumque, aliisque donis & gratiis di-

Digitized by Google

cto secundogenito nostro factis, & ordinationibus contrariis nonobstantibus quibuscumque. Quæ ut firma & stabilia perpetuò permaneant in futurum, nostrum præsentibus litteris facimus apponi sigillum, nostro in aliis, & alieno in omnibus jure salvo. Datum in villa Calesii anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo, mense Octobris. *Et inferiùs:* Per Regem J. ROYER.

JOHANNES GODEFRIDUS (Geoffroy) *Abbas S. Dionysii in Francia, & Cardinalis Albiensis, Regi Franc.* LUDOVICO XI. *scribit Abbatem Cluniacensem esse moribundum, &c.*

Communicavit D. d'Herouval.

LXVI. SIRE, tant & si tres humblement que plus puis, me recommande à vôtre benigne grace. Et vous plaise sçavoir, Sire, que presentement j'ay sceu que Monsieur du Puy Abbé de Cluny est tres fort malade, & y espoirt l'en la mort plus que la vie. Pourtant, Sire, je vous en adverti, afin que ne soyez prevenu de importunité de requerans, que premierement n'y ayez advisé au regard de ladite Abbaye de Cluny. C'est la plus belle de vostre Royaume, & a bien quatre mil Benefices soubz elle en divers Royaumes & Nations, qui est grant gloire à vôtre Couronne. Pourtant, Sire, il me semble, o vôtre correction, que vous feriez bien de y pourveoir de homme qui soit de l'Ordre, & capable de ce, afin que les êtranges Nations ne contendent à y faire quelque cissure.

An. Chr. 1461.

Le Pape m'a envoyé de naguerres vn Brevet, lequel par ce present porteur je vous envoye, afin qu'il vous plaise voir qu'il contient. Au surplus, Sire, le Roy de Portugal m'a escrit lettres, que son Ambassadeur m'a envoyées; & croy, Sire, par ce que m'a escrit ledit Ambassadeur, que le Roy desire moult fort avoir

Digitized by Google

voſtre begnivolence. J'ay autrefois eſté pardevers luy: mais je vous certifie, Sire, que c'eſt un gentil courage, & de bon & noble affaire. Sire, ce qu'il me ſurviendra, je vous le feray incontinent ſçavoir, comme tenu y ſuis, vous ſuppliant qu'il vous plaiſe m'avoir toujours en vôtre benigne grace & recommandacion, en me mandant & commandant continuellement vos plaiſirs, pour les accomplir à mon pouvoir, comme vôtre tres humble & tres obeiſſant ſujet & ſerviteur, o l'aide de Dieu, qui vous doint perfection de vos tres haults & tres nobles deſirs. Ecrit en voſtre Abbaye de ſaint Denis le XI. jour de Juin.

Voſtre tres-humble Chappelain le Cardinal d'Alby, Abbé de S. Denis.

Eruit D. d'Herouval.

FERDINANDUS *Siciliæ Rex* LUDOVICO *Regi Francorum queritur, quòd Chriſtophorus Columbus triremes ſuas deprædatus ſit, poſtulatque ſibi ablata reſtitui.*

An. Chr. 1474.

LXVII. SERENISSIMO & Chriſtianiſſimo Principi, ac illuſtriſſimo domino LUDOVICO Dei gratiâ Regi Francorum, &c. tamquam patri nobis cariſſimo, FERDINANDUS eadem gratiâ Rex Siciliæ, &c. ſalutem. Perlatum eſt ad nos, quòd credere numquam potuiſſemus, niſi palam paulo pòſt certiſſimis nuntiis ac fama ipſa, & multorum teſtimoniis comprobatum confirmatumque eſſet, duas noſtras magnas triremes, quæ mercaturæ gratiâ anno ſuperiori in Flandriam Britanniamque noſtro juſſu navigaverant, cùm redirent, à COLUMBO qui quibuſdam navibus præeſt, Majeſtatis veſtræ ſubdito, apud portum Hiſpaniarum quem Vivarium nominant, vi expugnatas, captas eſſe, ac remigibus ceteriſque mercatoribus ſpoliatas, Normandiam verſus deductas; quam rem quo animo ferre debuerimus, Majeſtati veſtræ compertum eſſe

Digitized by Google

arbitramur, cùm tantam tum à nostris subditis, tum ab alienis, quorum res ac mercimoniæ eisdem vehebantur, jacturam factam esse sentiamus. Miramur & dolemus, cùm semper & triremes Francorum, & mercatores ipsi in nostra ditione omne humanitatis genus apud nos experti fuerint, & singularibus officiis affecti, non modò, ut æquum erat, eamdem liberalitatem humanitatemque apud eos (quod decebat) triremes nostras non invenisse, sed expugnatas, captas ac direptas esse. Nescimus an tanta immanitas & contumelia ab ullo hominum genere exspectanda eis fuisset, quantam ab ipso Columbo perpessas fuisse intelleximus.

Nos confisi nostrâ conscientiâ, qui & subditos vestros, & ipsas imprimis triremes omni comitate semper excepimus, & quibus potuimus officiis complexi sumus, cùm inter Majestatem vestram & nos nec bellum esse, nec ullam belli suspicionem perspiceremus, ac rati, ut par erat, apud vestram Majestatem ejusque subditos eamdem, quam vestræ triremes apud nos humanitatem expertæ essent, consecuturas, in eam navigationem misimus, quam tutissimam fore arbitrabamur. Quod itaque ipsi sperabamus, præter merita aliter evenisse magnopere dolemus, & officia beneficiaque nostra, quæ non exprobandi gratiâ commemoramus, sed ut nobis tantùm contumeliæ injuriâ illatum esse ostendamus, pro maleficiis accepta esse satis admirari non possumus. Quòd si conscii essemus ullius injuriæ à nobis vel nostris subditis vestræ ditionis hominibus illatæ, hanc injuriam minùs molestè ferremus, nec ea tantopere angeremur.

Quamobrem cùm triremes in potestatem Majestatis vestræ pervenerint, oramus eamdem, ut rationem officiorum, quibus semper erga subditos ipsius, & ipsas imprimis triremes usi sumus, habendam sibi existimet, & tantum nobis injuriæ illatum, quod vix manifesti belli tempore agendum fuisset, ita emendet, atque incommoda resarciat, ut quæ Columbus in nostras triremes præter jus fasque egit, ea suo consilio ac ju-

Digitized by Google

dicio, non ex auctoritate decretoque vestro, acta esse unusquisque facilè intelligat, à cujus dignitate alienum esset, si ab ejus subditis nostræ triremes, quæ fiduciâ publicæ fidei, qua à vestra Majestate donatæ erant, & conscientiâ fretæ nostræ in vestras triremes liberalitatis tutas se putabant, captæ & direptæ sint, idque tuæ Majestatis nomini. Quod omnium Regum maximum atque amplissimum est, nonnihil decoris afferret, essetque omnibus exemplo ac documento, quantum ejus fidei credendum esset, si nobis, id est, triremibus nostris, datam fidem, cum quibus nec bellum habet, nec inimicitias gerit, violari à suis passa fuerit.

Igitur hortamur ac obtestamur Majestatem vestram, ut triremes sub ejus fide publica captas, & in potestatem ejus perventas, ita restituendas putet, ut nihil desit ex rebus, quantum cùm captæ fuerunt, in ipsis erat, & omnia ita incommoda recompenset, ut absque detrimento redeant, ablata omnia reddi restituique curet, tam nostrorum, quàm alienorum: quos si Majestas vestra sibi esse inimicos ostenderet, ob eamque rem restitui non debere, oramus ut nobis vicem reddat, & nostræ in se liberalitati gratiam referat, qui vestris triremibus per maria nostræ ditionis eorum etiam (Majestatis vestræ gratiâ) qui nobis semper fuerunt inimicissimi, quibuscum apertum nobis bellum erat, merces bonaque convehi animo æquissimo tulimus. Si Majestas vestra triremes ipsas ex animi nostri sententia, ut facturam confidimus, cum rebus omnibus quibus, quo tempore captæ sunt, onustæ erant, restituet, existimabimus Columbum ipsum id ausum esse præter Majestatis vestræ mentem, quem tam etsi triremes ipsæ cùm apud Antonam essent, naves instruxisse quamplures cognovissent, freti fide publica Majestatis vestræ, & quòd nullum inter nos & ipsam belli genus esse scirent, illinc ut redirent, nihil sibi ab illo timendum esse existimantes, ventum nactæ discesserunt, à quo nefariè circumventæ, captæ & direptæ sunt.

Sin aliter sibi faciendum existimaverit, quod nobis

Digitized by Google

persuadere non possumus, putabimus eamdem alio in nos esse animo, ac nos erga ipsam semper fuimus: placebitque ut suis litteris quo animo in nos sit, certiores nos reddat, ut quo pacto cum eadem vivendum nobis sit, à quibusque nobis cavendum intelligamus. Testisque erit totus orbis terrarum à vestra Majestate nobis inimicitiarum cum ea gerendarum causam esse præbitam, cùm tanta nos contumelia de se non malè meritos affecerit. Cujus rei causâ mittendum ad vestram Majestatem censuimus ARMINIUM, nostrorum armorum Regem, qui has litteras eidem reddet, ut responsum Majestatis vestræ, si quod ei dandum decreverit, ad nos perferat. Datum in Terra nostra Fogiæ die VIIII. Decembris M. CCCC. LXXIIII.

Sic signatum.

Rex FERDINANDUS. *Et inferiùs*, J. à secretis. Et in superscriptione, Serenissimo, &c. *ut initio. Et inferiùs*: Litteræ Regis Ferdinandi receptæ Parisius die Jovis XXVI. Januarii M. CCCC. LXXIIII.

LUDOVICUS XI. *Rex Francorum* FERDINANDO *Siciliæ Regi.*

Eruit D. d'Herouval.

LXVIII. SERENISSIMO potentissimoque Principi, carissimo ac dilectissimo consanguineo nostro FERDINANDO, Dei gratiâ Siciliæ Regi, LUDOVICUS eadem gratiâ Francorum Rex, salutem. Litteras vestræ Serenitatis per ARMINIUM vestrum armorum Regem accepimus, expugnationem & captionem duarum vestrarum triremium per Columbum subditum nostrum apud Vivarium Hispaniarum portum continentes. Quam rem eo quòd à nostris facta sit, admiramini, cùm Francorum triremes & mercatores nostri omnem semper fuerint apud vos ac vestros humanitatem experti. Quorum gratia putastis violentiam subditis vestris à nostris umquam fieri non debere,

An. Chr. 1474.

Digitized by Google

quin potiùs eos mutua humanitate, non minorique benevolentia & caritate tractari, maximè cùm inter nos & vos nullum esse bellum, aut belli suspicionem perspectum sit, nosque propterea per ipsas vestras litteras hortamini, ut triremes ipsas, ac res quæ in eis erant, restitui facere curemus.

Petitis dehinc quo pacto inter nos vivendum sit, effici certiores, serenissime potentissimeque Princeps, consanguineeque noster carissime, ex multis jam temporibus nos non latuit, neque latet, quantis humanitatum officiis vestra Serenitas in nostras Gallicas triremes & subditos, dum ad vestras ditiones & dominia profecti sunt, semper usa fuerit, atqui multò maxima vestra stant hæc officia, quàm litteræ vestræ protestentur, quod numquam à nostra excidit, nec excidet memoria, & inde vobis gratias ingentes habemus, nec arbitretur Celsitudo vestra, quin similia & reciproca humanitatis officia in vos & vestros, cùm casus & facultas se obtulerint, referre cupiamus. Neutiquam prætereà scivimus Serenitatem vestram umquam palam, vel publicè adversum nos aut nostros hostilitatem, aut arma parasse, donec stipendarios vestros introduci feceritis ad invadendum armatos nostros, quos nuper misimus pro recuperandis tutandisque nostris patriis & Comitatibus Rossilionis & Ceritaniæ, qui erepti nobis injustè & violenter exstiterant. In vos etiam, nec vestros nullum umquam bellum, aut hostilitatis indicium à nobis, aut nostris antehac illatum est, neque quidquam egimus, quo inimicitiis aut dissidiis inter nos via posset aperiri. Verùm ob vestras excellentissimas, dignissimasque virtutes, vestram semper voluimus & cupivimus amicitiam capessere, nec minore cura aut favore, prout nostræ facultatis erit, vestra vestrorumque subditorum, quàm nostra propria complecti negotia.

Quantùm verò ad triremium vestrarum captionem attinet, ipsa nobis insciis acta est, eamque permolestè & displicenter quàm maximè tulimus; & quamprimùm ad nos ipsa captio fuit perlata, quidquid ex mercatu-ris

Digitized by Google

ris, aliisque rebus, quas ipsæ vestræ triremes devexerant, potuit inveniri, arrestari continuò, sub tutaque poni custodia mandavimus; pleraque tamen à vestris remigibus, & aliis qui captioni interfuerant, capta & latitata fuisse compertum est. Sed nihilominus quæque vobis & vestris subditis pertinentia reperiri potuerunt, mox illa vestris reddi & restitui, & ablatorum occultatorum vice tantum valoris & æstimationis, Capitaneo & aliis vestris, quantum ipsa ablata & occultata valere asseruerunt, expediri fecimus. Et licèt illarum rerum ablatarum nihil penitus ad manum *, notitiam, aut utilitatem nostram pervenerit, super petitis tamen & declaratis per Capitaneum vestrum, pro omnium mercium, quibus ipse vel triremes onustæ fuerant, naulo rationem dari & fieri fecimus. Ac ut securiùs ad vos usque perduci valerent, pro stipendiis gentium pecunias dari, ipsasque triremes victualibus munitas in manus & potestatem Capitanei vestri tradi liberè præcepimus & reponi.

* vulgò *en la main du Roy*.

Quando autem cum ipso Columbo & aliis inquiri dispicique mandavimus, quænam causa eos ad captionem hanc præter mentem nostram nobis non jubentibus impulisset, hi profectò respondendum duxerunt, se propterea ad illam tractos incitatosque fuisse, quòd gentes vestræ contra nostras in agro nostro Rossilionensi se injecerant; quódque ipsæ vestræ triremes ab oris & ditionibus Anglorum nostrorum & Coronæ Franciæ inveteratorum hostium, necnon etiam à patriis per CAROLUM de Burgundia nostrum utique rebellem & inobedientem subditum occupatis, tunc reverterentur. Et illuc plura detulerant, quæ adversus nos auxilio, favori & fortificationi forent nostrorum hostium, & rebellis prædictorum, aliaque dehinc similiter reportarent, quibus multa ad nostram & Regni nostri jacturam tractabantur.

Allegabant insuper Columbus & alii pro ratione sua, quòd per usum belli notoriè & inconcussè hucusque in hoc Occidentali freto servatum omnes triremes, na-

ves, aut aliæ fustes à regionibus & dominiis hostium quomodovis demigrantes, maximè cùm res apud ipsos gestassent, quibus vel potentiores, aut fortiores essent effecti, vel aliter adjuti, lege & observantia bellorum maris licitè capi possunt & impunè. Et quoniam ipsæ vestræ triremes quamplures etiam merces hostium & rebellium nostrorum suorumque subditorum deferrent, nulla super hoc à nobis securitate habita, quemadmodum nostræ Gallicæ triremes, quoties ad vestras ditiones & dominia proficiscuntur, hactenus semper habere solitæ sunt.

His de causis impulsi Columbus & ceteri prætendunt lege & observantia prædictis suadentibus ritè rectéque ipsas triremes potuisse adoriri. Tantus tamen fuit & est apud nos dilectionis & amicitiæ vestræ zelus, ut his omnibus allegationibus & excusationibus postpositis, omnia vestra subditorumque vestrorum extimplo fecerimus restitui. Tristes admodum hanc rem à nostris in vestros, uti præscribitur, obtigisse: sed ne deinceps produci similia videantur, & ut eò amplius nostra sit apud Serenitatem vestram amicitia præcognita, nos ipsis vestris triremibus, illarum Capitaneis, patronis, mercatoribus, remigibus & ceteris amicis, aut inimicis nostris in eis transfretantibus, cujuscumque status, qualitatis, nationis, aut conditionis exstiterint, cum eorum bonis & mercaturis, plenam securitatem & salvum conductum ad unius anni spatium liberè concessimus. Quo res & bona ipsa intra Regnum nostrum & extra ubique terrarum mercationis exercendæ causâ possint in tuto & securo, quantum nos nostrosque subditos concernit, devehi, velut per nostras prædictæ securitatis litteras, ad quas nos in hac parte referimus, poteritis edoceri.

Quantum autem ad merces hostium & bona quæ vestris in triremibus adinventa captaque esse dicuntur, habet hoc usus inter propugnatores in hoc Occidentali mari indelebiliter observatus, res hostium & bona, etiamsi infra amicorum, aut confœderatorum trire-

Digitized by Google

mes, seu naves posita sint, aut recondita, nisi tamen obstiterit securitas super hoc specialiter concessa, impune & licitè jure bellorum capi posse, naulum propterea debitum exsolvendo.

Hæc, serenissime potentissimeque Princeps, carissime & dilectissime consanguinee noster, ad vos perferri voluimus, ne vestra putet Serenitas, nos erga eam in aliquo velle esse injurios. Quæ profectò ultra hæc apertiùs poterit informari per carum & dilectum amicum nostrum THOMAM Taquin, qui apud nos adhuc erat, cùm præmissa obtigissent: quem vobis de supradictis, & quo nos erga vos semper invenerit animo, verbum facere monuimus. Ad postremum, cùm vestris quæratur litteris, quo pacto deinceps vivendum inter nos erit: ut paucis hanc rem absolvamus, unà vobiscum bona & perpetua pace ac tranquillitate vivere decrevimus, vestrasque triremes & cetera vos & vestros subditos concernentia negotia, cùm casus aut res in facultate nostra se obtulerint, peculiari quodam favore & affectu, tamquam nostra propria commendata suscipere; neque nos ullo umquam tempore quidquam censeatis facturos, quod inter nos pacem, amorem & benevolentiam interturbare debeat, nisi pro parte vestra contrarium faciendo lacessiti, aut compulsi fuerimus. Quòd si quovis modo accideret, non discidiorum causa vel auctores esse vellemus, immo nobis apprime, & plus quàm dici soleat, displiceret.

Datum apud urbem nostram Parisiensem die ultima mensis Januarii. *Sic signatum*, LOYS. Tilhart.

Digitized by Google

MARTYROLOGIUM GELLONENSE, ſive S. GUILLELMI DE DESERTO, PERVETUSTUM.

In Chriſti nomine incipit Breviarium Apoſtolorum ex nomine vel locis ubi prædicaverunt, & ubi orti vel obiti ſunt.

SIMON, qui interpretatur obediens, PETRUS agnoſcens, filius Johannis, frater Andreæ, dicitur ortus vico Bethſaïda provincia Gallileæ, qui propter Simonem Magum licèt Dei occulto nutu Romam pervenit; * ibique prædicans Evangelium xx. & v. annorum ejuſdem urbis tenuit Pontificatum; ſexto autem & tricisſimo anno poſt Paſſionem Domini ſub Nerone Cæſare, ut voluit, cruce ſuſpenſus eſt. Cujus natalitium III. Kal. Jul. celebratur.

* *Cod. S. R.* ubique

PAULUS, qui interpretatur Pius, ortus ex Tribu Benjamin, Apoſtolus Gentium: hic ſecundo poſt Aſcenſionem Domini anno baptizatus, & ſub Nerone Romæ eodem die quo & Petrus, capite truncatus, ibique ſepultus eſt.

ANDRÆAS, qui interpretatur virilis vel decorus, frater Petri: hìcprædicavit Scythiam & Achaiam, ibique in civitate Patras cruce ſuſpenſus occubuit. Pridie Kal. Decemb. celebratur.

JACOBUS, qui interpretatur ſubplantator, filius Ze-

Digitized by Google

bedæi, frater Johannis: hic Spaniæ & Occidentalia* loca Prædicator, & sub Herode gladio cæsus occubuit, sepultusque est in Achaia Marmarica, VIII. Kalendas Augustas.

* *l.* Occidentalibus locis prædicavit

JOHANNES, qui interpretatur gratia Dei, Apostolus & Evangelista, filius Zebedæi, frater Jacobi, dilectus Domini, Prædicator Asiæ & in Epheso, VI. Kal. Jan. Natal. ejus, alii dormitionem ejus VIII. Kal. Jul. dicunt, quando Nativitas sancti Johannis Baptistæ celebratur.

THOMAS, qui interpretatur abyssus, Didymus, hoc est, Christi similis: hic Parthis & Medis Prædicator, & distans Orientalem plagam, ibique Evangelium prædicavit, lanceâ enim ibi transfixus occubuit in Calaminicæ Indiæ civitate, ibi sepultus est XII. Kal. Januar.

PHILIPPUS, qui interpretatur os lampadis, à Bethsaïda civitate ortus, unde & Petrus Gallis prædicavit Christum, deinde in Hierapoli Frigiæ Provinciæ crucifixus & lapidatus obiit, ibique cum filiabus suis quiescit. Cujus natalitium Kal. Maii celebratur.

JACOBUS frater Domini, Hierosolymorum primus Episcopus: hic dum Hierusalem Christum Dei Filium prædicaret, de templo à Judæis præcipitatur, lapidibusque opprimitur, ibique juxta templum humatur. Ejus natalitia Kal. Maii, & ordinatio VI. Kal. Januar.

BARTHOLOMÆUS Apostolus, nomen ex Syra lingua suscepit, interpretatur filius suspendentis aquas, Lyconiam prædicavit, ad ultimum in Albano Majoris Armeniæ urbe vivens à barbaris decoriatur, atque per jussum Regis Astiagis decollatur, sicque terræ conditur IX. Kal. Septembris.

MATHÆUS Apostolus & Evangelista, qui interpretatur donatus: hic etiam ex Tribu sua Levi sumsit cognomen, ex publicano à Christo electus; primò quidem in Judæa evangelizavit, postmodum in Macedonia, & passus in Persida: requiescit in montibus Portorum XI. Kal. Octobris.

SIMON Zelotes, qui interpretatur zelus: hic primus dictus est Cannanæus zelo Dei fervens, par in cogno-

Digitized by Google

mento Petri, & similis in honore; hic accepit Ægypti principatum, & post Jacobum justum cathedram dicitur tenuisse Hierosolymorum, & post annos CXX. meruit sub Adriano per crucem sustinere martyrium passionis, jacet in Porto-Foro: ejus natalitium celebratur v. Kal. Novembr.

JUDAS, qui interpretatur confessor, frater Jacobi, in Messopotamia, atque in interioribus Ponti prædicavit, sepultus est in Nerito Arminiæ urbe; cujus festivitas celebratur v. Kal. Novemb.

MATHIAS de septuaginta Discipulis unus, & pro Juda Scarioth duodecimus inter Apostolos subrogatur, electus sorte & solus sine cognomento, cui datur Evangelii prædicatio in Judæa. VI. Kal. Martias.

In nomine sanctæ Trinitatis incipit MARTYROLOGIUM per circulum anni.

E VIII. KAL. Jan. Bethleem Nativitas Salvatoris Domini nostri JESU CHRISTI secundùm carnem. Romæ Jovini, & Passio Eugeniæ virginis. Et alibi, Anastasiæ virginis, Felicitatis & Saturnini.

F VII. Kal. Jan. Passio Stephani Martyris. Romæ Dionysii Confessoris, Heliæ, Dorostoli [a], Juliani, Neandri, & Passio sancti Marini.

G VI. Kal. Jan. Ordinatio Episcopatus [b] Jacobi Apostoli fratris Domini, & Adsumptio sancti Johannis Evangelistæ.

H V. Kal. Jan. In Bethleem Natalis Martyrum Infantium & lactantium. Et alibi, [c] Domitiani, Eutici, Castori, Eusebii, [d] Galani, Domiciæ. Translatio Thomæ Apostoli, & Octabas ipsius [e].

I IV. Kal. Jan. In Africa Victoris, Libosi, [f] Honorati, Saturi. Romæ Felicis, [g] Domici, Criscenti, Primiani, Bonifacii Episcopi.

Digitized by Google

K III. Kal. Jan. Alexandriæ, Mansueti, Honori, Pauli, Poli, Stephani, Cleti. Romæ Felicis Episcopi [h], Perpetuæ, Florenti Confess.

L Pridie Kal. Jan. Donati, Gai. Romæ [i] Rogati; Silvestri Episcopi & Confess. Hermetis, Stephani. Sennonis, Passio Columbæ Virginis.

Mensis JANUARIUS habet dies XXXI.

A KAL. Jan. Circoncisio Domini nostri JESU CHRISTI secundùm carnem. Stephani, Eufrosini, Hermetis, Gagi, Victoris, Severi. Agustiduni, Agrippini Episcopi. [a] Romæ Martinæ Martyris.

B IV. Nonas Jan. Antiochiæ [b], Isidori, Macharii, Abbat. [c] Tobiæ Abbat. * Arutulæ, Vitalis, [d] Stephani. *al.* Rutulæ

C III. Nonas Jan. Cirici, Claudionis, Argei, * Marcelli. Parisis [e] Gienufevæ Virginis. Viennæ, Florenti. Romæ Anteri Papæ, Theugenis Martyris [f]. * *al.* Marcellini

D Pridie Nonas Jan. Africæ Aquilini, * Augenti, Quinti, * Trifinæ. Bononia Hermites, Aggei, Gagi [g]. * *al.* Eugenti * *al.* Triphonis

E Nonis Jan. In Africa, Felicis, Luciani, Celesorii, Petri Sereni. Hierosolyma Simeonis. Prophetæ. Item Simeonis Confessoris [h].

F VIII. Idus Jan. Epiphania Domini, Honori, Juli, Anastasiæ, Juliani, Basilissæ, Celsi. Redonis Natal, & Translatio & Ordinatio Episcopi Melanii Confessoris [i].

G VII. Idus Jan. Nicomediæ Luciani, Liceri, [k] Polioćti, Felioćti, Felicis, Paladi, Esidori Episcopi, Puliarci, Eućti. Edućtio JESU de Ægypto.

H VI. Idus Jan. in Græcia Rustici, Timothei, Luci, Flori, Satei. Agustoduni Ægemoni Episcopi.

IV. Idus Jan. [l] Epićtiti, Saturni, Vitalis, Fortunati, Quieti, Revocati.

K IV. Idus Jan. Africæ, Revocati, * Nirtæ [m]. Alibi Melciadis, Saturi, Felicitatis. * *al.* Nirtæ

L III. Idus Jan. in Alexandria Petri, Lucii [n]. Ali-

bi Filoromi, Augenti [o], Gregorii Episcopi Nazianzeni.

M Pridie Idus Jan. in Achaia Cyriaci, Saturi. Alibi, Zotici Bonitti [p]; Castoli, Rogati, Filoromi, Petri, Aventini.

N Idibus Jan. [q] In Achaia, Ciriaci, Saturi. Alibi Zotici Cliceri, Secundi. Depositio Hilarii Episcopi.

O xix. Kal. Februarii. Antiochiæ, Cliceri Martyris. Alibi Pauli, Saturi, Geronti, Januarii, Felicis [r], Eufrasii Confess.

P xviii. Kal. Febr. In Ægypto Crisconi, Menelampi. Alibi [s] Cornelii, Leuci, Abbacuc Prophetæ, Remedii [t].

Q xvii. Kal. Febr. Romæ Marcelli Papæ & [u] Martyris, Marthæ Mart. [x] Saturnini, Fausti. Arelatæ Honorati Episcopi & Confessoris.

R xvi. Kal. Feb. Africa Mutii, Victrici, Leutii. In Ægypto Thebaïde Antonii Monachi. [y] Lingonis Speusipi & Meleosippi, Leonellæ [z] Mart. cum sociis eorum. Deas civit. Marcelli Episc. Bituricis Sulpicii Episc.

S xv. Kal. Febr. Cathedra sancti Petri Apostoli qua primò Romæ sedit. Mosei, Ammoni, Tirsi, Luci, Lurici Mart. Prisci, Leopardi Confess.

T xiv. Kal. Febr. Africæ [aa] Pnuli, Germani, Julii, Gagi. Hierosolymis Marthæ & Mariæ [bb], Alipiæ, Zozimi, Fortunati. Lugduni Nicetii Confessoris.

V xiii. Kal. Febr. Romæ [cc] Fabiani, Sebastiani Mart. Marii, Adafax. Alibi Clementis, Leontii, Tirsi, vel aliorum.

A xii. Kal. Febr. Felicis, Eustasi Confess. Solutoris [dd], Fructuosi Mart. Blogi Mart. Patrueli Mart. Et Passio Agnetis Virginis [ee], Aviti Confess. [ff]

B xi. Kal. Febr. In Hispania Valent. civitate Passio sancti Valeri Episcopi, Vincentii Diaconi & Mart. Quintiliani, Pauli, Apodimi, Quiri, Clementis, Januarii. Romæ Vincentii & Anastasii Mart. [gg]

C x. Kal. Febr. Severiani Martyris, Flori, Cornelii, Donati [hh], Clementi, Eugenii, Macharii Mart.

Romæ

Romæ S. Emerentianæ Mart.

D ix. Kal. Febr. Antiochiæ ii Babylæ Martyris. Alibi Mardoni Martyris, Epicteti [*], Galei, Feliciſſimi, Vincentiæ, Euſtaſii Confeſſ.

E viii. Kal. Febr. B. [kk] Pauli Apoſtoli Converſio in Damaſco. Donati, Epicteti. Papiæ, Tirſi. Agapæ, Fabiani, Savini. Arvernis, Amarini, Præjecti Mart.

F vii. Kal. Febr. Policapi Epiſcopi, Armatæ, Arthemii, Fabiani, Sidonis, Leodotii, Theogenis, Sabiani, ſanctæ Paulæ.

G vi. Kal. Febr. Africa Dativi, Reotri, Emiliani, Publii, Arthemii, Amati [1].

H v. Kal. Febr. Romæ Agnetis Virginis de Nativitate. Donati, Viti. In Africa Meſuriani, Juliani, Nicomedis, Leaci, Cæleſtini.

I iv. Kal. Febr. Pauli, Victoris, Hyppoliti, Honorati, Conſtantini. Treveris Valerii Epiſcopi.

K iii. Kal. Febr. Antiochiæ Hyppoliti. Alibi Pelliani [3] Cleri, Filippiani.

L Pridie Kal. Febr. Alexandriæ Tarſici, Gelaſii, Hyppoliti, Thirſi Mart. Galinici, Victoris.

Menſis FEBRUARIUS habet dies XXVIII.

M KAL. Febr. In Scotia depoſitio Brigidæ Virginis. Alibi Polycarpi, Pœnis Publii, Severi Confeſſ. Vindimialis Martyris.

N iv. Nonas Febr. Solemnitas S. Mariæ, quando Dominum in Templo repræſentavit. In Africa Victoris, Privatulæ. Romæ Laurentii, Fortunati, Aurelii *, Floſculi Confeſſ. & depoſitio Sichariæ Virginis.

* al. Aurelianis Fuſculi

O iii. Non. Febr. Africa Felicis, Laurentii, Celerinæ, Hyppoliti, Felicitatis Confeſſ. Vappingo Territi Conf. Lugdun. Lupicini Confeſſ.

P Pridie Non. Febr. Gemini, Gelaſi [4], Magni [5], Donati, Aquilini, Timoe.

Q Nonis Febr. Siciliæ Paſſio Agathæ Virginis, Revocati, Saturi, Felicis [6], Saturnini. Viennæ Aviti

Digitized by Google

Confess. Andreæ Apostoli ordinatio Episcopatûs.

R viii. Idus Febr. Soteris Virginis. Alibi Saturnini, Revocati, Dorotheæ, Theofili. Alibi Passio Luciæ Virginis, Amandi Episcopi, Vedasti Episcopi.

S vii. Idus Febr. [7] Aguli Martyris, Anatholii, Ammonis, Statiani, Nepotiani, Lucii, Saturnini, [8] Saturnæ, Andreæ.

T vi. Idus Febr. Armenia, Dionysii, Emiliani, [9] Thomæ, Juli, Germani, Agathon. Ciriaci.

V v. Idus Febr. Alexandriæ Ammonis, Emiliani, Sebastiani. Romæ Pauli Episcopi. Alibi Luci.

A iv. Idus Febr. Appollonis Martyris, Protei, [10] Grionis, Pausi Mart. Silvani Confess. Andreæ, Trojani Confess. Romæ Soteris, Zotici, Hirenei, Jacinthi, Amati Mart.

B iii. Idus Febr. Eufraxi, Pasiliani, Amantii, Talici, Felicis, [11] Sorothedis. Lugduni Desiderii Episcopi. Pictavis Baldegundæ. Romæ Colocéri, Partemi Mart.

C Pridie Idus Febr. Damiani Martyris, [12] Luciani, Donati, Eraclii, Susannæ, Eulaliæ, [13] Orbani, Simplicii Confess.

D Idibus Febr. [a] Luciani Martyris, Juliani, Ciriaci, Ammonis, Decenti. Lugduni Depositio Stephani Episcopi.

E xvi. Kal. Martii. Romæ Valentini, Zenonis, Vitalis, Filiculæ Mart. Marciani, Vincentii, Germani, Barsiani Mart. Agatonis Mart. Jonas, Ægeas. Et diabolus retro à Domino recessit.

F xv. Kal. Martii. Joseppi, Agapæ Virginis, Johannis, Adventi, Xysti, Victoris, [14] Pomponi, Castoli.

G xiv. Kal. Martii. Faustiniani, Plesi, Ququfatis, Fabiani, Maximæ, [c] Junellæ cum aliis quinquaginta-quatuor *, Juliani Mart. cum quinque milia. Depositio Tedradii Episcopi.

* al. 154.

H xiii. Kal. Martii. Donati Martyris, [15] Crisantiani, Romoli Mart. cum octoginta-quatuor, Januarii, Octaviani, Govoli, Marci.

Digitized by Google

I xii. Kal. Martii. Rutuli, Classici, Damasi, Pauli, Marcialis, Maximi, Marcelli, Fructuli.

K xi. Kal. Martii. Publii, Juliani, Barechæi, Tulii, Lampasi, [16] Majuli, Julii, Marcelli.

L x. Kal. Martii. Potanii, Nemesci, Didimi, Gagi Conf. Victoris, Coronæ.

M ix. Kal. Martii. In Africa [17] Viruli, Sirici, Jocundi, Victurini, Petri, Justi, Secundi.

N viii. Kal. Martii. Cathedra [e] sancti Petri Apostoli, qua sedit apud Antiochiam, Teclæ Virginis, Victurini, Concordiæ, Seneri. Et alibi lxi. Mart. Euteri, Castæ, Flaviæ, Gurgoni.

O vii. Kal. Martii. Seneroti, [f] Policarpi Episcopi cum aliis duodecim. Herotis, Crisconi, Petri, Felicis cum aliis tringinta sex, Sirici [g].

P vi. Kal. Martii [h] . . . .

P v. Kal. Martii. Donati, Ingenui cum aliis quadraginta-quinque, Justi, Castæ, [i] Crescenti, Rogatiani, Nestoris.

Q iv. Kal Martii. Alexandri, Nestoris, Theonis, Donativi, Ingenui, Fortunati, Felicis cum aliis viginti-quinque.

R iii. Kal. Martii. Alexandri, Antigoni, Abundantii, Titiani, Dionysii, & aliorum viginti-quatuor, Serviliani, Datiani, Leandri.

S Pridie Kal. Martii. Celeris, Pupilli, Claudiani, Machari, Gaiæ, Rufinæ, Justi.

MARTIUS habet dies xxxi.

A KALENDIS Martii. Passio Leonis Mart. Donati, Habundantii, Hermetis, Adriani, Victuri. Andegavis sancti Albini Confess.

B vi. Nonas Martii. Heroli. Romæ Lucii Episcopi, Pauli, Georgii, Januariæ, Absaloni, Primitivæ.

C v. Non. Martii. Felicis, Lucioli, Gagolæ, Emeteri, Julii, Casti, Justi, Soli.

D iv. Non. Mart. Romæ Natalis sanctorum Mar-

Digitized by Google

tyrum octingentorum, Julii, Roti, Lucii, Gagi, Furtinionis, Gregorii. Adriani Romani Episcopi ordinatio.

E III. Non. Mart. Africa Evoli, Petri, Focæ Mart. Victoris, Eusebii. Alibi Saturnini, Marcii, Martini.

F Pridie Non. Mart. Nicomediæ Victoris. Alibi Alexandri, Diodori, Perpetuæ, Felicitatis, Silvani.

G Nonis Mart. Africa Passio Perpetuæ & Felicitatis, Satyri. Alibi Servani, Leuci, Italici, Dandæ, Rogati, Manili.

H VIII. Idus Martii. Nicomediæ Cyrilli. Alibi Rogati, Urbani, Cyrilli [18], Heromiæ, Eremæ, Felicis.

I VII. Idus Martii. In Armenia Militum sexaginta. In Africa Juliani, Isici, Philippi, Mariani [19], Concessi. Romæ Martyrum quadraginta.

K VI. Idus Martii. Niciæ Gorgoni [20]. Antiochiæ Agapæ Virginis. Alibi Palatini, Firmiani, & aliorum plurimorum.

L V. Idus Martii. Alexandriæ Gagi, Philomi, Candidi, Valerii, Quirilli, Petronii, Eraclii, Zozimi, Marciani.

M IV. Idus Mart. [21] Nicomediæ Egdomi Martyris. Et alibi Zoni, Neonis, Pioni. Romæ Innocentii, Rasi Confessoris, Gregorii Papæ beatæ memoriæ.

Nota.

N III. Idus Mart. [22] Nicomed. Macedonii, Epopodi Abbatis, Theuretæ Martyris, Eufraxiæ, Victurini, Marcialis, Julii.

O Pridie Idus Mart. Eufrosii, Alexandri, Petri Mart. Fronimi, Pionis, Innocentii, Felicissimi. Romæ Leonis Episcopi & Mart.

P Idibus Martii. Longini, Lucii Mart. Faustæ, Pauli. Hierosolymis Jacobi Apostoli, Lucæ Evangelistæ.

Q XVII. Kalendas Aprilis. [24] Nicomediæ Castori, Sereni, Eugeniæ, Juliani Abbatis, Hilarii, Cassonis, Pampini.

R XVI. Kal. April. Theodoli. Hierosolymæ Quiriaci Episc. Dionysiii, Mariæ, Largi, Alexandri, Dacia-

Digitized by Google

ni. In Scotia Patr.cii Episcopi.

S xv. Kal. April. Alexandriæ[d] Collegii. Romæ Pumenii Presbyteri, Quartini, Samfori. Alibi [25] Selvoli * cum aliis viginti-quatuor, Quinti, Saldæ, Rogati.

* al. Servuli

T xiv. Kal. April. Theodori, Bassi, Basiliæ, Leonti Conf. Sorenti, Marci, Florenti.

V xiii. Kal. April. Joseph, Pauli, Cyrilli, [e] Eugeni, Serapionis, Claudii, Victurici, Domni, Valentini, Wlframni Confessoris.

A xii. Kal. Aprilis. Alexandriæ Serapionis, Josippi, Volusiani, Policarpi, Amatoris, Ammonii, Benedicti Abbatis.

B Kal. April. Narbonæ Pauli Confessoris. In Africa Saturnini. In Sabastia Deeroni, Arionis.

C x. Kal. April. In Africa Felicis[f] Abbatis, Theodori, Juliani, Agatii[g], Piomoli, Pauli, Dionysii.

D ix. Kal. April. Africa Agapiti, Romoli, Rogati, Saturnini, [h] Abbæ, Secunduli, Victurini, Seleuci. Romæ Cirini Martyris.

E viii. Kal. April. Adnuntiatio sanctæ Mariæ Matris Domini. Hierosolymis Dominus noster Jesus Christus crucifixus est. Et Passio sancti Jacobi Apostoli fratris Domini. Nicomediæ Dulæ. Alibi Lucellæ & [i] nongentorum Martyrum. Juvini, Teclæ Mart. [k] Isaac, sanctæ Theodolæ.

F vii. Kal. April. Romæ Castuli [l] Abb. Monati Mart. Petri, Marciani, Cassioni, Timothei, Theodori.

G vi. Kal. April. Resurrectio Domini nostri Jesu Christi. In Africa Romoli, [m] [26] Missiæ, Solutoris, Saturnini.

H v. Kal. April. Rogati, [27] Audautæ, Castorii, Alexandri, Dorothei. Cavalono Guntramni Regis bene pausati.

I iv. Kal. April. [28] Nicomed. Pastoris, Victurini. Dolæ [n] Julianæ. Antiochiæ Theodori, Saturnini, Poentalis. Alibi [o] Achaïcæ.

K iii. Kal. April. Thessalonicæ Domnini. Phip-

popoli Acaci, Palatini. Alibi Victoris, Eulaliæ Virginis, & Depositio Pastoris.

L Pridie Kal. April. Africa Anesi, Felicis, Diodoli, Porti, Abdæ P, Cornelii, Valeriæ.

Mensis Aprilis habet dies xxx.

M KALENDIS Aprilis. In Arminia Partini, Quintiani. Alibi Victoris, Agapæ, Herenei, Dionysii, Stephani, Secundi.

N iv. Nonas April. In Africa [29] Camp. Victoris. Alibi Marcellini, Theodoli, Urbani, Niceti Confess.

O iii. Non. April. In [30] Nicomedia Thomæ [31]. Alibi Prancati, Agathæ, Theodosiæ Virg. [32] Donati, Amphiani, Evagri, Xisti Mart. Benigni.

P Pridie Nonas April. Theodoli, Agathonis, Pauli, Saturnini, Publii, Victoris, [33] Successi, Matutini, Urbani, Juliani. Mediolano Depositio Ambrosii Confessoris.

Q Nonis April. Claudianæ, Marcianæ, Didimi, Quinti, Honorii, Agapæ, Ansiani, Nicanoris, Andronici.

R viii. Idus April. In Nicomedia Firmi, Herenei, Romani, Donati, Epiphani, Timothei, Clusi, Quiriaci, [35] Martinæ.

S vii. Idus April. In Antiochia Timothæi, Diogenis, Eleusi, Machariæ, Maximæ. Alibi [36] Copricæ, Victoris, Pelusi.

T vi. Idus April. Africa [37] Timori, Conexi, Concessæ, Solutoris, Successi, Machari, Pinnari, Ammoni, Maximi.

V v. Idus April. Demetri, Hilari, Concessi, Mari, Fortunati, Donati & aliorum, septem [38] Virginum.

A iv. Idus April. In Alexandria Apollonis, Granii, Saturnini. Alexandriæ Gagani [39], Hilarii, Donati, Pinnadi, Theodori.

B iii. Idus April. Leonis Papæ & Confess. Salonis, Domnini, Fortunati, Eustorgii, Nestoris, Maxi-

Digitized by Google

mi, Donati, Siagrii Confess. & [40] aliorum ducentorum quadraginta.

C Pridie Idus April. In [41] Asia Carpi. Alibi Julii, Agapi, Pauli, Cypriani, Valerii, Constantini Confess. Isaac, Cari, Eufemiæ.

D Idibus April. [42] Eufimiæ Martyris, Eucapi, Secutoris, Catuli, Januarii, Policarpi, Pauli.

E XVIII. Kal. Maii. Romæ Tiburtii, Valeriani, Maximi. Alibi, Proculi, Optati, [43] Cornelii, Quiriaci, Frontonis Monachi.

F XVII. Kal. Maii, Picino [44] Maronis, Messoris, Mositis. Alibi Arcellai, Diogenis, Vironicæ, Prosduci, Luperci Mart. Gorgii, Agatæ.

XVI. Kal. Maii. In Achaia Carissi Mart. Alibi Basiliæ, Marcialis, Calisti Mart. Felicis, Luciani, Faustini.

H XV. Kal. Maii. Antiochiæ Petri, Ermogenis, Marciani. In Africa [a] Baruci, Donati, Macedoni, Fortunati.

I XIV. Kal. Maii. Septimi, Victurici, Donati, Eleuteri Episcopi, Crispini, Mappalici, Anthiæ, [b] Victurinæ.

K XIII. Kal. Maii. In Arminia Hermogenis, Gagi, Rufi Mart. [c] Fortunati, Seratiani, Donati. Alibi Vincentii, Vitalis Mart.

L XII. Kal. Maii. [d] Africa Serviani, [e] Arajaci, Johannis, Romæ [f] Victoris, Tiaraci, Salviani, Donati Mart. Autisiodori [g] Mariani Confessoris.

M XI. Kal. Maii. [45] Alexandriæ [h] Fortunati, Aratoris, Vitalis. Romæ Valeriani, Aprunculi, Maximi [i] Abb. Cesari.

N Kal. Maii. Philippi. Romæ Gaii Papæ. Lugduni Epepodi. Alibi Leonidis, Primoli, Turdiani. Senonis Leonis Episcopi.

O IX. Kal. Maii. In Africa Catolini, [l] Victoris, Ursi. Romæ Georgii Martyris, Naboris, Vitalis. Alibi Felicis, Fortunati, [46] Achillei, Pantalimoni, Theodoræ, Faustini.

Digitized by Google

P viii. Kal. Maii. Victoris 47, Coronæ, Donati, Theonis, Faustini, Sidrac, Misac & Abdenago sic liberati sunt. 48 Alexandria Georgii Mart. Lugduni Passio sanctorum Alexandri cum aliis triginta-tribus.

Q vii. Kal. Maii. Evodii, Fortunati. n Diospoli civitate sancti Georgii Martyris. Lugduno Rustici Confess.

R vi. Kal. Maii. Aurelii o, 49 Leonis. Africa Juli, Sirici, Vindei, Pauli, Cleti Mart. Maximi, Marciani, Simplici, Germani p, Gemellini.

S v. Kal. Maii. q Antimii Episcopi, Castori, r 50 Antimi, Hermetis, Victoris, Germani, Stephani, Antonini, Thimiæ, Sodalis.

T iv. Kal. Maii. Eusebi r. Romæ Vitalis f, Victori, Malini cum aliis centum septuaginta. Afrosidi, Manilii. Niciæ, Luciani cum aliis quadringentis decem. Bituricæ Eutici Confess. Egressio Noë de arca.

A iii. Kal. Maii. 51 Alexandriæ Germani. Alibi Prosduci, Prudentii, Valentini t, Urbani, Gradi, Pudentii, Manili, Metorinæ * Virginis, Vitalis.

* al. Metronæ

B Pridie Kal. Maii. Alexandr. Dorothei, Crispini. Alibi Pomodiani. u Romæ 52 Quirini Martyris, Rodimini *, Polocronii Confess. Pastoris, Mariani x, Jacobi. y

* al. Rodociani

Maius habet dies xxxi.

C Kalendis Maii. In Asia Natalis a Philippi & b Jacobi Apostolorum. c In Galliis sancti Amatoris Conf. Sigismundi Regis. 53 Tolosæ Orientii Episcopi, Quiriaci.

D vi. Nonas Maii. Germani, Saturnini, Helpidii, Cælestini, 54 Privatæ, Felicis, Hermogenis, Cetini, Urbani, Becillici.

E v. Nonas Maii. d Inventio sanctæ Crucis. e Romæ f Hermogenis, Alexandri, Eventii, Theodoli, Juvinalis Conf. Orbani, Mariani, Fortunati.

F iv. Nonas Maii. g Antonini Martyris, Cælestini,

Digitized by Google

stini, Felicis, Floriani Mart. Silvani, Nestoris, Corcodimi Conf. Romani, Fortunati. Ascensio Domini nostri JESU CHRISTI.

G III. Non. Maii. Eufimi *, [h] Gregorii, Petivi. Aralato Hilarii. Vienna Felicissimi, Nectarii, Niceti. Autisiodoro [55] Juviniani Martyris.

* al. Eutimi

H Pridie Non. Maii. [i] Persida Matthæi Apostoli. Alibi [56] Hierontii, Secundiani. Mediolano Victoris, Felicis. Autisiodoro Valerii [57].

I Nonis Maii. Agustini, Marcellini, Cellerini, Eutici, [k] Georgii, Helari Confess. Agustoduno Placidi [l], Marobi, Flavii.

K VIII. Idus Maii. Victoris Martyris, Fortunati, Agati, Maximi, Stephani, Eutici, Saturnini. In Santonico Martini. Autisiodoro Pelladii *.

* al. Helladii

L VII. Idus Maii. Quirilli, [m] Genoni, Thimotei [58], Gurdianæ, Primolæ, Quindei, Afrodisi, Beati Confess. [59]

M VI. Idus Maii. Romæ Epimachi, Gordiani. Alibi Probatæ, Cyrilli, Petri, Felicis [n], Faustæ, Mariæ, [o] Job Prophetæ.

N V. Idus Maii. [p] Montaniani, Septimi, Maroli, Epimini, Antimi [q], Demetrii. Vienna Mamerti, Martini *.

* al. Martiniani

O IV. Idus Maii. Romæ Nerei, Achilei, Pancratii Mart. [r] Sotheris Virginis [s] [60], Afroditi Martyris cum aliis quingentis quatuor.

P III. Idus Maii Agrippæ [t], Lucæ, Sabini, Gagi, Sebastiani, Taraci, Probi, Andronici, Victoris, Saturnini, [u] Marculliani, Martini.

Q Pridie Idus Maii. Victoris, [x] Quarti, Secundiani, Proculi, Maximi, & quadringentorum quatuor, qui cum sancto [y] Ciriaco passi sunt. Romæ Isidori, Bonifacii.

R Idibus Maii. Timothei, Præstabilis, Digni, Simplicii, Felicis, Cirici, Victoris, Petri, Andreæ, Dionysii, Tretici * Episcopi.

* al. Retici

S XVII. Kal. Jun. Aquilini, Eraclii, Victoriani,

Digitized by Google

Paulini, [aa] [61] Diocletiani, Mengeni, Vincentii, [bb] Peregrini Mart. Fidoli Confessoris.

T xvi. Kal. Jun. Victoris, Primi, Liberii, Eraclii, Aquilini, Martini, [cc] Galli, Cori, Pauli, Peregrini Mart.

V xv. Kal. Jun. Alexandria Potamonis, Maximæ, Ermon. Alibi Dioscori Martyris, Dativi, Hortasii, Victoris, Cassi, Luciosæ, Marci Evangelistæ.

A xiv. Kal. Jun. Romæ Caloceri, [62] Potentianæ Mart. Paterni Martyris, Calisti, [dd] Polioci, Quinti, Emeli, Primoli, Partini.

B xiii. Kal. Jun. [ee] Romæ Basillæ, Victoriæ, Basillissæ, Baudili Mart. Cellosæ *, Salsæ, Gervasii, Protasii, Fausti, [ff] Austrighisili.

* *al.* Marcellosæ

C xii. Kal. Jun. Thimothei, [63] Poli, Eviti, Victuri, Donati, Matthæi Apostoli, [gg] Valis Confess.

D xi. Kal. Jun. Roma Faustini, Venusti. In Corsica Juliæ, Casti. Autisiodero Helenæ Virginis. Alibi Poliucti, Felicis [64].

E x. Kal. Jun. Epictiti, Basillei. Affrica Quinti, Luci. Vienna Desiderii Episcopi, Juliani, Firmi, Aptonii, Fausti.

F ix. Kal. Jun. Servuli, Saturnini, Zoeli, Vincentii. Nammetis Rogatiani, Donatiani Mart.

G viii. Kal. Jun. [65] Sentiatæ, Dionysii, Eusebii, [66] Macenti. Roma Urbani Papæ, Desiderii Martyris. [hh] Africa Johannis Apostoli. Tregas [ii] Leonis Mon.

H vii. Kal. Jun. Africa Eraclii, Agustini Episcopi, [mm] [67] Felicissimi, Pauli, Victuri, Rufini, [68] Saturi. Autisiodero Passio Prisci. Romæ Semetri cum *aliis* viginti tribus Martyribus.

I vi. Kal. Jun. [nn] Aquili, Heliæ, Sacci, Julii, Saluciani, Eutrici, Quinti, Stabuli, Evangelii, Luciani. Roma Restitutæ.

K v. Kal. Jun. Zetuli, Primoli, Emili. Roma [oo] [69] Epicati, Marciani, Castuli. Parisius Germani Confessoris.

L iv. Kal. Jun. Pollionis, Crispoli, Cyrilli, Pri-

Digitized by Google

mi, Restituti, Venusti, Carelli, [pp] Maximini Confessoris.

M III. Kal. Jun. Sici, Palatini Mart. Gabini, Crispoli.

N Pridie Kal. Jun. Canti, Procati, Datianæ, [qq] Donatianæ, Processi. Roma Petronillæ Virginis filiæ sancti Petri, Isici, Germanæ [rr], Paulini [ff].

JUNIUS habet dies XXX.

O KALENDIS Junii. Thessalonica Octavi, Luciæ, Casti, Publii, Lupi, Crispini, Claudii, Maximæ. Alibi Eladi, Zosimi, Joventi, Castulæ, Arabi, Romani. Vienna Eladi Episcopi [a].

P IV. Nonas Jun. Romæ Marcellini, [b] Petri Mart. Zachariæ, Rogati, Saturnini. Alibi Tamati. Lugduno [c] Rogatini, & quadraginta-octo Martyrum, Maturi, Rogatiani, Vincentii.

Q III. Nonas Junii. Africa Quirini, Abdiani, Nepori, [d] Demetriæ, Julianæ Virg. Alibi Thomæ Apostoli, Marcelli, Silvani, Laifardi Presbyteri.

R Pridie Nonas Jun. Zotici, Camasi *, Julii, Saturnini, Italii, Datiani, Rustici, Quirini, Pieti [e], Expergentæ, Rustuli, Crescentiæ.

* *al.* Amasi

S Nonis Junii. In Ægypto Marciani. Alibi [f] Evasi. Roma Felicitatis, Gregorii, [g] Nicandri, Apollonii, Gagi, Helari, [i] Candidi. Alibi Zoeli, Fortunati [h].

T VIII. Idus Jan. [i] Nicomedia Amati, Lucii, Andreæ. Alibi Italii, Philippi, Claudii. [k] Grationol. * Cerati, Episcopi, Alexandri.

* *f.* Gratianopoli

V VII. Idus Jun. Pauli, Fortunati, Macri, Primosii. Africa [l] Victuri, Privatæ, Donatæ. Alibi [m] Luciani Mart.

A VI. Idus Jun. Marciani, Cresti, Marti, Vitici, Salustiani, Roma Nazarii, Primi, Naboris, Feliciani. Alibi [z] Marciæ. Suession. Medardi [n].

B V. Idus Jun. Maximi, Basillidis, Zachariæ, Cen-

Digitized by Google

ſuri, Amantii. Romæ Primi, Feliciani. In Galliis Ageano Vincentii Martyris.

C   IV. Idus Jun. Romæ Baſillæ, [o] Caſſianæ. Alibi Criſpoli, Reſtituti, Rogati, Zachariæ. Autiſiodero Cenſuri Epiſcopi.

D   III. Idus Jun. Romæ Reſtituti. Alibi Fortunati, Emeriti, Ereti, Victoriani, Victoris, Felicis [p].

E   Pridie Idus Jun. Romæ Baſilidis [q]. Tripoli Cirini, Naboris, Nazarii, Felicis, Magdaletis, Zabini, Aurelii, Donatellæ, Helidii Epiſcopi.

F   Idibus Junii. Perſida Bartholomæi Apoſtoli, [r] [2] Feliculæ. Africa Luciani, Fortunati, Teclæ, Creſcentiani.

G   XVIII. Kal. Julii. * Antioni [ſ]. Africa Quintiniani, [4] Proti. Aurilian. Tranſlatio Aniani. [t] Sueſſione Valeri, Rufini Mart. [5] Ignatii Epiſcopi.

* al. Antigoni

H   XVII. Kal. Jul. Iſici, Cantiani, [u] Nuci, Gajani, Candidæ. [x] Roma Viti, Clementis, [y] Joviniani, Philippi, Criſogoni, [6] Quintiani.

I   XVI. Kal. Jul. Diogenis, Saturnini. Antiochia Cyrici, Viti Mart. Modeſti, Criſcentii, Julitæ Mart. & quadringentorum quatuor militum. Nannetis [z] Similini.

K   XV. Kal. Jul. Quiriaci, Cantiani, Marini Mart. Romæ Diogenis, Blaſti, & aliorum Martyrum ducentorum ſexaginta-duorum, Alexandri, Dioſcori. Alibi Mariæ Ciriæ. Aurilianis Aviti.

L   XIV. Kal. Jul. Romæ Marci, Marcelliani, Emili, Felicis, Pauli [7], Martari. Alibi Criſpinæ, Marinæ.

M   XIII. Kal. Jul. [aa] Mediolani Nazarii, Gervaſii, Protaſii, Celſi Martyrum. Romæ Hippolyti, Evoti, Honorii, Petri, Vitalis, Urſicini.

N   XII. Kal. Jul. In Tomis civitate Pauli, Cyriaci, [bb] Feliciani, Thomæ, Felicis, Emeli, Vitalis, Criſpini.

O   XI. Kal. Jul. Bellici, Perſci, Primi, Apillonaris, Rufini. In Cæſaria Euſebii Epiſcopi, [cc] Saturnini, Quiriaci [dd].

Digitized by Google

P x. Kal. Jul. Antiochia[a] Gantalici, Juliani, Grapi Mart. Jacobi Alphei Apostoli, Rufi, Albini Mart. cum aliis octingentis octoginta-octo, [ee] Paulini Conf. Nicæ * Episcopi.

* al. Niceti

Q ix. Kal. Jul. Nicomedia[9], Aviti, Cingami, Gapitonis, Aricionis, Emeriti, [ff] Alici cum[10] septuaginta-octo.

R viii. Kal. Jul. In Palestina Natalis sancti Johannis Baptistæ, [gg] [11] & Dormitionis sancti Johannis Apostoli. Romæ Festi, Luciæ. Agustoduno Simplicii.

S vii. Kal. Jul. Bigati,[12] Lamtani, Aceiæ Regis, Luciæ Virginis. Rarbacis * Monasterio Dedicatio Ecclesiæ sancti Audoëni Episcopi.

* al. Rasbacis

T vi. Kal. Jul. Africa Gaudentii, Felicis. [hh] Roma Johannis & Pauli Martyrum, Agapiti [ii], Emeriti. Alexandria Agatonis, Diogenis.

A v. Kal. Jul. Roma Crispi, Spinellæ. Spania Crescentis, Crispiniani, Felicis, Justini, Juliani, Primitivi, Clementis. In Oïa Florentii.

B iv. Kal. Jul. Africa Fabiani, Theoni, [mm] Gurdini. Alexandria Sereni, Seniadi [nn], Venusti Eunuchi, Apolloni, Dionysii. Lugduno Herenei, Marcellæ [oo].

C iii. Kal. Jul. Roma Natalis Apostolorum Petri & Pauli, Nevatiani cum nongentis septuaginta-septem Martyribus. Persida Nativitas Simonis, Judæ Apostolorum.

D Pridie Kal. Jul. Roma Thimothei, Leonis, Pamphili. [pp] Lemoduno Cursici, Marcialis Confess. Andegavo Albini Confessoris.

Julius habet dies xxxi.

E KALENDIS Julii. Roma Gaii, Luciæ, Isici. Alibi Orionis, Crilifi Confessoris, Zoeli, Severiani. In monte Or Depositio[a] Aaron Sacerdotis. In Persida Simonis & Judæ Apostoli. Agustoduno Leonti. [b] Ingolisma Eparci Episcopi [c].

F vi. Nonas Jul. Romæ Damasi, Cælesti, Euti-

Digitized by Google

ci, [d] Melciadis, Isici, Processi, [2] Martiniani. [e] Turonis Munegundæ[3].

G v. Nonas Julii. In Edissa Translatio [f] & Natalis Thomæ Apostoli. Alibi Trifonis, Chionii, Aprici, Juliani, Severi, Eufemiæ, Ciriani [g].

H iv. Nonas Julii. Jucundiani, Innocentii. Turonis Ordinatio Episcopatus, & Translatio corporis sancti Martini Episcopi & Confessoris, & Dedicatio Basilicæ ipsius. Bitur. Lauriani Mart.

I iii. Nonas Jul. Agathoni, Theodoni, Trifonis, Magrini, Arpotis, Stratonis, Theodoti, Meroni, Merini, Rodesiæ.

K Pridie Nonas Jul. Artoti, [h] Paladi, Philippi, Severi, Zeti, Zotici. Agustoduno Legontii Episcopi, & Octabas Apostolorum.

L Nonis Jul. Alexandria Partemi, Eraclei, Apolloniæ, Publii. Alibi Parteni, Pividii, Parmini, Helei, Publii.

M viii. Idus Jul. Nicia Sustrati, Eracli. Alibi Perenti, [i] Proculi, Seperi, Quarti, [5] Prancati, Corniliani, [k] Cladii, Primoli.

N vii. Idus Jul. Mochi, Zenoni, Cyrilli Episcopi, Feliciani. Roma Floriani, Procopi Mart. Faustini, Anatholii, Felicitatis. [l] Alexandria Fraterni.

O vi. Idus Jul. Roma Natalis septem fratrum filii sanctæ Felicitatis, Felicis, Rufinæ, Secundæ, Anatholiæ, Marciani, Leontii, Philippi, Silvani, Prætexati, Maximi, Januarii, Cyrilli [m].

P v. Idus Jul. Africa [n] Mariani, & Depositio Benedicti Abbatis. Alibi Januarii, Stephani, Leontii, Marciani, Prodiciæ, Mauritii, Eutici. Pectavis Sisini, Pii Mart. [o]

Q iv. Idus Jul. Fortunati. Sicilia [6] Agathæ Virg. Mediolano Naboris, Felicis. Alibi Primitivi, [p] Divi, Corninsii, Viventioli Episcopi.

R iii. Idus Jul. [7] Alexandriæ Serapionis, Melei, Trofimæ, Tropimei, Attali, Evangelii, [q] [8] Propili, Menei. Mediolano Naboris, Felicis.

Digitized by Google

S Pridie Idus Jul. Africa Donatæ. Alibi Petri, Foci. Lugduno Justi Confessoris, Amici Con. Marii, [s] Anthioti.

T Idibus Jul. Alexandria Philippi. Alibi, Agripini, [r] Catulini, Bonosæ; Zozimi, Jacobi, Secundi, Maximi. Roma Cirici Martyris.

V xvii. Kal. Augusti, Helarini, [10] Migeciæ, Theodosi, Dionysii [11], [f] Mocharii, Mametis, Valenti, Theoni.

A xvi. Kal. Agusti. Africa Aquilini. Alibi Marcelli, [t] Generosi. Bituricum Nazarii. Autisiodero [u] Theodosii.

B xv. Kal. Agusti. Roma [12] Simphorosi, Petri, Pauli, Hirenei. Alibi Falbei Episcopi [13] [x], Emilianæ, Aquillii, Arnulfi Episcopi & Confessoris.

C xiv. Kal. Agusti Alexandria Sisinni. Alibi Machadoræ, Dariæ, Justæ [y], Torquati, Lampadii, Petri. Lugduno Rustici Confess.

D xiii. Kal. Agusti. Africa Sabini. Alibi Victoris, Paulæ, Luciæ, Ciriaci, Maximi, Romani, Valeriani, Macridæ, Secundæ.

E xii. Kal. Agusti. Africa Victoris. Alibi Adriani, Fausti. Masilia Alexandri, Victoris, Deotherii, Feliciani Mart. Roma Praxedis, Feliciani, Longini.

F xi. Kal. Agusti. Anthiochia Cyrilli Episcopi, Andreæ, Thebelli, Aurili, Stertei. Alibi Platonis, Eliani, [14] Aiobosi, Apollonaris Episcopi.

G x. Kal. Agusti. Roma Vincentii. Ravenna Apollinaris. Laodicia Frigiæ, Minisei, Tisici, [aa] Primitivi.

H ix. Kal. Agusti. Victorini, Statiani, Militaris, Silvani, Christinæ Virginis [bb].

I viii. Kal. Agusti. Roma Aconti, & Passio sancti Jacobi Apostoli fratris Johannis [cc]. Alibi [dd] Julianæ, Clementis, Cristofori, [ee] Nonni.

K vii. Kal. Agusti. Joviniani [ff], Juliani, Emeli, Marciani, Adrianæ, Marcianæ, Mutianæ, Laudaciæ.

L vi. Kal. Agusti. Felicis, Juliæ, [hh] Symionis Mo-

Digitized by Google

nachi, Jocundi [ii], Genuari. Autisiodero Etherii Episcopi.

M v. Kal. Agusti. Auxentii, Septimiæ, Pantaleonis. Mediolano Gervasii, Protasii, Nazarii, Celsi, Theopholi, Simplicii, Faustini, Victoris, Prudentii, Beatricis. Redonis Riodomi Confess. Britan. Samsonis Confessoris.

N iv. Kal. Augusti. Roma Felicis, Simplicii, Faustini, Beatricis. Absеodi, Anastasiæ. Tricas Lupi Episcopi, Rufi, Pontiani. Aurilianis Prosperi Episcopi.

O iii. Kal. Agusti. Roma [mm] Abdo & Senes, Maximæ [nn], Faustini, Viatricis [oo], Justi. Autisiodero Ursi Episcopi, Paternicæ, Septimiæ.

P Pridie Kal. Agusti. Democriti, Dionisii. Autisiod. Germani Confess. Secundi, Tirsi, Aunomari * Episcopi [pp].

* al Aunocari

Agustus habet dies xxxi.

Q Kalendis Agusti. [a] Anthiochia Passio sanctorum Machabæorum, Petri, Cyrilli Mart. [b] Rufi. Vercellis [c] Eusebii Confess. Bituricas Archadi* Episcopi, Felicis Martyris. Roma ad vincula catenas sancti Petri osculandas. Item Fausti, Bonosi, Mauri, Calumniosi, Johannis, Exuperanti, Casti, Cyrilli, Honorati, Theodosi, Basilii [d].

* al. Arcedadi

R iv. Nonas Agusti. Roma Stephani Episcopi & Mart. [e] Theodoti, Felicis Mart. Niceti.

S iii. Non. Agusti. [f] Autisiodero Eufronii, [g] Hermoli Mart. Drogenis, Stephani. Alibi Matrofili, Acellæ.

T Pridie Non. Agusti. Roma Laurentii, Criscentiani, Jachincti, [h] Justi, [i] Segæ, Bartholomæi.

V Nonis Agusti. [2] Eraclii, Herenei, Dassi, Afri. Agustoduno Cassiani. [i] Catalaunum sancti Memmii Episc.

A viii. Idus Agusti. Romæ Xysti Martyris, Felicissimi & Agapiti, Donatiani [k] Confessoris, Afræ Martyris, Faustini, Hippoliti cum centum sexagintaquinque.

B xvii.

Digitized by Google

B vii. Idus Agusti. Faustini [l], Aurenti, Quiriaci, Simfroni, [3] Veneriæ, Donati Confess. Afræ, Carpofori Mart.

C vi. Idus Agusti. Roma Secundini, Ciriaci, Nazari, Agapæ Virginis, Severiani, Victorini, Albani, Largi. Alibi Metrotæ * Virginis.

* *al.* Metrodoræ

D v. Idus Agusti. Firmi, Rustici, Dionysii, Permoni, Gagi, Sixti, [m] Sancti Martini de Briva, Urbani, Luci.

E iv. Idus Agusti. Roma Laurentii Martyris Archidiaconi, Criscentionis, Felicissimi. Alibi Mariæ, Januarii, Cyrillæ.

F iii. Idus Agusti. Roma Tiburtii [n], [o] Valeriani, Susannæ, Ceciliæ Virg. Alibi Cassiani Mart. Radegundæ Reginæ, Gaugerici Episcopi & Confessoris.

G Pridie Idus Agusti. Roma [p] Eupli, Leuci, Jasonis, [4] Venerei, Macharii, Dariæ, [5] Crissanti, Juliani.

H Idibus Agusti. Roma Ippoliti Mart. Luciani, Pontiani. Alibi [q] Anthiochia, Cælesti, Cornelii, Anoci, Radegundæ, [r] Eupli Levitæ & Martyris.

I xviiii. Kal. Septembris. Fortunati, Vincentiæ, Tituli, Pauli, Parmi, Eraclii, Demetrii, Felicis. Roma Eusebii [6].

K* xviii. Kal. Septemb. Assumptio sanctæ MARIÆ Matris Domini. Nicomedia Stratonis, Philippi, Euticiani.

L xvii. Kal. Sept. [f] [t] [7] Emili, Orionis, Tirsi, Agniti [u].

M xvi. Kal. Sept. In Cæssaria Mammetis Monachi [x], Origenis, Eufemiæ, Eimilidissei, & Octabas sancti Laurentii.

N xv. Kal. Sept. Agapiti, Candidi, Pontimi, Helianæ, Massæ, Marcianæ Virg. [z] [8] Eziaci.

O xiv. Kal. Sept. [aa] Filonis, Rufini, Leonti, Theodoli, Zelasi, Magni Mart. Orionis. Bituricis [9] Marinæ Martyris. Reversio sanctæ Crucis [bb].

P xiii. Kal. Sept. Valentiniani, Pisti, Agati-

Digitized by Google

ni, [cc] Coloni, [dd] Cainan, Maximi Conf. Leonti, Dioſcori. Pictavis Ærio Inſula Depoſitio Filiberri Abbatis & Confeſſoris.

Q xii. Kal. Sept. Julii, Juliani, Vincentii, Hippoliti, Quadrati [ee], Pivati Martyris [ff].

R xi. Kal. Sept. Roma Timothei, Marcialis. Alibi Nectavi [10], Marini. Aguſtoduno Medardi, Emiliani, Simforiani Mart. [gg]

* al. Abundanti

S x. Kal. Sept. Fortunati, Habundi * [hh]. Roma Ciricæ, Egias. Lugduno Minervii, Eleazari, Sixti; Dionyſii. Remis Thimotei, [ii] Sidonii, Apollonaris. Aguſtiduno Flaviani.

T ix. Kal. Sept. In India Bartholomæi Apoſtoli. Alibi Zenobii [ll]. Rodomago civitate Audoini Epiſcopi & Confeſſoris, Genari Mart. Niverno Capitolini, Patricii Confeſſ. Geldaſi [mm]. Edua civitate Eptati [nn].

A viii. Kal. Sept. Juliani [oo], Rufini. Roma Geneſi Martyris, Hermetis, Juſti, Paſtoris Mart. [pp]

* al. Poeclani

B vii. Kal. Sept. Hermetis, Anaſtaſii Mart. [qq] [11] Heclano *, Mercurii, Baſillæ, Maximilianæ, [rr] Baſillæ, Primi, Eleutheri. Roma [12] Abundæ & Herenei Mart. Rabaſc mn. · . : . ſancti Quutualerdi Mart.

C vi. Kal. Sept. Sabaſti, Aronti, Rufi Mart. Felicis, Rufini, Olii, Hermetis, Marcellini. Aralato Cæſarii Epiſcopi. Aguſtiduno Siagri Epiſc.

* al. Pollionis

tium: Hic est potens revelare divinum mysterium. Et hic sermo optimus est visus in conspectu insipientium. Adiit ergo Domnus HUGO suum patruum nomine GUILLELMUM, atque persuasit ut eumdem virum ad hoc compelleret negotium, factumque est: & accersitum Comes Præsulem secum adduxit ad Monasterium, comitantibus viris nobilibus non paucæ numerositatis, ut intueri valerent magnalia Dei. Itaque cum infula sacerdotali more ad violandum locum, & ut pòst patuit, indignus accessit, conscendensque scabellum subpedaneum ad hoc præparatum, Deo amabilem patefecit loculum, tenensque flammeum manu cereum interiùs fixit aspectum, viditque breviculum in proxima marmoris concavitate positum, quod accipiens & recitare cupiens, cùm revolveretur, præ vetustate nimia in cinerem est resolutum. Referebant autem qui aderant, quòd sacratissima ipsius urnæ latera misto simul cruore essent & candore variata. Cupiens autem majora cognoscere quàm merebatur, & interiora illius absque reverentia revolvens, continuò hebetatis luminibus cæcitatem incurrit, nec antea vidit, donec trahendo & palpando ab Ecclesia exivit. Quo facto cæcitatem diutinam inibi incumbens omnino perdidit; sed numquam postea languore caruit, quoadusque diem ultimum clausit.

Venerabilis igitur HUGO Pontifex ordinatus religiosæ vitæ continentiam sectabatur, & quantò ampliùs sublimabatur gradus honore, tantò humiliabatur cordis contritione. Ædificium sanè quod adhuc Abbas devotè cœperat, Præsul factus implevit devotiùs. Reminiscens verò malorum quæ gesserat, & suorum delictorum penitus diem gerens, Romam tendens, Deo & sancto Petro satisfaciens, cui se cum lacrymis & debita veneratione prosternens, veniam præteritorum postulavit & impetravit criminum. Quo in loco quemdam Benedictum tunc temporis reperit Apostolicum, cui suarum vulnera aperuit cicatricum. Ille statim ægrotanti consuluit, & quomodo salutem consequi posset,

Digitized by Google

paterna pietate ostendit. Audiens verò eum contra canonum præscripta duabus præesse sedibus, præcepit ut una earum contentus alteram dimitteret: ad delendam quoque peccatorum gravedinem, & promerendam animæ salutem supradictus Papa injunxit ei, quatenus in propria diœcesi Monasterium construeret, & officiosissimè adornaret. Hoc responso accepto Pontifex religiosus privilegium libertatis à Domno petiit Apostolico, & impetravit ab eo, ut si aliquando Monasterium illud quod jubebatur, quivisset construere, absque ulla habitaretur inquietudine. Jam enim animo advertebat quomodo supradictum Condomi locum in Monachorum poneret usibus. Post hæc benedictione accepta, reditum acceleravit, & quantocius Provinciam intravit. Nec mora juxta mandatum quod acceperat, egit, atque Basatensem Episcopatum cuidam viro fideli concessit, sibi verò Agennensem retinuit. Jam tunc Consulatum in Vasconia SANCIUS Guillelmi fratribus defunctis regebat, erat autem Domni Præsulis consanguineus.

Consummatâ itaque Monasterii fabricâ, tempus instabat ut dedicatio fieri deberet. Advocato itaque Comite, factoque generali Conventu Pontificum, Abbatum, Tribunorum & Centurionum, nobiliumque virorum, acta est dedicatio, sicut quondam fuerat in honore sancti Salvatoris, & in nomine beati Petri Apostolorum Principis. Porro omnibus qui convenerant, privilegium ostendit Apostolicæ auctoritatis, quod adhuc in eodem habetur Monasterio, in quo continetur, ut nullus ex Principibus, vel Pontificibus, sive Comitibus dominationem præfati Cœnobii præsumat sibi vindicare, nec prædia, seu Ecclesias & cetera quæ ad eumdem pertinent locum, in suos usus transferre, diripere, aut alienare; sed liceat Abbati locum ipsum justè, & ut illi meliùs visum fuerit disponere, & absque molestia gubernare. De Abbate verò ordinando, liceat Monachis quemcumque dignum invenerint, sibi Rectorem & Pastorem eligere, & hoc fiat secundùm Deum:

Digitized by Google

nec præsumat aliquis primatum ibidem honoris pecuniâ emere, sive violentiâ arripere, nisi Monachorum ejusdem loci assensione. Hæc & his similia, quæ longum est enumerare, in nostro continentur privilegio; & ad ultimum hæc præcepta non observantes, Apostolica multantur feriunturque excommunicatione. Quod cùm recitatum fuisset, Comiti valde complacuit, omnibusque qui aderant, ut libenti animo obedirent his quæ recitata fuerant.

Metuens verò supradictos HUGO, ne post ejus decessum quod promittebant, prætermitterent & transgrederentur, sub attestatione sacramenti cunctos fidem facere coegit, primusque omnium SANCTIUS Comes jusjurandum protulit, & ut illum imitarentur, ceteros est adhortatus, quem subsecuti, sicut ipse egerat, sacramento fidem fecerunt, ut fidelitatem sancto Petro servarent, & honorem illi debitum custodire spoponderunt.

Monachi in Condomensi Monasterio constituuntur.

I. Abbas Petrus.

His rite peractis, Monachos ibi Deo militaturos constituit, præficiens illis Patrem nomine PETRUM: hic quamdiu hominem gessit, morum honestate satis enituit, locumque cui prælatus est, honestissimè rexit. Nec multò pòst Domnus HUGO vitâ decessit, & in eodem loco sepulturam accepit, in introitu videlicet Ecclesiæ ad lævam partem infra maceriam; diem judicii præstolans, corpus ejus requiescit. Quem PETRUS Abbas supradictus non multò pòst subsecutus, ibidem obiit, & in loco ejus quidam nomine VERECUNDUS de Lana successit.

II. Abbas Verecundus.

Donatio sive fundatio Hugonis Episcopi. In Diplomate Gregorii PP. infrà dicitur fundator.

IN nomine summæ & individuæ Trinitatis, ego Dei gratiâ Episcopus HUGO secundùm transitoriæ nobilitatis gradum alto florens germine parentum, & pro illo deciduo putrescentis carnis flore terreno sublimatus honore, infra pectoris armarium sæpius volvebatur illud Salomonicum: *Quantò gradus altior, tantò casus gravior*. Et dum hoc sollicita meditatione mecum agerem, & omnem sæcularis dignitatis ordinem de die in diem in pejus declinando deficere viderem, paululum confidens

Digitized by Google

confidens in tam fragili flore nobilitatis, qui tam citò amittit honorem suæ viriditatis, perterruit me illud testimonium Esaiæ: *Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus quasi flos feni.* Et illud: *Exsiccatum est fenum, & cecidit flos; verbum autem Domini manet in æternum.* Ad hæc quotidie illo admonebar exemplo quod David profert in Psalmo: *Homo sicut fenum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit.* Et hoc quod sequitur: *Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscet ampliùs locum suum,* & cetera. His ergo & hujuscemodi Scripturarum testimoniis aliquantulum correctus, ea quæ mihi contulit benevolentia parentum ad radicem sæcularis honoris propagandam, illuc decrevi ut deportarentur ubi fures non effodiunt, nec furantur, & ob promissa centupla retributionis Deo disposui conferre. Salubrius mihi & illis existimans secundùm Deum consulere, si hoc quod contulerant pro amore carnis peccati & vitii fomentum, per me sanctæ Dei Ecclesiæ produceretur in augmentum. Sed ut hoc convenienter posset fieri, & ne ulla in posterum tempus meis parentibus servaretur occasio, hoc disponere volui communi consilio, & plurimorum provincialium confirmare testimonio.

Isai. 40. 6.
Ibid. 7. 8.
Psal. 102. 15.
Ibid. 16.

Anno igitur dominicæ Incarnationis M. XI. glorioso HENRICO Romanam urbem imperante, ROTHBERTO autem Franciam regente, Sedi verò Apostolicæ summæ sanctitatis viro BENEDICTO præsidente, apud provinciam Vasconiam SANCTIONE illustri viro Ducatum obtinente: Ego suprà nominatus UGO, licèt immeritus Præsul, secundùm lineam carnis eidem Duci propinquus & affinis, inito consilio cum eodem Duce, & provincialibus Episcopis, & Abbatibus, ceterisque terræ Principibus, id est, ARNALDO Episcopo & ARNALDO Vicecomite, & cum conjuge sua, eorumque filio ARNALDO, ejusque conjuge ADALIAS, BERNARDO Vicecomite, & ARNALDO Lupo Vicecomite, AMNARDO, GAUZELMO, ARHUINO, GAUSELMO alio Vicecomite, aliisque bo-

1011.

Digitized by Google

nis hominibus, qui in præsentia aderant, terrenis postpositis heredibus omnis meæ possessionis Christum heredem feci, & secundùm Psalmistam: *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Omnem itaque portionem meæ hereditatis, quam in pago Leumanniæ * liberè & absolutè & absque ulla parentum occasione possedi, Domino Deo, Principique Apostolorum Petro, Sedique Romanæ in conspectu plurimorum dedi. In primis Ecclesiam sancti Petri, & locum Condomus, quod interpretatur quasi Domus sublimis, cum omnibus appenditiis.

Psal. 83. 11.

id est, Leomaniæ

Et ut hoc donum apud Deum semper esset in memoria, placuit mihi, seu Duci SANCTIONI, vel aliis Principibus terræ, Clericos sæculariter & absque regulari disciplina ibi degentes penitus amovere, & Monachos Deo jugiter servientes, & sub regulari jugo militantes in illorum loco secundùm instituta vel monita sancti BENEDICTI ibi ordinare; & hoc jussu & Apostolica auctoritate firmare. Ad hoc omnium commune votum idoneè perficiendum, quemdam nostrum filiolum nomine PETRUM divinitus nobis collatum, virum omni virtute probatum, Apostolica auctoritate ut præesset ceteris in loco Patris constituimus, Abbatemque secundùm instituta Patrum benediximus. Quem etiam ut jugum Christi suave, & onus ejus leve aliis regulariter imponeret, paterna ammonitione submonuimus. Monachos verò, ut sibi quasi Patri & seniori in omnibus obedirent, devotè postulavimus, insuper anathematis lege indiximus.

Monachi secundùm Regulam S. Benedicti sunt instituti.

Sed quia pleraque loca maxima calamitate oppressa audivimus, & jam omnino desolata nostris temporibus vidimus, ob hoc præcipuè quia aliquanti sub specie regiminis usurpantes sibi dominium, dum ab aliis defendere deberent locum, ipsi pessimum & abominabilem immittunt usum, assiduis comestionibus bona loci turpiter consumentes, importunéque supervenientes, non familiariter, sed hostiliter hospitantes, & quod his omnibus est intolerabilius, vendunt Abbatias ipsis

Digitized by Google

Abbatibus : & hoc fit quòd ipsi non in loco spiritualium Patrum ceteris præesse videntur, sed bonis quæ comparantur turpiter dominando abutuntur, & inde gravia scandala in Monasteriis oriuntur. Nos ab illa simoniaca hæresi declinantes, & quæ Dei sunt Deo reddentes, pro obedientia tradita & remedio animæ meæ meorumque parentum, item GARSIÆ SANCTII Comitis, & filii sui SANCTII GARSIÆ Comitis, & GUILLERMI Sancii Comitis, & GUMBALDI Episcopi, & GUILLELMI Comitis, & GARSIÆ Comitis, & BERNARDI Guillermi Comitis, & URACHÆ Comitissæ, & ceterorum tam vivorum quàm defunctorum: ita ordinamus & constituimus, ut ipse locus, scilicet Condomus, tali libertate sit condonatus, ut ex hac die in deinceps nullus meorum heredum sit particeps: quidquid ad nos pertinere usque huc videbatur, ad solvendum pertineat, ipseque cum ceteris suis fidelibus, quorum nomini adscribitur, amodo in perpetuum possideat. Monachi autem ibi Deo servientes nulli sæculari personæ propter honorem loci respondeant, nec Comiti, vel Episcopo, aut ceteris coacti aliquod servitium faciant, excommunicationem Episcopi non timeant, nisi rationabili causa existente legalem esse cognoscant : sed & hanc libertatem semper habeant, ut Abbatem ex seipsis eligant; omnino tamen prohibemus ne quis pretio inter eos honorem adipisci velit, quia Apostolus dixit: *Qui dat & qui recipit, anathema sit.*

Hanc igitur nostram descriptionem, & Apostolicæ auctoritatis confirmationem si quis meorum heredum infringere voluerit, & Deo suisque fidelibus vim inferre & nostro dono stu[d]uerit, ullus cujuscumque ordinis sit, qui violare velit, cum Sem & Japhet non habeat partem benedictionis, sed cum Cham servo servorum mercedem recipiat maledictionis, & cum omni sua possessione perditioneque animæ incurrat sententiam Sodomæ & Gomorræ, fiat, fiat anathema, maranatha †. Hæc descriptio acta est IIII. Kal. Augusti UGONE

Digitized by Google

Episcopo, & SANCTIONE Duce jubente; Domino autem sine fine regnante. Amen, Amen, Amen.

An. Chr. 1076. Confirmat donationem factam ab Hugone Agennensi Episcopo.

GREGORIUS Episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio RAYMUNDO Abbati Monasterii sancti Petri siti in loco qui dicitur Condomus, suisque successoribus in perpetuum. Supernæ miserationis respectu ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus, & Apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis attenta benignitate faveamus, & libramine æquitatis omnibus in necessitate positis, quantum Deo donante possumus, subvenire debeamus: proinde juxta petitionem tuam præfato Monasterio, cui tu præesse dinosceris, hujusmodi privilegia præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus atque confirmamus; statuentes nullum Regum, vel Imperatorum, Antistitum, nullum quacumque dignitate præditum, vel quemcumque alium, audere de his quæ eidem venerabili loco à quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum Deo miserante justè collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie minuere vel auferre, & sive suis usibus applicare, vel aliis piis de causis per suæ avaritiæ excusationem concedere: sed cuncta quæ ibi justè oblata sunt, vel offerri contigerit, tam à te quàm ab eis, qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata & sine inquietudine volumus possideri, eorum quidem usibus pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, modis omnibus profutura.

Et quia UGO Episcopus idem Monasterium ex bonis hereditatis suæ ditatum Romanæ Ecclesiæ juri contradidit, ad futuram defensionis suæ cautelam constitutum est, ut singulis annis pensis quinque solidorum monetæ illius terræ Apostolicæ Sedi reddatur. Nominatim igitur confirmamus eidem Monasterio illas possessiones, quas prædictus UGO Episcopus ejusdem Monasterii Fundator, in pago Leumaniæ ex jure patri-

Nota.

Digitized by Google

monii sui præfato loco contulit; videlicet Ecclesiam sancti Petri & locum Condomus, quod interpretatur domus sublimis, cum omnibus suis appendiciis. Item constituimus, ut obeunte Abbate non alius ibi quacumque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem Fratres ejusdem loci communi consensu secundùm timorem Dei elegerint. Hoc quoque præsenti capitulo subjungimus ut ipsum Monasterium & Abbates ejus, vel Monachi ab omni sæcularis servitii sint infestatione securi, omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti, in sanctæ religionis observatione seduli atque quieti, & nulla aliqua habeantur occasione subjecti.

Hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quàm cunctis qui in eorum loca successerint, in perpetuum servanda decernimus. Si quis verò Regum, Sacerdotum, Clericorum, Judicum ac sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, possessionis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi ea quæ ab illo sunt malè ablata, restituerit, vel dignâ pœnitentiâ illicitè acta defleverit, à sacratissimo corpore ac sanguine Domini Redemtoris nostri JESU CHRISTI alienus fiat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus & hîc fructum boni operis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum Lateranis VIII. Idus Martii per manus PETRI sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis ac Bibliothecarii, anno tertio Pontificatus Domini VII. GREGORII Papæ, Indictione XIV.

1076.

QUONIAM vita præsens incerto tramite graditur, & immensis mundus tribulationum quatitur turbinibus, homo quoque hodie vivens cras moriturus præstolatur: satagendum est cunctis sanè sapientibus justis sollertè insistere operibus, & vitam quæ nullo fine

Præpostere polita videtur hæc charta: nam ad Gregorii VII. ætatem pervenisse non potuit.

Digitized by Google

clauditur, totis appetere viribus. Sanè ad illam nequaquam aliter pervenitur, nisi bonis actibus curratur. Ergo *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, sicut Apostolus ammonet, *& ambulemus in lucem vitæ, ne tenebræ mortis nos comprehendant*: hoc quippe infimis & majoribus dicitur, justis & peccatoribus præcipitur, egenis & divitibus injungitur, unicuique secundùm propriam virtutem & conscientiæ puritatem. Cunctis audientibus Christus clamat humanitus: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ab hac refectione nullus excusatur, nec inopia, nec infirmitate, sicut ipse cuidam ex Prædicatoribus præcepit dicens in Evangelio: *Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Multis namque bona voluntas à Deo pro opere computatur, illi videlicet qui facultate indigent operationis. Porro divitibus & Principibus sæculi hujus, maximéque sanctæ Ecclesiæ Rectoribus, qui opibus abundant, honoribus tument, superba dominatione gaudent, salute corporis & sospitate vigent, possibilitatem bene operandi habent, & voluntate carent, atque ad exercenda bona opera pigri remanent, quid aliud debetur, nisi gehenna & confusio numquam terminum habitura.

Ad Gal. 6. 10.
Iohan. 12. 35.
Matth. 11. 28.
Luc. 14. 21.

Ego itaque Ugo, quamvis indignus, officium gerens præsulatus, divitiis locuples, & abundans honoribus, quia Deus omnipotens mihi posse contulit bene operandi, ipsius favente clementia velle assumsi, & potiùs sitiens animæ salutem quàm corporis, nolui piger remanere in operibus bonis. Scio enim quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Ergo de rebus mihi à Deo commissis & conlatis cedo ipsi locum nomine & memoria dignum, sicut olim concessi Condomum in honorem sancti Petri Principis Apostolorum, locatum eadem ratione & ingenuitate, quam jam diximus, & in primo hujus seriei privilegio descripsimus, quod in archivis ejusdem Cœnobii hodie reservatur. Sed quia de statu & ordinatione ipsius Monasterii satis in

Digitized by Google

eodem privilegio disseruimus, nec bonum nobis visum est, ut quidquid idem locus, scilicet Condomus, promeruit diversis temporibus, sive à nostris temporibus, seu à viris Deo dignis & fidelibus nostris in usque diebus, hoc est, Ecclesiis, vicis, alaudis, vel territoriis succinctum colligamus, & in uno corpore redigamus, ne quando oblivione deleantur.

Enumerantur bona quæ ad Condomense Monasterium pertinent.

Primam itaque omnium Ecclesiarum de his quæ sancto Petro debentur, sive primum alaudem, ponimus in Aurelianum infra Vasconiam constitutum, & nomine sancti Cyrici decoratum. Hunc locum meus genitor GUNBALDUS Deo & sancto Petro devotè obtulit cum terris, & vineis atque casalibus, aquis aquarumve decursibus, intrandi & exeundi aditibus, & cunctis ad eum pertinentibus, absque ulla reservatione pro salute sua & redemptione sui spiritus.

Huic subjungitur in eadem Vasconiæ provincia sancti Petri Ecclesia, *Sangor* nuncupata, & ipsius nomine insignita, quam meus patruus & Vasconiæ Comes SANCTIUS eidem Cœnobio fideliter delegavit cum omnibus quæ ad ipsam pertinere videbantur: quo obeunte successit illi frater ejus GUILLELMUS Sanctius, meus itidem patruus; & agnoscens eleemosynam sui decessoris, firmiter roborare instituit, ut simul accipere mererentur portionem in regno Dei.

Ecclesiam sancti Petri Sanagorensis, quam AMANEUS Leb●estensis eodem tempore quasi propriam vindicabat, datis figuimis duobus equis magni pretii, & viginti solidis redemit ad augendum honorem sancti Petri Condomensis, cui fideliter deservire studuit.

Postea sequitur sancti Stephani Ecclesia *Berringus* dicta, quam ego jam tradidi sancto Petro cum omni censu Ecclesiastico, deprecans ut ipse mihi succurrat in futuro, cui me toto cordis affectu commendo. Nunc ad alia transeamus, & quia nobis proxima & cognita sunt, sub brevitate curramus.

Est quidam locus nomine *Molans* alaudus sancti Petri, & suprà taxati Cœnobii Condomi cum omnibus suis appendiciis.

Digitized by Google

In quodam loco nomine *Margallo* possidet sanctus Petrus casalem, & quidquid ad eum pertinet, cum adjacente vinea.

Ex alio loco nomine *Donadeno* cunctam medietatem retinet.

In alio loco nomine *Salbone* habet Ecclesiam sancti Luperculi cum omnibus quæ ad eam pertinent.

*sive alodem

Habet alaudum * nomine *Balurenum* cum omnibus suis terminis.

Retinet alium nomine *Casellas* cum omnibus finibus suis.

Habet alium alaudum nomine *Ferrucinum* cum omnibus appendiciis.

Possidet alium nomine *Poiol* cum omnibus sibi suis debitis.

Quædam nobilis matrona nomine BRISCHITA *de Forces*, sancti Petri Ecclesiam de *Diolo* huic Cœnobio pro salute animæ suæ legaliter contulit, cum omnibus rebus ad eam pertinentibus. Quâ defunctâ, filius ejus AMALBINUS à Seguino Abbate & habitatoribus loci duos equos accipiens iteratò eamdem Ecclesiam & cetera prædia, quæ in eodem loco habere videbatur, cum omnibus appendiciis suis sancto Petro liberè & absolutè largitus est, adjuncta ad hæc altera sancti Hilarii Ecclesia de *Herrenes*, cum omnibus rebus ecclesiasticis, terris quoque vel vineis, cultis & incultis ad eamdem Ecclesiam pertinentibus.

Habet alium nomine *Zacordata* cum omnibus quæ ad eum pertinere noscuntur.

In quodam loco nomine *Marchiro* vendicat unum campum de terra cultiva, cum omnibus quæ ad ipsum pertinent.

Item in alio loco nomine *Gualardo* possidet alaudes plurimos, terras, vineas, casas, prata, pascua, aquas & decursus aquarum certo tramite currentium.

Habet alaudum nomine *Poiole*, vel oleras cum omnibus sibi adjacentibus.

Retinet alium nomine *Datolmum* cum eadem Ecclesia

Digitized by Google

clesia quæ dicitur sancti Martini, & omnibus illi debitis.

Est alius alaudus sanctæ MARIÆ, *Lana* dictus, & sancto Petro subditus, cum omnibus suis terminis. Medietatem silvæ quæ *Lana* dicitur, SIGUINUS Abbas datis viginti solidis emit à quodam Milite nomine ARNALDO, ejusque filio RAMUNDO, quibus jure hereditario provenerat. Idem verò Arnaldus veniens ad extremum, unum ex filiis nomine Bernardum huic Cœnobio serviturum juxta regularem institutionem delegavit, & alteram medietatem fideliter sancto Petro largitus est. Sanctæ MARIÆ locuples habetur Ecclesia, *Lana* ab incolis nominata, quæ cùm esset sancto Petro quasi alaudus subdita, à Prælatis istius Cœnobii sæcularibus data fuerat occasione beneficii. Collatis itaque Siguinus Abbas centum solidis & equo magni pretii, redemit eam à REMUNDO *Delavarmac* *, ejusque duobus filiis, Bernardo scilicet atque Radulfo, qui suis in diebus vindicabant.

* *sive* Lavaczac

Habet alium nomine sancti Johannis de *Capdolicia* vocatum, cum omnibus appendiciis suis.

Notum certumque sit cunctis nostris successoribus, quemdam nomine GUMBALDUM Comitem, patrem UGONIS Episcopi, pro redemptione animæ suæ multos beato Petro dedisse honores, inter quos etiam dedit quamdam Ecclesiam sancti Johannis *Cablisa* vulgò vocatam, silvamque & terras quæ circumstant certis metis ibi positis; & hoc jure perpetuo tali beato Petro tradidit tenore, ne umquam aliquis de ejus consanguinitate jam dictum repeteret honorem. Denique quædam nobilissima femina GAVARSENS nomine dicta, ejus videlicet neptis, soror Sanctii Guasconiæ Comitis, rediens à quadam provincia Burgundia vocata, ubi maritum habuerat; sicut mos est pravorum, suprà scriptam Ecclesiam violenter beato arripuit Petro: tandem vitæ terminum dans, atque violentiam injustam quam beato Petro fecerat, ut dignum erat recognoscens, Abbati Condomensi fratribusque nuntios festi-

Digitized by Google

nanter transmisit, Ecclesiamque quam vi injustéque abstulerat, graviter pœnitendo reddidit, suumque corpus & animam cum aliis donis, sicut tantam decebat matronam, sancto Petro contradidit, quam Fratres accipientes, corpus ejus apud Condomum detulerunt, & ibi dignè atque honorificè sepelierunt, ac die noctuque pro ejus anima, & pro aliis qui ibi sepulti sunt, Deo preces funduntur, eleemosynæ pauperibus dantur, quatenus ejus anima aliorumque mereantur à Domino vitam accipere perpetuam. Amen. Hoc verò donum quisquis malignus Deoque odibilis violare seu auferre beato Petro præsumpserit, perdat eum Deus in hoc sæculo, & in futuro maledicatur ab omnipotenti Deo, & ab omnibus Sanctis ejus: filii ejus fiant orphani, uxorque ejus vidua. Maledicatur vigilando, dormiendo, manducando, bibendo, nisi citò pœnituerit. Amen, Amen, Amen.

Iterum in alio loco nomine *Andirano* habet unum campum cum suis finibus, quem illi contulit Arsiasmanus Oculo lupino cognominatus.

Quædam etiam villa nomine *Marcharit* sancto Petro debetur cum duabus Ecclesiis & omnibus rebus earum, quarum vna est in honore ipsius consecrata, & in nomine sancti Gervasii altera.

Est alaudus sancti Petri nomine *Serra* cum duabus Ecclesiis, & omnibus finibus earum, quarum una dicitur sanctæ MARIÆ, & altera sancti Luperculi. Adhuc est alius eodem nomine *Serra* vocatus, & totus illi subditus. Habet alium nomine *Carderona* cum omni integritate. In confinio sancti Germani est, quidam campus adhærens Principi Apostolorum cum suis, nomine *Ariolandus*. Est locus nomine Guardulinas, ubi patronus noster retinet Ecclesiam suo nomine insignitam, cum omni sensu ecclesiastico, & his quæ ad eam pertinent. In quodam loco nomine *Serralta* habet plurimos alaudos certo limite definitos. In alio loco nomine *Fredeleuco* terras & vineas & multa alia certo fine conclusa.

Digitized by Google

De illo qui appellatur *Marchari*, honore si per ordinem repetimus, simili modo actum est ut de isto primitus. Nam supradictus Comes GUNBALDUS qui hunc locum jure hereditario tenuit, etiam illum in suo dominio cum isto liberè & absolutè & absque occasione possedit: quo viam universæ carnis ingresso UGONI reliquit suo filio. Qui similiter ut suus pater, quoad vixit, cum honore istius loci possedit; hoc mortuo, Sanctione Comite vim isti loco inferente, BERNARDUS *de Pardilan* de eo adquisivit, & quousque supervixit, licèt injustè, tenuit, qui tamen in fine vitæ suæ recognoscens quòd injustè possideret, ordinavit in præsentia plurimorum ut unus suus filius, nomine PONTIUS Monachicum hìc reciperet habitum, & ex integro sancto Petro reddidit honorem supradictum. Quod & ita actum est, ut ipse ordinavit, & hoc legaliter, ut debuit, coram testibus sua mulier AUXILIA postea super altare sancti Petri confirmavit.

Est alius alaudus sanctæ MARIÆ de *Franciscano* dictus, & dominio nostro subditus cum omnibus appendiciis suis.

Ecclesiam sancti Orientii de *Quinmach* tali modo recuperavimus. Hanc UGO Episcopus cum ecclesiasticis rebus ad eam pertinentibus, qui cum isto honore sancti Petri ex integro possedit, ARNALDO Guillelmo de *Mulinar* in beneficium dedit. Qui item ARNALDO de *Muirach* simili modo concessit pro beneficio: quam dum suo filio Guillermo Arnaldo, sicuti ipse possedit, post suum decessum in beneficio dimisisset, nos post longum tempus tali conventione ab illo redimendo persolvimus. Nam tres caballos & sexaginta solidos denariorum sibi dedimus, & spontaneè & bona voluntate sancto Petro reddidit, & coram præsentibus testibus & his fidejussoribus, Rotlando de sancta Genovera, & Arnaldo Seguino de Burgunnos, ita nobis firmavit, ut si umquam aliquis injuriam facere vellet, ipse contra omnes in omnibus firmiter & legaliter auctorizaret hujus chartæ descriptionem vel

Digitized by Google

legalem affirmationem: si quis infringere vel infectam reddere voluerit, hîc & in perpetuum anathema sit.

In quodam loco nomine *Cirisola* habet quasdam piscatorias cum instrumentis suis.

Est alius locus nomine PINUS, in quo retinet silvam bene determinatam.

In loco nomine *Sparthago* habet unam vineam cum campo ibidem posito & satis defuncto.

Adhuc vindicat in quodam loco nomine Pinogulmo quamdam Ecclesiam sancti Saturnini dictam cum omnibus rebus suis.

Est locus Doaldo villa dictus, habens Ecclesiam nomine sancti Petri titulatam, in qua ipse tertiam partem retinet cum censu Ecclesiastico, & quidquid ad eum pertinet.

In loco qui dicitur Camarnicus, est Ecclesia sancti Stephani dicta, & Pattono nostro subdita cum omnibus rebus suis.

Est alia Ecclesia quæ dicitur sancti Johannis, sita in loco nomine Septem socios, & hæc sancto Petro debetur cum omnibus terminis suis.

Est alius ejus alaudus Cumbans nominatus cum omnibus suis finibus.

Habet alium Bigomonte dictum cum omnibus quæ ad eum pertinent.

Iterum est alius alaudus nomine Treolars cum omnibus terminis suis.

Est alius locus nomine Rocas cum omnibus suis appendiciis.

In loco qui dicitur Fevoleda habet alaudum cum adjacente vinea, & quidquid ad eam pertinet.

Quidam locus est nomine Pogencus, habens Ecclesiam in honore Principis Apostolorum dicatam, de qua ipse medietatem obtinet cum omni censu Ecclesiastico, & his quæ ad eum pertinent.

Adhuc habet aliam Ecclesiam sancti Johannis dictam cum omnibus rebus suis.

Apud quemdam locum Pontacus vocatum possidet

Digitized by Google

unam vineam cum toto alaude ad ipsam pertinente.

In eodem loco qui *Calsada* dicitur, tenet Ecclesiam sancti Luperculi cum omnibus appendiciis suis.

Est quidam locus vocabulo Beraldus, habet Ecclesiam sancti Severini dictam quæ sancto Petro debetur cum omnibus his quæ ad illam pertinere noscuntur.

Apud aliam villam Surdam-vallim nominatam tenet medietatem Ecclesiæ sancti Martini cum omnibus rebus suis.

Iterum in quodam loco nomine Bodolmo habet Ecclesiam sanctæ Mariæ & censum per singulos annos solvendum, scilicet duos modios frumenti, & duos modios ordei, & duos similiter vini, & duos etiam porcos pretio duorum solidorum dignos.

Ad ultimum restat Tamvilla quam beatus Petrus tali modo promeruisse dinoscitur. Quodam tempore GUILLELMO Burdegalensi Comite capto, meus patruus GUILLELMUS SANCIUS, cujus superiùs mentionem feci, ei subvenire studuit, & ideo ab hoc Monasterio plurima donaria accepta in vasis aureis & argenteis, candelabris quoque & turibulis seu aliis ornamentis, ea in amici sui liberatione protulit, offerens sancto Petro quasi pro satisfactione hunc locum sui juris, de quo loquimur, *Tamvilla* nuncupatum, ab integro, & absque ulla reservatione. Cui & dixit: Sancte Petre, hoc in præsenti accipe, quod numquam, Apostole, tibi subtraham, sed quod tuum est, usque ad unum obolum fideliter reddam, si sortitus vitam fuero prolixam: statimque morte præventus nihil ad effectum perduxit, sed villam prædictam beatus Petrus obtinuit, & nunc obtinet, & in futuro præstante Domino obtinebit cum omnibus finibus suis. Illud verò nequaquam silere debeo, quod superiùs prætermisi, quando de Ecclesia sancti Stephani *Beringus* vocata disserui, una quippe est ex tribus Ecclesiis quæ in eadem villa esse noscuntur, quarum prima est sancti Hilarii dominans aliis duabus, scilicet sancti Martini, etiam dictæ Stephani. Quia ergo Ecclesia sancti Stephani jure sub-

jicitur Ecclesiæ sancti Hilarii, pandere volo ne aliquando oriatur contentio.

Itaque primam & sequentes cum omnibus rebus suis jam beato Petro concessi, & iterum concedo sub obtestatione veri, quatinus meis obtineat veniam delictis. In loco Beraldi, cujus paulò antè memini, cum ipsa Ecclesia sancti Severini, de qua jam diximus, retinet sanctus Petrus in altera ejusdem loci Ecclesia, & suo nomine nuncupata, quartam partem, & quidquid ad ipsam partem pertinet.

Est quædam Ecclesia nomine Ruferat, quam dedit beato Petro quidam homo *Centullus* nomine, & altera sancti Mauricii: qui locus in ipsius Patroni nostri dominatione permanet cum ipsis Ecclesiis & omnibus suis territoriis.

Quemdam locum *Grummac* dictum sanctus Petrus possidet ad integrum cum Ecclesia in ejus honore sacrata, & altera nomine beati Sulpicii vocata, & quidquid ad eas pertinet.

In eodem loco qui dicitur Villa-Ormeus, vindicat Dominus noster Ecclesiam sancti Luperculi cum omnibus suis territoriis.

Apud alium locum Quinciacus dictum mandat beatus Petrus sancti Orientii Ecclesiam, & alteram suo nomine titulatam cum omnibus terminis suis.

Adhuc est quidam locus nomine *Cambas*, sive *Tornasole*, habens Ecclesiam sancti Saturnini, quæ Patrono nostro debetur cum omnibus rebus suis.

Est alius locus vocabulo *Sarracianus*, habens Ecclesiam sanctæ MARIÆ, quam similiter retinet cum omnibus quæ ad eamdem pertinent.

Locus quoque dictus nomine sanctæ Rufinæ, beato Petro subjicitur cum omnibus suis appendiciis.

Quædam Ecclesia sancti Sigismundi ipsius est, & quidquid ad eam pertinet.

Nec non est Ecclesia sancti Aviti cum omnibus rebus suis. Porro hoc quod in meo Comitatu, vel Episcopatu, hoc est, Agennensi possidet, huic operi breviter inserendum est.

Digitized by Google

In eadem & ejus tellure habetur villa quæ Villaris dicitur, & Domino nostro debetur cum universis quæ ad eam pertinent.

Est adhuc altera nomine *Anelaveda*, quæ sancto Petro est subdita cum omnibus finibus suis. Hæc ergo sunt quæ nostra tempestate istud Cœnobium venerabile cognoscitur possidere, & possidebit, Deo auxiliante, absque intermissione.

Adhuc restat quædam villa vocabulo *Luchac*, in cujus territorio dedit ANNA Comitissa sancto Petro plurimos alaudos, terras, vineas, prata & virgulta certo limite ab aliis sequestrata.

Donum quod fecit *Arnaldus Sanctius* de Ecclesia, quæ vocatur sancti Johannis *de Varag*, & de omnibus sibi pertinentibus usquequaque; & qui vult scire hujus rei, testes fuerunt Petrus de Salas, & Arnaldus de Alba-terra, & Espaiols de Suau.

Et de Ecclesia quæ vocatur sanctus Vincentius de Avemac, similiter Humaldus Siguinus dedit, tertiam partem beato Petro, accepto Monachili habitu. De Ecclesia sanctæ MARIÆ de Estamvilla assignamus, qualiter omnipotenti Deo, & sancto Petro Condomensis Cœnobii donata fuerit. FORTO BERNARDUS Estamvilla, & Bernardus Oddo nepos ejus, & Bernardus Forto de eadem villa dederunt supradictam Ecclesiam sancto Petro cum omnibus Clericis ad quos pertinebit locus ille sine ulla sæculari calumnia, coram Abbate Raimundo & quibusdam ex Fratribus. Clerici verò non solùm dederunt partes quas possidebant, sed etiam semetipsos tradiderunt Deo & Abbati, ut communiter viverent sub potestate illius, vel sui Legati in eodem loco, quatuor tantùm scilicet Ainardus & Garsiaels & Petrus & Vitalis. Testes verò hujus rei sunt Raimundus Oddo Deboolencs, & Sanier Debasoert, & Garsia de Goion, & alii quamplures qui aderant, & Forto de Salsiag Presbyter: sicque in astipulatione duo talia signa ab ipsis testimoniis facta continebantur.

Est & quædam Ecclesia quæ dicitur *Bignau*, & cul-

Digitized by Google

tura una quam possidet beatus Petrus.

Donum quod fecit Pontius de *Olbion* & frater ejus Bertrandus, de Ecclesia sancti Johannis *de Majan*, pro remedio animarum suarum & parentum suorum: pro quo etiam dono dedit Abbas Raimundus & Fratres mulam centum solidorum, & viginti solidos, & Bertrando L. solidos, de qua re sunt fidejussores Eumericus de Galard, & Guiraldus frater ejus, & Guillelmus de Bornag, & Guillelmus Garsias de Clarag; testibus Arsione de Olbion, Petro de Galar, Bonel de Bonnefont, Guilem de Gualart, Bernard Desbornamers, & aliis quampluribus.

Ramundus Lupus & uxor sua dederunt unum boscum cum terra ad sanctum Petrum Condomensis admoliaris in ripa fluminis Banisia, & Seguinus Abbas dedit unum cavallum XL. solidorum, & decem solidos.

Tempore igitur alio quidam Geraldus Princeps Debos dedit filium suum quemdam, Petrum nomine, beato Petro, & cum eo Ecclesiam sancti Vincentii super Oceam, & medietatem Ecclesiæ sancti Martini de *Elim* cum Ecclesiasticis suis, & Ecclesiam sancti Amandi *de Bruis*, totam cum appendiciis suis, & Ecclesiam sancti Severi de Guardera, & quidquid ejus videtur esse juris, cultis & incultis. Hoc factum est in præsentia A. Garsiæ *de Albion*, & in manu Abbatis Raimundi, filii ejus, & Bonel *de Larocha*, & aliorum multorum. Postea Bertau de Bons, & Arnaldus filius ejus instinctu diaboli prædictam Ecclesiam de Guardo invaserunt, & Arnaldum de Caned & Garsiam de Gardera, qui eam censu aliter de manu Abbatis Condomensis tenebant, inquietare cœperunt. Reclamante Abbate Aynerio Sanctii ad Episcopum Aguinensem R. Bernardum prædicti malefactores tamdiu sub anathemate positi fuerunt, donec ipsi & parentes eorum recognoscentes injustitiam suam, Abbati & Senioribus satisfacientes, fidejussores dederunt, & jurejurando firmaverunt, ut ullus umquam de parentela eorum hoc requirere audeat. Arnaldus de Bons dedit fidejussores Gualiardum de Bons,

Bons, & R. Guillermum de Vemered, & Petrum de Vemered, Bertran de Suau, quia habebat sororem Arnaldi, dedit seipsum & Geraldum de Bons.

Nostris temporibus fuit homo amabilis Garsias de Sediliag dictus, habens quoddam podium virgultis ad plenè consitum: hunc pro salute animæ suæ Deo & sancto Petro Condomi obtulit, & absque ulla reservatione nobis dedit. Quem accipientes ædificare curavimus, statimque jactis fundamentis Ecclesiam in honore sancti Salvatoris exstruximus, domicilia fecimus, agricolas statuimus, podium Visu-pulcrum vocavimus. Et ut termini illius magis prolongarentur, data pecunia fecimus: in primis comparavimus de ipso Garsia primam culturam xxx. solidorum. Cumque morti proximus esset, aliam nobis culturam in eleemosynam dedit, quæ superiori conjuncta est. Postea SEGUINUS Abbas dedit XL. solidos Oci. . . Comitello ejusdem territorii pro libertate, ut numquam ampliùs nec ipse, nec aliquis successor ejus prædicto podio, & quidquid ad eum pertinet, dominationem requireret, nec calumniam ingereret, legem comitalem, exceptâ causâ homicidii, non acciperet.

Quidam vir justus nomine Aiz venit ad conversionem nobis in eodem loco, deditque vineam satis optimam. Villa quæ dicitur *Guila*, eidem podio est proxima, S. Martini habens Ecclesiam. Hujus possessor Guildat vendidit nobis XXVI. solidis duas partes ejusdem Ecclesiæ cum omni censu Ecclesiastico, & quæ ad eum pertinent, dans fidejussores seipsum, Guillelmi Bergui, Roger Amberada; & testes Sanctium Odentrotum, Arsiam de Ponte, G. Garsia Nincar. In eodem loco verò nostri Monachi Forto & Dominicus comparaverunt vineam XV. solidorum, & terras alias XX. solidorum de Oriol, Forto, Depintopin accipientes, fidejussores Guildat de Guila Aizoriol de Sediliag Bernat Ardui de Bolays, religiosa femina Gasens soror Guildat de Guila, in isto Cœnobio Sanctimonialis effecta, dedit quamdam franquitatem Darsimam, & in eadem Guila absque ul-

Digitized by Google

la reservatione, & quidquid Inden Gracies, vel Extort Canda habere videbatur, liberè nobis contulit. Item dedit nobis unum casalem cum adjacente vinea, & quamdam partem alaudi quæ ipsi vineæ conjuncta est.

Dum prius sæculum, memorandarumque rerum monumenta non uniformi lege sancita, sed diversæ intentionis astipulatione alligata secundùm illustrium virorum dicta consideraremus, multò honestioris, seu utilioris facti nostrum decretum fore existimavimus, scilicet quòd tunc temporis in regalibus fiscis augendis, vel in divitiis Reipublicæ adquirendis studiosa litterarum impressione commendabatur posterorum memoriæ, nostris temporibus singula quæque ad obtinendam memoriam diligenter informarentur, quæcumque in augmentum sanctæ matris Ecclesiæ deputarentur. Nam in hac ultima labentis sæculi ætate, & pæne naufraga mundi tempestate tantò diligentiùs fieri credimus, quantò agnoscitur prius sæculum declinatum esse in pœnis. Quapropter ego SIGUINUS, licèt indignus Abbas loci qui dicitur Condomus, dum vitam procelloso imminentis tempestatis gurgite absque remige laborarem, & plurimorum desolationem locorum considerarem, communi consilio Fratrum decrevi, ut bona nostri loci jam à bonis hominibus data, & tum à pessimis ablata, undequaque sparsa in unum colligeremus, & quæ nostris temporibus pretio, vel quocumquè alio placito, Deo adjuvante, recuperavimus, nostrorum successorum memoriæ per chartas commendaremus; & ut indivulsa in perpetuum permanerent, Comitum vel Episcoporum, testium & fidejussorum legali auctoritate Deo & sancto Petro, istius scilicet loci provisori, constanter firmaremus.

In nomine ergo summæ & individuæ Trinitatis, ego supradictus SIGUINUS ceterique Fratres de quodam honore sancti Petri Causac nomine, & omnibus suis appendiciis cum GUILLELMO Astanova Comite conventionem habuimus, & ut nostro loco sanctoque Petro redderetur, pretiò licèt gravi & carissimo tandem impetravimus. Quem scilicet locum, ut relatu plurimo-

rum audivimus, GUNBALDUS Comes, & post eum ejus filius UGO Episcopus hereditario jure possederat, semperque cum honore istius loci in suo dominio tenuerat; sed SANCTIO Comes post mortem Ugonis vim inferens, dedit suæ sorori, scilicet GUARSINDÆ, post cujus mortem iteratò idem Sanctio sua potestate AMERICO Comiti vendidit, qui & filium suum GUILLELMUM ejusdem honoris quasi heredem reliquit: de cujus manu vel potestate, ut suprà diximus, tali conventione extraximus, ut pretium mille solidorum daremus, cujus pretii existimationem omnino solvimus, quamvis maximo labore, secundùm conventionem. Nam mulam optimam & unum caballum secundùm ipsius electionem pro septingentis solidis dedimus in pretium, insuper ex bona moneta trecentos solidos denariorum.

Qua firmata conventione coram plurimis testibus ex integro dedit super altare sancti Petri, quod tunc temporis videbatur possidere; & hoc ita liberè & absolutè, & tali ratione, ut ullus umquam ex suis heredibus, & nulla alia qualibet suspecta persona ullam vim Monachis intulisset, sed sanctus Petrus cum suis propriè in dominio in perpetuum possedisset, & ut in sua vita & omnibus locis auctorisaret, & legaliter confirmaret cum textu Evangeliorum, & ligno Dominicæ crucis Deo in præsentia plurimorum promisit, & duos fidejussores scilicet, Vicecomitem RUGERIUM de Gavaret, GUILLELMUM Arnaldum de Vilera, in manu Fratrum dedit ea ratione, ut si eam umquam vel ipse Comes seu ullus suorum, vel cujuscumque personæ homo diabolo instigante vim vellet inferre, vel ulla occasionis intentione placitum commonere, ipsi in fidelitate Dei & sancti Petri placitarent, & si opus esset, & contra omnes defensarent.

Comes SANCTIO curtem, quæ dicitur *Basel*, & castellum quod ipse in eadem curte firmavit cum omnibus appendiciis, villis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquosis & inaquosis, cultis & incultis, pro remedio animæ suæ vel parentum suorum, ita ut ipse liberè pos-

Digitized by Google

sedit, post obitum suum sancto Petro ordinavit, & coram his testibus donum firmavit, Guillem Lupus, Bernard Ramont, Ramunt Paba, Arnalt de Fogit, Ricart Cordan. Ea ratione ut ipse Ramundus Paba, qui eumdem locum sancti Petri *de Busel* per manum ipsius Comitis tenuit, medietatem ejusdem curtis in sua vita possideret, ita tamen ut nullo modo licentiam haberet neque vendendi seu donandi, vel pignorandi, vel in beneficium alicui concedendi, & post suum obitum ex integro liberè & absolutè cum omnibus appendiciis, sicut ipse Comes in suis diebus tenuit, rediret ad sanctum Petrum.

Quidam Miles non infimi generis, sed præcipuæ nobilitatis & potentiæ, BERNARDUS *de Taurinac* vocatus, possidebat jure hereditario locum super littus Garonnæ positum, regalibus ædificiis olim, sicut apparet, constructum, at nunc præ nimia vetustate penitus dirutum & desolatum; vocatur autem ab imminenti fluvio, qui ibidem finem accipit, & Garona absorbetur, Calcisdroti, demonstrans ruinas duarum Ecclesiarum, quarum principalis est in honore sancti Christophori, altera in honore sancti Eparcii. Hunc ergo locum supradictus Miles ita dolens deperire, dedit animum ut in melius reædificaretur, & de infimo nobilis, de inculto cultus, de vacuo plenus redderetur; factaque nobiscum conventione partim dans, partim vendens, accepit à nobis mulam benevalentem c. solidos Tolosanenses. Et fecimus præstitum uni . . . . . . Romam pergenti. Ipse verò veniens ante altare sancti Petri dedit nobis ipse & uxor sua nomine SODOMA locum nominatum cum supradictis Ecclesiis, & Ecclesias cum rebus ecclesiasticis & omnibus suis appendiciis. Dedit etiam supradictus BERNARDUS de Taurinag quasdam piscaturias beato Petro in loco ubi flumen Calcisdrotum conjungitur Garonnæ, absque ulla reservatione, & sigillo, & reclamatione sua, & omnium heredum suorum in provincia fidelium virorum secum comitantium, & nostræ parti faventium, quorum nomina sunt Ar-

Digitized by Google

naldus Garsies cognomento Comes, item Fortsans de Saron, Astonis Lubaner de Varena: in præsentia horum & aliorum multorum dedit sancto Petro, & firmavit nobis ipsum locum cum omni integritate.

Antiquorum sententiâ Patrum per universum mos inolevit orbem, ut quicumque pecuniæ, vel fundi alicujus legatione indigeret, testamento scripturarum fore fixa & immobilia statueret. Ideoque & nos vestigia non minùs illorum sequentes, quàm & illi, qui ratum & esse tenendum sanxerunt, disposuimus non minùs ea quæ à vivis nobis tradita sunt, quàm ea quæ ab his qui ex hoc sæculo transierunt, concessa suscepimus, commendare testimonio litterarum, ne quod à Religiosis & timentibus Deum viris, pro remedio animarum suarum, vel cujuscumque beneficii accepti, impendebatur Deo & hominibus, minùs religiosis & non timentibus Deum, postmodum sequacibus filiis irritatione quassaretur infesta. Devotione itaque superna quidam nobilis nomine ARSINUS de Olbion percussus, accersito consultu totius suæ nobilitatis provinciæ, dedit beato Petro Condomensis Ecclesiæ, & habitatoribus ejus fundum hujus villæ quæ dicitur *Nerag*, & cum ipsis villam, forum & munitiones ibidem stabilivit. Dedit etiam huic Ecclesiæ fundum ad vineam ædificandam, in loco qui dicitur *Hesteri*; & in alio loco qui dicitur *Lupcrup*, culturam unam, dominationemque totius prædictæ villæ, & fori, atque usumfructum omnis beneficii: cujus beneficii medietatem accipiens ab Abbate, spopondit sese neque dominari ulteriùs, neque ullam violentiam facturum in æternum. De domo etiam sua & munitione, ut totius dominationis nostræ integritas in eadem villa servaretur, XII. nummos censualiter nobis dari uno quoque anno statutum est. Hæc omnia dedit beato Petro Apostolorum Principi Condomensis Cœnobii in præsentia Abbatis RAIMUNDI fratris sui, aliorumque plurimorum virorum.

Hoc etiam confirmatum est auctoritate & præsentia domini Papæ Urbani V. qui ibidem in honore bea-

Digitized by Google

ti Thomæ Apostoli & sancti Nicolai Episcopi & Confessoris Ecclesiam nobis consecravit. Affirmavit etiam hoc pacto & hac eadem adstipulatione omnia dona, quæque pater suus & ipse fecit in provincia sua, in perpetuum beato Petro mansura, Ecclesiarum scilicet, rusticorum, fundorum, vinearum atque omnium stipendiorum. Hujus rei testes sunt Petrus & Garsie, Arnalt de Olbion, Oggers de Padieru, Giraldus de Bons, Bonellus Falchetus, & Petrus de Salas, & alii perplures viri.

ARNALDUS Garsias *de Olbion* dedit filium suum nomine RAIMUNDUM sancto Petro Condomensi, simulque Ecclesiam sancti Martialis *de Birarel*, & omne dominium & potestatem quam habebat in ea. Postea verò supradictus Raimundus ejus filius, nutu Dei jam Abbas factus, dedit Arsino fratri suo equum pretii quingentorum solidorum pro dimidia parte sancti Vincentii Lausmanensi, & pro confirmatione Ecclesiæ & alodii sancti Martialis Birilanensis. Quo facto Presbyter ejusdem Ecclesiæ sancti Martialis, scilicet Emerius nomine, suis cum filiis, qui eam pro alaudo tenebat, suamque esse dicebat, accepit à supradicto Condomensi Abbate suis cum fratribus duos optimos boves, & omnia instrumenta quæ aratori necessaria & utilia sunt: de quo dono dimisit & confirmavit, necnon tribuit Deo sanctoque Petro, quod habeat ejusdem Ecclesiæ totum. Et pro una pecia terræ, quæ est sub Rocha, accepit ipsemet Emerius Presbyter cum suis filiis, solidos videlicet XII. sic vendidit, & cum fidejussoribus firmavit; scilicet cum Bonello de Rocha, & Garsie, Arnaldi de Olbion. Postea verò veniens jam bis suprà nominatus Emerius cum quodam filio suo ad Monasticum habitum nomine Bernardo, dedit beato Petro quamdam vineam & unam terram simul in uno clauso, & stabilitatem domus quæ est in eodem loco.

Item in Barandraldo Arnalt Garsias dedit Ecclesiam S. Martini *de Alansed* cum filio suo supradicto Ramundo, qui suscepit Monasticum habitum, & quidam Vitalis su-

Digitized by Google

militer suscipiens conversionem, dedit fundum Ecclesiæ beato Petro, & quidquid ipse Vitalis possidebat terrarum vel vinearum, totum dedit beato Petro.

Item in Barandraldo dedit AMALBINUS de Paradiso & filii ejus & filiæ Ecclesiam sanctæ MARIÆ *de Molas*, & acceperunt à Monachis equum unum & decem solidos; & ipsi qui tenebant fundum, Guillelmus scilicet & Arnaldus, dederunt ipsum fundum beato Petro propter fratrem suum Bernardum, qui Monasticum suscepit habitum.

Item isdem Bernardus & mater ejus dederunt francum unum in loco qui dicitur *Estoubed*.

Item in Barandraldo dedit uxor GARSIÆ Namundi de Padieru culturam unam & filii ejus sancto Petro.

Item in eadem provincia dedit AMALBINUS de Paradiso Ecclesiam sancti Johannis de Campo *Centeer* beato Petro totam.

Item isdem Amalbinus dedit Ecclesiam sancti Orientii super fluvium Garonæ.

Item Oliverius Monachus dedit francum unum in loco qui dicitur *Biraged*.

Item in loco qui dicitur *Guardera*, dedit quædam mulier nomine Miranels, unam libertam cum omnibus heredibus, & culturam unam, & vineam unam.

Deinde quidam homo nomine *Guillelmus* Galter & filii ejus duo, loco qui vocatur *Mejanos*, dederunt beato Petro medietatem, & ultra *Rivulo-torto* medietatem suorum, boscum & tres dineradas de vinea, & in loco qui vocatur Bodiga-Secura, dederunt beato Petro cum omnibus quæ ad ipsum locum pertinent, & in loco qui vocatur *Duorinla* Ecclesiam beatæ MARIÆ, beato Petro. Duo fratres Garsias dat, & Guillelmus dat cum Ecclesiasticis suis, qui fundum Ecclesiæ jure hereditario possidebant, omnes in unum coadunati dederunt, & firmaverunt sanctissimo Apostolo Petro pro redemtione animarum suarum & parentum suorum. Tali namque conventione, ut si ibi fieret salvatio, omnes supradicti qui inibi ad manendum venirent, cete-

Digitized by Google

rique qui se sub ditione ipsius salvationis ponerent, quisque pro domo sua sive cellario censum sancto Petro tres aut duos denarios singulis annis redderent.

Tempore igitur alio quidam GUIRALDUS Princeps *de Bons*, dedit filium suum quemdam Petrum nomine beato Petro, & cum eo Ecclesiam sancti Vincentii super Oceam, & medietatem Ecclesiæ sancti Martini *de Elz*, & Ecclesiam sancti Amandi *de Bruis* totam cum appendiciis suis, & Ecclesiam sancti Severini, & quidquid ejus videtur esse juris *de Guardera*.

Item GUILLELMUS Karolus quidam Miles, & nepos ejus quidam Oliverius nomine, venientes ad Monasticam conversationem, dederunt sancto Petro Ecclesiam quæ vocatur Nux-sicca, & francum unum, & alium francum in loco qui dicitur *Anczag*. Item dedit quidam Garsias Clericus alium francum in loco qui dicitur *Casels*. Item quædam mulier Argenta nomine dedit vnam modiatam alodii. Item quidam Fortasi dedit unam denariatam vineæ, & modiatam unam alodii. Item Miles quidam BERTRANDUS Dazim dedit quamdam terram quæ adhæret Ecclesiæ sanctæ MARIÆ de *Nucissicca*.

Donatio de Ecclesia sancti Petri de Lustralensi, quam dederunt beato Petro Berus de Casa nova cum uxore sua Spania, & terras & vineas ad ipsum altare pertinentes ad alodum medietatem: alia medietas facit servitium XII. denariorum, & XII. panes & unum modium, c. & unam somadam vini, pro remedio animarum suarum, & filiorum & filiarum suarum, & omnium parentum suorum vivorum & mortuorum: & Domnus Abbas propter hoc dedit ad eos XX. solidos, & supra hoc dimisit Abbas duos cavallos, & VI. boves, & quinquaginta pondera caballorum de annona, & feramenta nimis & spolia multa.

Cunctis legentibus sit manifestum, quòd quidam homo FORT-GARTIAS *Darrigapel* vocitatus, in termino suæ vitæ beato Petro duas partes Ecclesiæ sancti Stephani *de Bornac* pro animæ suæ redemtione parentumque

Digitized by Google

tumque suorum voluntate spontanea contulit, & unum campum juxta eamdem Ecclesiam, quem tenebit in pignus quidam homo Aneiba cognominatus *de Bornac* pro quatuor solidis. Et in Ecclesia quæ vocatur Surdavallis, similiter dedit isdem supradictus Fort-Garsias medietatem cujusdam vineæ, aliamque medietatem suæ uxori tali dimisit conditione, ut quamdiu ipsa viveret, eam teneret: sed post ejus decessum beatus Petrus cum suprascripta medietate jure perpetuo possideret. Post longum quoque tempus venit quidam Presbyter Arsinus nomine *de Bornac*, cum quodam filio suo nomine Guillem, nepotes supradicti Fort-Garsiæ ad sanctum Petrum, & dederunt beato Petro aliam tertiam partem supradictæ Ecclesiæ, & uterque monastieum habitum inibi accepit, & omnia quæ in Ecclesia & in hac villa juris eorum erant, sancto Petro tradiderunt.

Odo de Dariaco cum filiis suis beato Petro Apostolorum Principi Condomensis Ecclesiæ, Ecclesiam scilicet de Cleriaco cum omnibus appendiciis suis offerens, etiam filium suum Bertrandum ut Monachus fieret, pro remedio animæ suæ parentumque suorum; tributum quoque quod reddit supradicta Ecclesia, tale est. Duo quarti reddunt unusquisque nummos XII. panes VIII. annonæ concas quatuor, vini sextarios II. convivium semel in anno suo domino cum VIII. hominibus. Tertius verò quartus similiter excepto prandio. Nam quartus liberè reddit beato Petro culturam unam in villa sancti Medardi, casalem unum in isto burgo pignore datum pro C. sol. Hujus rei testes sunt Pontius de Pons, G. Garsias de sancto Orientio, & frater ejus Bernardus & Forto de Simonvilla.

Otgerius de Alba-folie venit ad conversionem sancti Petri Condomensis, & dedit ei terram, cultam & incultam, quod interpretatur *Relagman*, usque dum propinqui sui reddant sancto Petro C. XX. & III. solidos & VIII. donarios. Forto Emerius de Colerano reddit tributum, VIII. panes & VI. d. & duas c. de cujate

& iterum VI. d. & sex panes.

Donum quod fecit GALLARDUS de Bilera sancto Petro de filio suo Oggerio, & de tributo Bergomo, de censu scilicet XXX. & III. panes, & XV. concas de annona, & tertiam partem, uno modio vini; & postea venit Bernardus filius supradicti Galardi, & accepit ab Abbate Ramundo equum valente C. solidos, propter hoc quod supradictum est, & affirmavit donum super altare sancti Petri, & postea venit Bernardus ad obitum mortis, & duobus qui remanserant de supradicto tributo Bergomo, scilicet XL. & VI. panes, & duobus partibus, modio vini, & XXX. concas annonæ, & duos solidos, & III. gallinas, usquedum C. solidos redderent sancto Petro: deinde venit Oddo frater supradicti Bernardi ad mortem, & dedit sancto Petro servitium Garsiam filium Bergomo, scilicet XII. denarios & XII. panes, & unum modium annonæ.

In villa quæ vocatur Poipardinus, beatus Petrus duos habet rusticos, qui singulis annis servitium V. solidos ad Vincula * fideliter reddunt. Quos utique rusticos quidam miles servatus nomine Deport pro filio suo, quem beato Petro in Monachum obtulit, jure hereditario dedit.

* *Id est* S. Petri ad Vincula.

Quoniam nostri successores dona quæ huic loco dantur, nisi nos eis dimitteremus scripta, penitus nescirent, cupimus ut hujus doni notitiam hoc ex scripto certissimam habeant. Fuit autem Miles quidam GERARDUS de Bono-fonte vocitatus, filius Atarnalt, germanus frater Garnerii; qui in fine vitæ suæ donationem medietatis Ecclesiæ sanctæ MARIÆ, quæ nuncupatur Eseramurs, beato Petro in pignore dereliquit, tamdiu donec Guarnerius ejus frater beato Petro LX. solidos Morlanensis monetæ redderet. Cujus Ecclesiæ annualis census tantus est, panes XL. nummi II. solidos, annonæ modii duo, sarcinæ vini I. hujus medietatem servitii dimisit supradictus G. beato Petro. Transactis iterum diebus plurimis, instinctu divino perculsus Guarnerius, ejus supra jam nominatus frater; quoddam fi-

Digitized by Google

lium suum Atonem nomine monachili habitu indutum, pro redemtione animæ suæ, & ejus uxor Majalsen nomine, filiique ejus II. scilicet Bertrandus & Rostais, beato Petro super altare obtulerunt, & donationem quam in supràdicta vindicabant Ecclesia, medietatem, alteram videlicet cum filio spontaneè dederunt, necnon alteram medietatem quam Eraldus pro hoc solidos dimiserat, insimul cum filio beato Petro tradiderunt: & ità utroque fratre partem suam donante ex integro sub beati Petri donatione, Deo volente, posita est. Sed & hoc sciendum, quòd in dono Geraldi fidejussores & testes Petrus Gualardi ille vetulus & Argaias ejus nepos exstiterunt, in domo quoque Guarnerii Petrus Gualardi suprascripti Petri filius, & idem Argaias & Arsinus de Bono-fonte, & frater ejus Petrus fidejussores & testes fuere: in utroque quippe dono tot fuerunt jussores & testes tam Monachorum quàm Clericorum, tam Militum, quàm Burgensium, quòd si vellemus scribere eos, proprium oporteret habere librum.

Alio in loco qui Gumla vocatur, quidam homo Arnaldus nomine cum duobus vicinis suis tradidit se Deo & beato Petro in perpetuum, reddens unoquoque anno servitium xv. denarios.

Hæc est conditio de dono cujusdam vineæ, & terra quadam quam dedit Emerus de Birarel, pro se & filio suo, quæ vinea & terra simul sunt in uno clauso, & stabilitatem domus quæ est in eodem loco, beato Petro Condomensis Ecclesiæ.

Quidam Miles ODDO nomine de Pardeliano vitæ suæ terminum imminere præsentiens, cum consilio uxoris suæ atque filii Ugonis vocitati, pro redemtione animæ suæ dimisit Ecclesiam beato Petro Condomensis Ecclesiæ, Fratribusque in eodem loco Deo jugiter famulantibus, quæ scilicet Ecclesia vocata sanctus Johannes de *Guardo*, habetur in Barindraldo famosissima. Protinus utique redemtione Abbas cunctique fratres supradictæ congregationis dederunt LX. solidos Morlanenses atque XX. Agennenses. Cujus itaque donationis, necnon &

affirmationis teſtes exſtiterunt atque fidejuſſores, G. de Pardeliano, Argaiatus de ſancto Martino, Arnaldus de Alteras, Ramundus Bernardus de Vico-novo, G. de Bornaco, Bonifacius de Callada.

Notum ſit omnibus, tam præſentibus quàm futuris, quòd quædam domina ſoror Guillelmi Arnaldi de Riaco, & Petri de Salberas, uxor Arſini de Matharis hominis locupletiſſimi, habens ex eo filium nomine Garſiam Clericum obtulit, beato Petro de Condomo in Monachum in manu Amerii S. * Abbátis & Annomi atque Johannis de Lauſian Capellanì, cum quadam terra de Nerag, quam dederat Arſino marito ipſius & omni progeniei ſuæ prædictus frater ejus & avunculus Petrus de Salboëras, cum conſenſu omnium parentum ſuorum in dotem; & hanc terram prædictus Clericus dedit tali conditione, ut ſi aliquis filius de parentela ſua iſtam terram poſſidere vellet quingentos ſolidos Morlanenſis monetæ, beato Petro perſolveret. Hujus rei teſtes ſunt Geraldus de Bons, & Ramundus Guillelmus de Nezered, & Amaneus de Sales, & Guillelmus de Sart, & Petrus Alaman, & Vitalis de Lauſiam, & alii quamplures. Cujus terræ ad utilitatem Eccleſiæ, cui filium, de quo locuti ſumus, voverat; ſtatuit defenſorem Amaneum *Delebred*, & omnem progeniem ejus, ut Monachi in pace terram illam poſſiderent. Iſtud donum factum eſt tempore INNOCENTII Papæ, & RAYMUNDI Bernard Agennenſium Epiſcopi, & GUILLELMI Pictaviæ Comitis Vaſconiæ Ducis.

* f. Sancii vel Sanctionis, ut in q.

Iſtud eſt donum vineæ de Birag, quam dedit Bernat Oddo ſancto Petro pro remedio animæ ſuæ, cum uxore ſua & filiis ſuis. Poſt mortem verò ejus peracto curriculo multorum annorum, R. Abbas iſtius loci dimiſit Eccleſiam iſtius loci Sanſſol filio ejus, & tribuit ei x. ſolidos, & ipſe iteravit donum vineæ quod fecerat pater ejus cum uxore ſua Beliard, atque cum filiis ſuis, conditione tali, ut à nemine parentum ſuorum ulteriùs deleri poſſet, in præſentia Arſini de Olbion, & Petri de Sales & Falchet, multorum teſtium & nomina, quorum ſcribere eſſet longum.

Digitized by Google

Ego Armersendo Deo & sancto Petro & Abbati SIGUINO, & Monachis præsentibus & futuris habitantibus in Condomensi Monasterio vineam, quæ est in villa quæ vocatur Sarrazan, quam plantavi cum conjuge meo Garsia Guillelmo, jure hereditario in perpetuum, ut sanctus Princeps Apostolorum aperiat nobis valvas regni cælorum.

Arsinus Sanctii de Artigna & uxor sua Anria dederunt unam vineam Deo & sancto Petro de Condomo pro peccatis suis jure perpetuo.

Arnaldus de Arrocas dedit unum alodem cum nemore, quod pertinet ad ipsum alodem, sancto Petro de Condomo pro animarum suarum parentumque suorum redemptione in villa, quæ dicitur Malo-Vicino inter duo flumina, unum vocatur Bamsia, alterum Occa.

Memoriæ præsentium posterorumque commendare disposuimus, quòd UGO de Pardeliano prærogativa caritate conspicuus in suburbio sui castri montis, scilicet Capreoli ad pedem pontis, ubi fit ascensus ad superiorem partem præfati oppidi, pro redemptione animæ suæ Deo & sancto Petro Condomensi ad structuram Ecclesiæ domusque, locum largæ diversionis in præsentia ALDEBERTI Agennensis Episcopi misericorditer erogavit, ubi diu mansit Ecclesia. Postea verò ODDO successor ejus & heres, vir bonæ indolis & asturæ prudentiæ, zelo divinæ adspirationis compunctus, & frater ejus Ugo suggestione Guidonis nostri familiaris, qui tunc conductor loci illius erat, donum præfati Ugonis fratris sui in præsentia R. Bernardi Agennensis Episcopi, & A.* Sanctionis Abbatis Condomensis multipliciter augmentavit. Terram namque illam quæ est ante portam ejusdem castri, adjunxit priori dono, eo tenore, ut ibidem in honore beatæ semperque Virginis MARIÆ Ecclesia fabricaretur, & harum* sollennia usu quotidiano frequentarentur, quoniam locus intrinsecus ad sacrosanctum Corpus dominicum tractandum competens non erat, de suis facultatibus multo sudore laborantium assiduoque dola-

* Americi *ut suprà.*

* *f.* hujus

Digitized by Google

tu construxit Ecclesiam, & XX. stationarios, vel eo amplius simul hereditavit, qui usu annotino X. solidos in festivitate sancti Johannis Baptistæ censualiter redderent. Placuit itaque sagacitati Condomensium de reliquiis Sanctorum, quarum Occidentalis Ecclesia feliciorem partem non obtinet, præscriptam Ecclesiam feliciter ditare, ut & illis esset in testimonium accolis locus veneratior haberetur. Hoc autem factum est regnante LODOYCO Rege Galliæ, GUILLELMO Aquitanorum Duce, Ramundo Bernardo Agennensi Episcopo, A. Sanctione Condomensi Abbate, testibus Ugone Archidiacono, Fortone de Bic, A. de Seira, Bernardo Vilau, Arsino Vitalt. Signum ODONIS tribuentis †. Signum Abbatis suscipientis.

Posteris nostris conventum, quòd Ramundus Bernardus de Bignau cum uxore sua pro filio suo quem in Festo omnium Sanctorum in præsentia Prioris Bertrandi & omnium Fratrum, Deo beatoque Petro in Monachum obtulit, scriptum reliquimus. Hac enim in villa servitutem Guillelmi Ramundi Loripedis, scilicet VI. denarios dedit. In villa autem quæ *Planea* vulgò vocatur, alios VI. nummos, scilicet Garsioth, qui uno quoque anno illos reddat. Dedit etiam in eadem villa medietatem culturæ. Hæc autem omnia supradicta tali tenore dedit, ut quamdiu suprà memorato Monacho scilicet Ramundo, vita comes sibi fuerit, jure hereditario teneat: si autem aliquis ex Fratribus illum supervixerit, & commemoratam terram cum servitio recuperare voluerit, beato Petro aut LX. solidos Morlanensis monetæ, aut centum Agennensis reddat. Visores autem hujus rei fuerunt complures, quos enumerare per singulos tædium esset: sed præcipuè isti Petrus videlicet frater memorati Monachi, & noster Capellanus, necnon & Lambertus Eleemosynarius, & Tinardus & Petrus Garsias. Amen, fiat.

Ego Arnaldus Despiasag, & uxor mea Alalaia, & filius meus Garsia Arnaldus damus terram, quæ est ad

caput urtium canarum in podolio, quem expetivimus coram Grinaldo & aliis hominibus, beato Petro Apostolorum Principi. Testes Eicio de Castris & Arnaldo Debeirencs.

In nomine Domini nostri JESU CHRISTI ARNALDUS delator, & uxor ejus ASARIDA dederunt medietatem Ecclesiæ S. Aniani Deo & beato Petro Condomensi pro Arnaldo filio suo, quem fecerunt Monachum, & pro redemtione animarum suarum, & unum locum, in quo (si quando Monachus in castro eodem habitare voluerit) domum sibi faciat, & ibidem fideliter Deo serviat. Necnon etiam dederunt XXII. denarios censuales in hac villa de Condom, qui pro X. solidis in pignus habentur. Dederunt fidejussorem Jordan de Soldun, ut quomodocumque Abbati & Monachis placeret, supradictus Arnaldus & uxor ejus XXII. denarios solverent. Testes hujus rei sunt Domnus Abbas. G. Arnaldus de Quais, Giraldus Dalteges, Bernardus Cellerarius; Laïci verò Jordan de Soldun, Arnaldus de Causencs juvenis, & alii multi.

Donum de Honore de Causacho, quem dedit Pontius de Albion beato Petro pro redemtione animæ suæ, ut orent & cantent Fratres ipsius loci villæ Missas pro eo. Interim teneat beatus Petrus supradictum Honorem, usque centum solidos reddat filius ejus, vel frater ejus aut propinqui ejus beato Petro. Ego Bertrandus frater ejus affirmavi ipsum Honorem super altare sancti Petri, dedique fidejussores Petrum de Gualardo & Eicium de Castras.

In Christi nomine, ego AMALBINUS & Sanctius Forto frater meus facio chartam de una pecia de vinea apud ipsam terram de Surdavalle ad opus sancti Petri de Condom, & ad opus donatum Monachum. Et ista vinea terminos habet in se per una concisa, & per unum avellanum, & per viam publicam, & hoc est pretium IX. solidos den. Morlanensis monetæ, & istud pretium bene complacuit animabus nostris. Fidejussores Garsie Aner & Donatus Sanctius de Sordebad: Vi-

Digitized by Google

ſores Arnaldus Ramundus, Guillelmus Sanctius, Forto: Garſia & præſentes multi adſunt.

Donationem quam fecit Bernardus de Mirandol & filius ejus Petrus, de Eccleſia ſancti Medardi & omnibus ad eam pertinentibus. Viſores ſunt, Vitalis de Sarralte, Donatus Darrigapel, & Guillelmus frater ejus, & pater eorum Sanctio Forti, & Durandus Agule, & plurimi alii.

Durandus filius Bernardi de Olone venit ad extremam diem & pro remedio animæ ſuæ Eccleſiam ſanctæ MARIÆ, quæ dicitur OLONA, dedit ſancto Petro, tali conventione, ut dediſſent Abbas & Monachi Bernardo & Ramondo de Saguinla XXX. ſolidos, deinde ſit ex integro ſancto Petro. Poſtea Rainundus & Bernardus fecerunt inter ſe talem conventum, ut Bernardus propter medietatem XXX. ſolidos ſupradictos accepiſſet X. ſolidos à beato Petro & ſuis, & medietatem ſupradictæ Eccleſiæ beato Petro reliquiſſet, & fecit. Si Ramundus propter aliam medietatem Eccleſiæ quam iterum reliquit, veniſſet ad monaſticum habitum, & propterea receptus eſt inter nos. Deinde Durandus ſupradictus pignus quod pater ſuus ſancto Petro fecit & ſuis, & alios pignos quos factos habebat ad duos Milites, id eſt, Garſia Bergun de Claraco, la Francdat de Treſſelba, propter CLX. ſolidos. Et Saxetus Deſcatarencs duas francdas de Grodes, propter CL. ſolidos. Hoc totum ſine ulla reſervatione ſancto Petro ad alodem affirmavit. Poſtea Amardus frater ejus venit ad finem, & pro anima ſua, & patris ſui & fratris iterum affirmavit.

Ainardus de Oloia dedit beato Petro unum cabmas Alpeiregai, quod reddit ſingulis annis III. modios frumenti ad concas VI. per annum, pro redemtione animæ ſuæ & parentum ſuorum, & fecit ſe in hoc loco ſepeliri.

Bernardus de Majalt, & frater ejus Eugenius dederunt ſancto Petro Condomenſi pro peccatis ſuis parentumque ſuorum, & pro uno equo, Eccleſiam quæ

vocatu

Digitized by Google

vocatur Flaran. Fidejussores fuerunt Garsie Destil & Pontius de Papons.

Hoc est donum quod fecit Ramundus Arnaldus de Ecclesia de Ampel Deo & sancto Petro pro remedio animæ suæ, donationem scilicet totius Ecclesiæ, & terras quæ ad eam attinent, necnon duo servitia quatuor denariorum, & unam vineam juxta Ecclesiam. Hujus rei fidejussores fuere Fortaner de Santosca, & Ramundus & Arnaldus frater ejus de Ampel; & tres fuerunt ipsi fidejussores, & Ramundus Oddo Deberali, & Argaiad de Gualard, & Arnald de Lasbads, & alii multi, quorum nomina præ multitudine scribere nequivi.

Omnibus hoc scriptum legentibus sit notum, quòd Miles quidam Fortanrius de Justia vocitatus, tertiam partem Ecclesiæ, quæ dicitur Guardera, tenebat ab Abbate & Fratribus Condomensibus, persolvens annuatim beato Petro quatuor concas tritici, totidem sextarios vini. Tandem verò ad vitæ terminum post diutinam infirmitatem perveniens dereliquit beato Petro jam suprà nominatam partem Ecclesiæ, & quemdam campum *de Laborera* nuncupatum, Monachusque effectus ad hoc Monasterium fuit allatus, & in Claustro ante Capitulum honorificè tumulatus, necnon in Martyrilogio secundùm assuetum Monachorum morem in aliorum serie ascriptus. Testes hujus rei sunt Guillelmus de Ponteraco ejusdem Ecclesiæ Obedientiarius, & Guillelmus Bornaci Camerarius, Donatus de Aviman, Guillelmus Garsias, & frater ejus de Aviman senior de Gardera, Eicius de Testa, Bernardus de sancto Martino, & frater ejus Tidbaldus, Guillelmus Garsias de Quais, & alii multi.

Sanctio de Rocas dedit vineam suam P. in podio, I. denarium. Item in alio loco qui vocatur Fossas, dedit Sanctio Presbyter de Guardela unam vineam bene determinatam. In alio loco qui vocatur Porgia, dedit sancto Petro Forto Presbyter de Rocas unum nemus cum adjacente cultura, & quidquid ad eam pertinet.

Digitized by Google

In alio loco. dedit Arsi dominicum unum campum bene determinatum. Item Apredos possidet sanctus Petrus duas petias de alod. Item Acbrocat possidet sanctus Petrus unum campum, quem emit Ar. à Guillelmo Presbytero de Guardela, & Fortone de Rocas decem libras de capro. Iterum in Pogia possidet sanctus Petrus unam petiam de terra, quam emit Ar. v. solid. de Sanctia & de filiis suis. Item filius ipsius Arsi Forto aliam petiam vendidit sancto Petro duos solid. & tres denarios.

Notum sit omnibus præsentibus & futuris, quòd Rostais Dalmian obtulit Bernardum filium suum in Monachum Deo & beato Petro hujus Condomensis Ecclesiæ, & cum filio nominato dedit tertiam partem Ecclesiæ Dalmian, & quamdam vineam prope ipsam Ecclesiam. Bernardus verò filius ejus Monachatum dimittens militiam arripuit, quod multùm condolens se fecisse, positus in extremis ad conversionem rediit, & prædictam Ecclesiam reddidit. Hoc etiam donum Garsias frater ejus firmavit in præsentia Domni Garsiæ Abbatis & Fratrum hujus Monasterii, adstante etiam multitudine tam Clericorum quàm Monachorum circa altare beati Petri. Testes hujus rei sunt Domnus Abbas, Arsinus Dalbion, Arnalt de Quais, Bernardus Cellerarius, Petrus de Albuzon Monachi. Clerici verò Forto Capellanus hujus villæ, Guillem Darricoder Capellanus sanctæ Eulaliæ, R. Delvenier. Laïci verò F. de Casa nova & uxor ejus, Geraldus de Sabadia, Petrus de Gondri, Guillelmus Danalag, Arsui Delpont, Vidal Clairomegosa, Guillem Bernad de Sabe Guarde, & multis aliis. Facta est hæc confirmatio anno M. centesimo sexagesimo septimo, III. Nonas Madii, Luna XIII. in Romana Ecclesia præsidente ALEXANDRO Papa, HENRICO Rege Anglicorum, & Duce Aquitanorum Principe nostro, GUILLELMO Auscitano Archiepiscopo, qui præsens erat, HELIA de Castellione Agennensi Episcopo.

1167.

Comes Guillem Astanana dedit donationem de Ec-

Digitized by Google

clesia sanctæ MARIÆ Cassania sancto Petro Condomensi: & Abbas Siguinus & Monachi sancti Petri dederunt ad eum duos equos ex magno pretio: & Bernardus de Olona tenebat supradictam Ecclesiam de manu supradicti Comitis. Et iterum Abbas & Monachi dederunt duos equos supradicto Bernardo. Postea sanctus Petrus tenuit illam Ecclesiam usque ad obitum supradicti Comitis. Postea venit Garsias Presbyter & Sanctius filius ejus, & dederunt potestatem Ecclesiæ quam habebant in ea sancto Petro super altare.

Ego Guillelmus de Gordon veniens ad conversionem in hoc Monasterio sancti Petri Condomensi dedi eidem Ecclesiæ ejusque Fratribus omnem hereditationem meam in manu Domini Garsiæ Abbatis. Ipse etiam Abbas cum Fratribus suis dedit creditoribus meis triginta solidos Morlanensis monetæ, & omnia mihi necessaria in Monastico habitu. Visores hujus rei sunt Bernardus de Salabertan, G. Dalteras, R. de Balarum, Garsie Thomas. Laïci G. de Boncis, Ganzolans, Guilemate de Cassaie, Petrus de Cassaie, D. de Cassaie †.

In nomine Domini donum quod fecit Vidal de Copeton huic Condomensi Ecclesiæ. Vital de Copeton audiens Dominum in Evangelio dicentem: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; in hoc Monasterio Condomensi habitum sanctæ religionis accepit, & omnes possessiones suas in parochia beatæ MARIÆ de Cassanea huic Ecclesiæ Condomensi, ejusque habitatoribus in perpetuo possidenda dedit. Hujus rei testes sunt A. de Bonafont, Arnalt Mont, Arnaldus de Quais, Petrus de Flusan. Laïci R. Artomen, G. S. Bera, Fort Od, & alii quam plures.

Hanc autem terram propter debita cujusdam Electi Abbatis G Bertran nomine Petro de Larrabeza familiari meo, & pater ejus Bruno impigneratam quidam Monachus Sanctius de Maian vocatus v. solidos cum Domno Abbate G postea solvit. Hujus rei testis fidejussor fuit Fortanenus de Senmag, P. Dalbuson Cel-

Digitized by Google

lerarius, G. de Tornefod de Salabatan, & alii testes plures fuerunt.

Alio loco Bernadus de la Beze dedit Ecclesiam S. Johannis *Damiebad*, cum campo uno qui Ecclesiæ inhæret, & casali quodam, quem venerabilis Abbas Oddo de Casa nova fecit fieri & vallo cingi, & quidquid Ecclesiastici juris est, sancto Petro de Condom pro se & pro animabus parentum suorum; & obtulit quemdam filium suum in Monachum, & in obitu suo semetipsum, similiter plures alii exemplo illius, ejusdem loci habitatores, in obitu suo pro redemtione animarum suarum de terris suis eidem Ecclesiæ donum fecerunt. Et hoc tali conditione posteritati nostræ scriptum reliquimus, ut quicumque hujus donationis propter cupiditatem aliquid minuere sive auferre voluerint, damnatione perpetua ab omnipotenti Deo damnati permaneant. Amen. Sciendum verò est, quòd quædam matrona Ecclesiæ medietatem possidens beato Petro donaverat. Supradictus verò Bernardus Ecclesiam de novo faciens, in propriam terram transmutavit.

Item apud Cassaneam quidam homo Sanctius de Tortoret in extremis positus dedit beato Petro ad Ulmum de Tortoret unam concadam de terra & dimidiam, & unam cartaladam ad fontem de Pisòl pro remedio animæ suæ.

Ab Incarnatione Domini nostri JESU CHRISTI anno M. septuagesimo quarto, feria III. II. Nonas Madii, Luna VI. PHILIPPO Francorum Rege regnante, & Gauffredo Guasconorum Duce, & Aymerico Comite Fezenciaco, id est, Forto Milas, & G. BERNARDO Ansciorum Archiepiscopo, factum est ut in pago Fezenciaco tres fratres, scilicet Forto Bernardus de Villanova, & Ramundus Bernardus, & Arnaldus Bernardus dederunt beato Petro quamdam Ecclesiam nomine *Villanova*, juxta fluvium Oza sitam, & mater eorum Beliardis nomine effecta est Sanctimonialis: & hoc donum quod fecerunt supradicta mater & ejus filii, cum consilio Amanevi eorum domini factum fuit.

1074.

Digitized by Google

Hanc quippe Ecclesiam sancti Martini cum omni decima quæ ejus juris est, & cum terra quæ in circuitu ejus est, omnino sine aliqua tradiderunt contradictione. Hoc iterum fieri notum volumus, quòd quando supranominata Ecclesia beato Petro fuit data, adeo erat solitaria, & ab omni hominum familiaritate sequestrata, necnon urticis atque vepribus ita circumdata, quòd vix aut ullo modo adiri poterat. Sed facto dono Fratres Condomenses adierunt, ea quæ necessaria fuerunt tam in libris quàm in signis, vel etiam in aliis Ecclesiasticis rebus illuc detulerunt, & eamdem Ecclesiam, necnon altare de senectute in juventutem redegerunt. Hujus rei testes sunt Guillelmus Garsias de sancto Andrea, & frater ejus Bernardus, & G. Archidiaconus de Ascos & alii multi.

Vualterus de Berdusan dedit beato Petro Cabmas Asmerlenos, quod reddit unoquoque anno 3. modios frumenti, & 2. solidos & dimidium, quod quisquis minuere, vel auferre beato Petro ausus fuerit, cum in æternum pereuntibus pereat.

Donum quod fecit Pontius & frater ejus Bertrandus de Olbion ex Ecclesia sancti Johannis, quæ dicitur *Maian*, pro suarum remedio animarum suorumque omnium parentum. Et quamvis hoc donum pro hujusmodi intentione beato Petro dedissent, tamen ab Abbate Ramundo illorum scilicet consobrino, qui tunc temporis erat, & ab istius loci Fratribus mulam centum solidorum Morlanensis monetæ, & 20. solidos Pontius qui Ecclesiam possidebat, accepit, & Bertrandus ejus frater L. Sed & hoc notandum, quòd supradicta Ecclesia in quatuor participes sub hac donatione manentes, est quadripartita, scilicet Marsmer de Ecclesia, & Arsinus de Jeisela, & Arsinus de Petra & Garsianer Vicarius. Et supradicti homines duo, scilicet & Arsiner & Arsinus, sunt propriè homines beati Petri, & faciunt servitium ambo XL. panes, & duos solidos, & quatuor modios annonæ, & VIII. sextarios vini, duasque gallinas & questam. Forto quippe

Digitized by Google

de Petra reddit servitium XII. panes & XII. denarios, & Garsias Amerius totidem: & hoc pro participatione faciunt ejusdem Ecclesiæ. Hujus verò doni fidejussores sunt Aymericus de Gualard, & Geraldus ejus frater, & Guillelmus de Bornac, & G. Garsias de Clarac. Testes isti idem & Arsinus de Olbio, Petrus de Gualard, Bonels de Bonefont, Guilelmus Guilem de Gualard, Bernardus Desbornazers & alii plures. Si quis verò de eorum genere, vel alius aliquis beato Petro suisque habitatoribus hoc donum auferre voluerit; nisi inquisitus citò reddiderit, corpus & anima ejus, & quidquid ejus est, à Deo vivo maledicatur, & dæmonum potestati tradatur, & à Petro regni cælestis clavigero Paradisi janua in perpetuum ei claudatur. Amen.

Alius Miles nomine Ramundus Arnalt obtulit unum ex suis filiis ad serviendum Deo & sancto Petro in isto loco nomine *Triremium*, & cum eo dedit nobis Ecclesiam sancti Laurentii de Artmal cum senioratu, & omni servitio, unum quoque francum, & unum boscum, atque unam culturam, & unum mansum Adæ Mul.

Nobilis quidam vir ARDOINUS de Malmag vocatus quemdam de suis filiis Bernardum nomine Deo & sancto Petro obtulit in præsentia SEGUINI Abbatis, pro quo filio dedit beato Petro prædium quoddam juxta Monasterium Elsæ constitutum, quod cabmas tunc temporis Forto porcarius possidebat, ex quo uno quoque anno sine aliqua contradictione beato Petro redditur hujusmodi census, tres modios frumenti, XII. denarios, quæsta & convivium Abbati suisque. Hoc donum sui filii suique honoris ita firmavit, ut numquam aliquis de genere ejus in perpetuum suprascriptum sancto Petro referat honorem: quòd si fecerit, confundatur, maledicatur cum Datan & Abiron in inferno, & cum diabolo sepeliatur. Amen, Amen, Amen.

Simili modo Amalbinus de Paradiso dedit nobis Ecclesiam sancti Luperci de Arrumbers, cum senioratu & suo censu, hoc est, una refectione vel prandio absque

ulla necessitate, sed cum omni largitate.

Confirmatio doni quam fecit Amalbinus filius S. de Paradiso. Hic Amalbinus confirmavit donum patris sui, & dedit Ecclesiam de Molas, & Ecclesiam sancti Orientii, & Ecclesiam sancti Johannis de Cararedus, & Ecclesiam sancti Lupercii de Arrunbers, beato Petro Condomensis Cœnobii in manu & præsentia Arsini de Olbion, & Galterii de Fossato, & Peregrini de Porto & aliorum plurimorum hominum.

Rodgerius Vicecomes de Guavaret dedit sancto Petro sibique famulantibus in ipso Guavaret, unum mansum pro ablutione suorum criminum.

Item in civitate quæ vocatur Aquis, Ecclesiam sancti Pauli in loco, qui appellatur *Bonos Casales*, quem dedit Anepalafred frater Comitis Garsia Sancii pro infirmitate quam passus est per duos annos, & sanus factus postea per intercessionem beati Petri.

Ab Incarnatione Domini millesimo octuagesimo quarto anno, undecimo Kalendas Octobris, v. feria, & Luna VI. Gualardus dedit beato Petro filium suum Odgerium nomine, & propter eumdem filium, & remedium animæ suæ & omnium parentum suorum præteritorum, præsentium & futurorum, dedit Ecclesiam sancti Martini quæ dicitur Sentels retro Marchari cum omnibus appendiciis suis. 1084.

Item in eodem anno quarto Idus Octobris, Luna XXVII. & Feria v. Arnaldus Donad de Abigas & filius ejus, & G. Arnaldus de terra, quæ dicitur de Capa, culta & inculta quantum illic possidebant, fecerunt donationem & venditionem beato Petro cum tecto Evangelio, & propter hanc terram dedit eis domnus Abbas R. duos equos optimos; & supradicti Arnaldi fidejussores ejus fuerunt, Bernardus de Limano, & Petrus de Villaira, & Radus de Barrenes. Item in eodem anno Arnaldus Donat de Podis, donum fecit beato Petro de decima de terra quæ dicitur Aster, medietatem de tabula, & medietatem ad frairia, & si consortia deficiet, revertatur ad opera.

Digitized by Google

Notum sit cunctis in hoc loco viventibus RAIMUNDUM de Berrencs ætate quidem juvenem, moribus autem senem, filium Arnaldi Cappe, pro redemtione suæ animæ parentumque suorum, accipiendo monachalem habitum, quartam partem Ecclesiæ de Grasismo, quam hereditario jure ex parte matris liberè possidebat sine aliquo impedimento, beato Petro in præsentia Garsiæ ejus Abbatis dedisse. Quod donum tali conditione affirmavit, ut si fortè adhuc parentes sui justa ratione clarente acquirere à nobis possent, quingentos solidos Morlienses nobis persolverent. Hujus doni testes sunt Acto Monachus Bonefontis, Aimonius Monachus, Vitalis Topie, & filius ejus Arnaldus, Geraldus Topie, & frater ejus Argaiad, & ipsemet Arnaldus Cappe, & alii plures: & Guido montis Caprini, Gausolandus Darrival. Similiter medietatem quartæ partis ejusdem Ecclesiæ Raimundus de Sarralte, Monachum se faciendo, beato Petro perpetuò dedit.

In villa quæ dicitur de *Berrencs*, Fort Guillem dedit sancto Petro de Condom quatuor concadas terræ, & æstimante una denariata de vinea pro salute animæ suæ.

In nomine Domini hæc est charta quam fecit scribere EICIUS Guillelmi de Podio Sanctio de Bilota Monacho atque Priori Condomensis Monasterii de illa terra, quam habebat Grimaldus Mercator in vadimonium, pro tredecim solidis. Sentiens igitur supradictus Eicius Guillelmi appropinquare dies ut moreretur, convocatis cognatis suis & necessariis amicis, scilicet Bernardo Gaucelini de Bornag, & Arnaldo de Clarag, & Guillelmo Arnaldi de Causancs, & Garsia Raimundi de Calsada, & duobus fratribus Guillelmo Garsia & Sanctio Garsia de Vallibus, & Petro de Gauran & plurimis aliis, fecit donum & vestitionem de supradicta terra Domino Deo & beato Apostolo Petro sub testamento eorumdem cognatorum atque propinquorum, commendans illud & confirmans atque corroborans, his verbis: Ego Eicius Guillelmi recognoscens violentiam quam pater meus fecit Guilem Ladib beato Petro de

Digitized by Google

de illa terra Dellai reddo ei quamdam partem ; ita tamen ut redditis tredecim solidis Grimaldo , terram ab eo hactenus possessam possideant beatus Petrus ejusque servi , Abbas scilicet & Monachi perpetuo jure , & ut donum meum indissolubile sempiternoque tempore maneat , in hora egressionis animæ meæ de corpore , mea propria manu facto signo Dominicæ crucis Sanctio Priore me per manum tenente, sequentibus in testimonium heredibus , hanc petitionem commendo atque confirmo. Si quis autem meorum successorum hoc donum infringere voluerit , cum Cam & Canaan , cum Dathan & Abiron , & cum diabolo & angelis ejus flammis ultricibus deputetur & æternis. Amen , Amen. Fiat , fiat. Signum Eicii Guillelmi †. Signum Bernardi Gaucelmi †. Signum Petri de Gauran †. Signum Arnaldi de Clarag †. Signum Sanctii de Pilota †.

Vir quidam nomine Arnaldus cum filio suo Ramundo silvam quæ dicitur *Lana*, jure hereditario possidebat. Quem circumvenientes viginti sibi solidos dedimus Tolosanenses , & ab eo medietatem ejusdem silvæ accepimus eo ordine quo ipse vindicabat , dans fidejussores Arnalt Gauceum , Sans Devotum , Guairinum de Calzada: in præsentia Bernardi Causid , Guillem Sanz , Fortzan & aliorum multorum. Isdem quoque Arnaldus veniens ad extremum , quemdam filiorum suorum nomine Bernardum sancto Petro dereliquit , & alteram medietatem ejusdem silvæ nobis dedit , & mediam partem vineæ quæ *Masus* dicitur , & tres partes sui alaudi , quas in nostro possidere videbatur , ea ratione ut filius suus in isto Cœnobio Monachus efficeretur , & ipsi Arnaldo omnia quæ ad sepulturam essent necessaria , præberentur.

In territorio, in villa quæ dicitur *Nitrag* , ego Eicius de Auriolo , & uxor nostra Argenta facio chartam ad opus dominicum Monachum, & Fortone Monacho , de bono alode apud ipsum boscum , & habet terminos in se per unam viam publicam , & pro uno pario , & hoc est pretium novem solidorum. Fidejussores Arroger ,

Digitized by Google

Garsia, Guilelmo; teneas, possideas. Visores Garsia, Arnaldus, Arsianus Presbyter, Arrodger & alios multos.

Durols de Gager dedit sancto Petro de omni sua libera possessione liberum donum, & dedit suo arbitrio censum VI. denarios omnibus annis, præsente Abbate Siguino, & Sanctio Garsia de Sentosca, & Saxeto Descatarencs, & Pontio puero de Pui, & Mefort Despinols, & aliis multis.

In finibus Lactoratensis hæc est memoria illarum terrarum quæ vocatur Cumbe, quas dedit Vicecomes Raimundus Arnaldus omnino sicut olim beato Petro atque Abbati Siguino, ceterasque pertinentes ad eas, præsente ac regnante Guillelmo Comite, pro Dei amore & sua anima Episcopo.

Ego famulus Christi Arnaldus de Airocha dedi unum alodem cum ipso bosco, quod ad ipsum pertinet, sancto Petro de Condom pro remedio animæ meæ. In villa quæ dicitur *Malovicinio* inter duo flumina, una vocatur Banisia, & alia Oca. Et hoc est pretium quod dedi, L. solidos liber comparavi, liber dedi. Valete.

Hæc est donatio quam sponte affirmavit Emardus de Olona Deo & sancto Petro S. pignus de Godres, quod dedit Saxetus Descatarencs CL. solid. Ipse verò Emardus dedit fundum supradicti pignoris jure hereditario, ut pater suus possederat.

Quidam nobilis Guillelmus Forto de la Plaie dedit beato Petro quamdam culturam, & quamdam vineam secus viam qua itur ad Adugaldum.

Item alio in loco qui vocatur Mirandol, idem vir dedit beato Petro quamdam terram tali tenore, quòd nemo parentum suorum umquam recuperaret, nisi priùs sancto Petro pro illa CL. sol. melioris monetæ redderet.

Hìc est adscripta donatio terræ, quam Alazeid de Lobens dedit pro remedio animæ suæ Deo & sancto Petro Condomensi, annuentibus filiis & filiabus, in

Digitized by Google

præsentia Raimundi Abbatis, necnon & Petri Prioris, tali tenore, ut in vita ipsius & post mortem perpetualiter teneant & possideant absque reclamatione ullius heredis. Testes & visores hi sunt, Robertus Descocan, Vitalis de Pino, Senior de Moriet, Bernad de Lobens. Hæc terra sita est in *Cirisol*, mensura decem concarum.

Donum quod dedit sancto Petro G. Defilet, & filii ejus Centullus, & Garsia Guilelmi, & Guilelmus, de Ecclesia sancti Petri quæ dicitur Peiregais, & decimam de Suas artigas, pro remedio animæ suæ, & filiorum vel propinquorum suorum. Ramundus * filius Sanctio Garsias de Lansvals venit ad extremum vitæ suæ, habebat equum optimum, dimisit eum beato Petro pro remedio animæ suæ, & supradictus pater ejus retinuit equum ipsum. Et propter hoc quia retinuit, dedit medietatem Ecclesiæ sancti Salvi de Lasvals, usque dum xx. solidos redderet sancto Petro.

* Raimundi

Quidam Clericus nomine Cinersi de Carabeda venit ad sanctum Petrum ad monasticum habitum, & dedit sancto Petro Ecclesiam sancti Johannis quæ dicitur Auriebad, & vites canes, quæ sunt prope eam, & filium suum Arnaldum ad Monachum *; postea alius filius ejus Arnaldus dedit sancto Petro filio suo nomine Bertrando ad Monachum *, & propter illum vites canes quæ sunt juxta alias, & omnia quæ possidebat in Auriabal.

* Monachatum

* Monachatum

Donum quod fecit Galterius de Tuded de terra, quæ dicitur *Anaclessa*, sancto Petro Condomensis, scilicet Lapressa quæ cepit Anc Garsias *ec est de la Barrere*; unde pergit Anadessa usque Reclenbilla; deinde usque Addera per guttas aquæ quæ dividuntur, terram; deinde sursum juxta Clera usque ad pontum Clato servo, deinde usque ad Barreram juxta Anadessa. Postea Ramundus Oddo frater supradicti Galterii à sancto Petro & à suis accepit xl. solidos, & firmavit hoc supradictum donum Raymundus Bernardus de Basnert, & Saugerius frater ejus in ipso loco dederunt sancto Pe-

Digitized by Google

tro, qui dat ſex denarios, & ſex panes & tres concas de cinada ſed.

Quidam probatiſſimi viri nomine Fort Bernad Deſtadvilla, Bernardus Oddo nepos ejus, & Bernardus Forto Deſtamvilla, & Clerici qui eam de manibus ſupradictorum tenebant, ſimiliter eam dederunt. Poſt multum verò tempus venerunt filii Forto Bernardi, ſcilicet Ugo Deſtamvilla, & Arnaldus ejus frater, & Forto frater eorum, necnon Aſſalz, & filius ejus Bernard Od, & Geraldus filius ejus, quoniam donum quod ſupradicti parentes beato Petro fecerant, ipſi retraxerant & violaverant, pœnitentes & recordantes ſe malè feciſſe, quod malè abſtulerant, bene beato Petro reddiderunt ante præſentiam Amerii Sanctii Abbatis, & ante faciem Gualterii Vicecomitis Tarride. Et etiam ut meliùs donum & redditio eſſet firma, Aſſalz filium ſuum Sancium de Condom nominatum dedit beato Petro in Monachum. Poſtea verò in die feſtivitatis beatæ MARIÆ mater ſupradicti pueri donum firmavit, & ſimiliter Vitaldi eumdem puerum in litteras miſit: Vicecomes quoque ſupradictam fidem Abbati dedit, quatenus ſupradictum donum ſemper faceret tenere firmum, & ſalvitatem in eadem villa. Teſtes hujus redditionis & firmationis ſunt Guillelmus Donetz, & frater ejus Odo, Ramundus de Cobirag, Guillelmus Beg, Guillelmus Perdedrudas, & alii multi. Sed & hoc ſciendum, quòd tali conditione talique pacto fuit hoc factum, quòd nullus calumniator vel contradictor, qui contradiceret, ibi affuit, & ut in ſempiternum beatus Petrus ejuſque habitatores eamdem Eccleſiam tenerent ac poſſiderent.

Præſentes viri necnon & futuri notitiam habeant perpetuóque tenaci memoria retineant, geminos peregrinos in partes Guaſconiæ cum quibuſdam, ut teſtabantur, Sanctorum reliquiis veniſſe, alter quorum, ut fatebatur, Petrus Helias vocitabatur, alter verò Galterius nuncupabatur. Hi verò viri diu locum ad habitandum quærentes, tandem ad confinium quoddam,

Digitized by Google

quod juxta Ecclesiam quæ vocatur Sedehag, est positum, & super ripam cujusdam fluvioli quod vulgò dicitur Anda, habent situm, gratanter pervenerunt, ibique gressum longo itinere fessum figentes, cujusnam ditionis terra illa haberetur, à vicinis ruricolis diligenter percunctantes, sub jure cujusdam nobilissimi Militis, Arnaldi scilicet de Sediliag eamdem terram esse repererunt, & accepta pro voto notitia, veloci pede ad supradictum Arnaldum & ad Guillelmum Archidiaconum pervenerunt. Quid plura ? Licentiam ædificandi villam ab A. expetierunt, & ut à viro largifluo larga manu acceperunt. Incœpto autem ædificio suprascripti peregrini nolentes diu esse veluti oves sine pastore, vel ut navis absque rectore, Dei nutu cum suprà memorato Arnaldo & G. Archidiacono aliisque probissimis viris Condomum adiere, seque ipsos cum reliquiis quas secum gestabant, beato Petro dedere : & quidam ex illis, P. Helias scilicet, monasticum inibi accepit habitum, ejusque socius G. familiaritate accepta, monachalem accipiendi habitum tempore quo vellet potestate adepta, cum quodam fratre sibi in suprascripta obedientia prælato, nomine Aogerio de *Alba-folia*, reversus est, & inibi cum R. Abbatis, cumque Petri Prioris totiusque Conventus licentia remansit, & prout potuit ædificium construxit, & ad ultimum peregrè more solito profectus, abiit & recessit, & beato Petro ejusque habitatoribus obedientiam dimisit. Hoc quippe donum fuit factum G. BERNARDO Archiepiscopo Auscienſem sedem regente, & Fortone Comite regnante. Hujus rei hujusque facti testes sunt A. de Sediliag & ejus filius Garsiafort Sanz, necnon Odo ejusdem frater, & Guillelmus Archidiaconus, & filius ejus Sanctius Guillelmus Fortancrius de Coleian, & Sancius de Sescar.

Quædam nobilis femina nomine ALAZEN, uxor Raimundi Garsiæ de Casals, venit ad sanctum Petrum ad Sanctimonialis habitum, & dedit ei Ecclesiam quæ dicitur sancta Gelada, quæ reddit XXX. panes obliales & II. solidos, & unum modium annonæ, & quatuor

sextarios vini. Et in eodem loco unam culturam; & supradictus vir ejus venit ad monasticum habitum. Et in villa quæ dicitur Vilota, dedit unam francdad, quæ reddit tres solidos. Et in alio loco qui dicitur Guardesco, unam culturam; & in alio loco Haïlino unam *Fraudad* *, quæ reddit XII. denarios & unam culturam. Et in alio loco unam terram quæ est sita inter viam publicam & Calaned.

* supra francdad

Quædam nobilissima femina nomine Arricsen cum filiis suis, scilicet dominus Ajude, & Gansolan, atque Ugom & Arrejat, qui tunc vocabatur, & filiabus, dederunt Ecclesiam sanctæ Eulaliæ beatissimo Petro de Sezan pro remedio animarum suarum & parentum, cum omnibus appendiciis suis, scilicet cum honoribus Ecclesiasticis, cultis & incultis, aquosis & inaquosis, quæ ad eum pertingebant; tali conventione, ut si aliquando frater ille nomine B. qui tunc præerat honoribus his, præcepto Abbatis sui didicisset à vicinis hominibus illis quòd illic lateret causa Ecclesiastica, statim sine ullo placito sanctissimo Petro reddi mandaverunt. Interfuerunt verò viri non pauci nobilissimi atque rustici, testes & provisores, quorum nomina sunt hîc: Odo de Pardelan, Arnaldus de Sedeliag, Arnaldus de Sentosca, & Ramundus frater ejus, Arnalt Unalt de Percipian, Sanzaner de Sezan, & Arnaldus frater ejus. Nomina autem rusticorum sunt hæc, Sanctius Presbyter, Despiaub & filius ejus Garsias, & Arsinus & Donatus Descolonier, Sanzarsi & Garsiæ Fort gener ejus, Fortasi & filii ejus, Donatus, & Guilelmus, & alii quamplurimi, & plurimæ feminæ.

Ideo notum sit omnibus Cœnobitarum Condomensium, qua ratione quoque modo sit hæc donatio facta, subsequitur. Cùm vellet supradicta Domina donum facere, fecit coadunare Domnum Abbatem Ramundum, & Petrum Priorem, & alios Fratres, & supradictos Seniores, misit legatos ut daret ei Abbas aliquod munus. Ipse autem compulsus his qui ibi aderant, dedit ei equum pretii viginti solidorum & x. solidos ex-

avesis. Et fecit donum ipsa, & filii ejus, & filiæ cum cornu altaris & cruce in integro, nisi tantùm tertia pars quæ pignus erat Garsiæ Arnalt de Corneila. Ipsa tamen quousque solveretur, permaneret, & soluta pretii ejus dominæ remaneret vel suis, non reservans sibi, neque filiis, neque parentum ullam reservationem. Fuere autem hujus rei fidejussores, scilicet Arnaldus de Sediliag, Arnalt Urnalt de Pircipian, Sanzaner de Sezan, & ejus frater Arnaldus.

Sanctio Garsias de Centosca dedit Ascalancd sancto Petro unam silvam, & campos cultos & incultos in ipso loco. Augerius Dascons pro redemtione animæ suæ & pro pretio, quod accepit ab Arnaldo Monacho, x. solidos, dedit unum campum.

In loco qui vocatur Rufiacus, emit Sanctio vineas, alaudos, cultos & incultos. Forto Garsia de Rufiaco dedit sancto Petro duos rusticos.

In alio loco qui vocatur Cartiga, dedit Arsisam de Artinciam sancto Petro unam vineam bene determinatam.

In illo loco qui vocatur *Pino*, dedit Ato de Anelada sancto Petro medietatem honoris sui quem possidebat.

Arsiarnalt de sancto Gurgurio dedit ad sanctum Petrum unam domum, & unum casalem, & alaudos plures, & similiter in Poio unam vineam.

Garsias Monachus de Chilaon dedit sancto Petro unam vineam & unum campum prope Bamsia, supra quem casalem emit Arnaldus Monachus unam peciam de terra de Donato Auriolo.

In villa quæ dicitur in *Lota*, est quidam casalis cum vineis, quas dedit beato Petro Sanctius Monachus cum puero fratris sui, qui vocabatur Donatus Auriolus. Et in fluvio, qui vocatur Bamsia, habetur unum molendinum, ex una parte dedit Ato de Angladas, ex alia parte dedit Ancforto de Vilora. Post obitum Ancfortonis abstulit filia ipsius cum viro suo, acceperuntque à Fratribus x. solidos probatæ monetæ, & dede-

Digitized by Google

runt fidejussores ut in perpetuum non possiderent. Et ipse Ato, cujus superiùs memoravimus, pro redemptione patris, vel matris & animæ suæ jure hereditario quas possidebat, dimisit. Et est vinea in parte ipsius villæ quam dedit Donatus Emerus de Sartiga. Et in alio loco possidet sanctus Petrus aliam vineam quam dedit Sanctia femina. Item dedit aliam vineam Arnaldus Monachus cum uno campo prope molendinum. Itemque alius Arnaldus Deairal dedit aliam vineam in prato. Iterum in podio Vilotæ dedit aliam vineam Fachel femina. Item sequitur alia vinea quam emit Sanctius Monachus VII. solidos de manu Auria. Et supra villam Vilotæ dederunt decimam sancti Hilarii Ermenlen cum filiabus suis, beato Petro in generationibus sempiternis. Post mortem ipsius matris venit filia ejus cum suo marito, abstuleruntque beato Petro. Ad finem autem acceperunt tres solidos, & renfirmaverunt per cuncta sæcula. Amen.

Quidam Miles nomine Ramundus Garsias de Casals venit ad conventionem beato Petro, & dedit unam francdad facientem tres solidos. Alio verò in tempore per suum filium Arnaldum dedit in Bailino unum hominem XII. nummos dantem, atque unam culturam ad Guardesc ante unum campum.

Eicius Arsinus de Ampel tradidit beato Petro filium suum, & dedit unam culturam pro redemtione animæ suæ. Arnalt Eicius de Camarada unam dedit culturam.

Oddo de Beralt vendidit beato Petro quartam partem Ecclesiæ de Beralt, & accepit unum mulum & multa alia munera, atque insidiosè postea abstulit ipsemet. Ad finem autem suæ mortis non potuit ipse loqui, ideo nihil boni restituit. Fratres verò nostri illuc usque ierunt, ex parte Dei & Archiepiscopi prohibuerunt suæ uxori & filiis ejus, ut ullomodo sepeliretur, nisi priùs damnum beato Petro emendaretur. Uxor verò sua postquam verba hæc audivit, voluntariè cum filiis duobus suis dedit beato Petro Ecclesiam de Mirag',

atque

Digitized by Google

atque omnia ad ipsam pertinentia. Munus verò accepit x. solidorum; fideijussores fuerunt nomine Sanctio Forto de Beraldo, & Donad Sanz de Fontan.

In primis Catholicus quidam Eicius Aner nomine de Aran, veniens ad sanctum Petrum causâ peregrinationis, ut erat solitum ab hominibus illius terræ, suscepit monasticum habitum, dans quoque beato Petro Ecclesiam quamdam super fluvium Garonæ, quam vocant sanctum Petrum de Jels, & de Ecclesia sanctæ MARIÆ de Villamors tertiam partem. Ex omni etiam parochia de Villamors Ecclesia, & ex omnibus parochiis Ecclesiarum ad eam spectantium supradictus Eicius Aner tertiam partem totius decimæ beato Petro dimisit, necnon ex omni annona sive frumenti, sive aliarum messium, homines earum Ecclesiarum ex singulis modiis singulos sextarios semel in anno beato Petro persolvere debent.

Inde Clericus quidam de Odezano nomine Forto dedit sancto Petro modiatam alodii unam in eadem villa.

Inde Princeps quidam nomine BERNARDUS de Bassona dedit libertatem quamdam nomine Anerdat de Tauran.

Inde Ato de Anglada dedit libertatem unam in Podio super sanctum Gurgurum.

Deinde in eodem podio super sanctum Gurgurum Arsiarnaldus quidam offerens filium beato Petro & cum eo quartam partem Ecclesiæ sancti Martini de Gualians; & domum quoddam, & unum casalem quod dicitur *Arcmal*, & duas culturas, & dedit in eodem podio vineam unam.

In villa quæ dicitur Inalora, habet beatus Petrus casalem unum, quem dedit ei Sanctius & frater ejus de Adanriol, & ipse dedit filium suum & duas vineas: & in eadem villa comparavit iisdem Sanctius vineam unam beato Petro de muliere quadam, quæ vocabatur Auria, & juxta eam partem quamdam alterius vineæ, quam dedit sancto Petro mulier quædam Fal nomine.

Digitized by Google

Item in eadem villa dedit quidam Arnaldus de Eiral partem aliam vineæ cujusdam.

Item in eadem villa Arnaldus quidam suscipiens monasticum habitum, dedit ipse & mater ejus sancto Petro partem vineæ quamdam, & super vineam partem terræ quamdam, & super ripam fluminis Bavisiæ tres modiatas alodii. Et statuit ei mater sua, quòd post mortem daret sibi omnem portionem terrarum, vel vinearum patris sui, sive suarum.

Item in eadem villa dedit quædam mulier Sancia nomine partem quamdam vineæ : & in eodem loco dedit quidam Dooclanaer de Lartiga partem unam vineæ.

Item in eadem villa habetur molendinum quod construxit familia beati Petri; cujus locum, ripam scilicet fluminis, alteram dedit Ato de Anglada & filia ejus Azera beato Petro, & alteram ripam dedit quidam Anefort & filia sua Guarsens cum marito suo.

Item in eadem provincia dedit quædam mulier Ermenelsc cum filia sua Guasen decimam sancti Hilarii.

Item in villa quæ vocatur Artigua, dedit quidam Arsi Sancius de Artmeiam vineam unam.

Item quidam Garsias Clericus dedit sancto Petro quamdam partem terræ Acomaneira, & de omnibus supradictis in quibuscumque Ato de Anglada dominabatur, cedit isdem Ato beato Petro omne donatum quod ad se pertinebat. Item quidam Sanctius Clericus de Arrocas dedit sancto Petro unam denariatam vineæ in villa quæ appellatur Guardera.

Item in eadem villa alius Sanctius Clericus dedit sancto Petro vineam unam quæ vocatur Asafossa. Item in eadem affinitate quidam Presbyter Forto nomine dedit nemus, & juxta culturam unam beato Petro. Item in eadem villa quidam Arsi Dominicus dedit agrum unum. Item in eadem villa, in loco qui dicitur Bredons, dedit quædam mulier agrum unum, & Arnaldus Monachus emit juxta illud agrum de Forto Emerio, dans ei duos solidos & dimidium.

Digitized by Google

Item in Brocario emit isdem Arnaldus agrum unum de Guilelmo Presbytero & de Fortone de Guardera, dans eis decem libras metalli. Item in eadem villa Guardera, in loco qui dicitur Podigia, emit supradictus Arnaldus agrum aliud de quadam muliere quæ vocabatur Sanctia, dans ei quinque solidos. Item in eodem loco vendidit quidam Arsiforto sancto Petro agrum aliud accipiens inde duos solidos & tres denarios.

Item in villa quæ dicitur Lota, emit supradictus Arnaldus Monachus unam partem terræ de Donadanricl.

Item quidam Sanctio Garsias Miles Desentosca, veniens ad sanctum Petrum suscepit monasticum habitum, & dedit beato Petro agrum unum magnum & silvam omnem undique positam, in loco qui dicitur Calaned juxtà castrum Pardelian. Item in alio loco qui dicitur Bailin, dedit quidam Eisiarsi Dampel culturam unam pro filio suo, quem obtulit sancto Petro.

Item in pago qui dicitur Rufiag, emit Sanctius mutus terras & vineas cultas & incultas de Arnaldo de Bilota & de Arnalt de Caridpiu. Tertius quidam Forto Garsias de eodem Rufiag monasticam suscipiens conversationem dedit duos francos sancto Petro. Item quidam Garsias de Haliano suscipiens monasticam conversationem, dedit sancto Petro unam vineam & unum agrum juxta ripam Bamsiæ.

Alio quoque tempore quædam nobilissima femina nomine Astaria suscipiens monasticum ordinem dedit sanctissimo Petro medietatem Ecclesiæ, scilicet beati Gorgoni, quæ sita est in ripam Olonæ, cum consilio consobrini sui Sanctio Garsia & filiorum ejus nomine Arnaldo atque Guillelmo. Visores verò fuerunt Guilem de Orzan, & Amaneus de Berdusan.

Item Ato quidam nobilissimus Miles dedit agrum magnum cultum & incultum, quem emit à parentibus suis sanctissimo Petro in loco qui vocatur Podio.

Rusticus quidam nomine Sanzsan contulit Apostolo Petro quemdam, & unam concadam terræ in pago san-

Digitized by Google

cti Gorgoni quæ reddit XII. concas tritici.

Igitur in tempore alio quidam nobilissimi viri, scilicet RAMUNDUS Garsan & GALMUNDUS de Masecoma, & RAMONDUS Viciare, atque RAMUNDUS de Madira dederunt fundum Ecclesiæ sancti Petri, quæ vocatur Bolbena, cum omnibus appendiciis suis. Et illa Ecclesia erat tunc temporis inpignorata duobus Fratribus, scilicet Guilem Guilem, & Arnaldo Militi de Corzla per XXX. solidos. Et alii quamplures rustici & Clerici.

In nomine Domini nostri JESU CHRISTI, ego GARSIAS de Flaraied cum Fortone avunculo meo donamus & offerimus Ecclesiam beati Johannis de Flaran * cum omnibus appendiciis suis, & cum omni jure nostro, pro redemptione animarum nostrarum & parentum meorum. Et ego G. dono meipsum pro Monacho Deo & beato Petro Condomensis Monasterii in præsentia A. Abbatis & Fratrum suorum ante altare beati Petri, regnante L. Rege Francorum, R. B. Agennensi Episcopo. Hujus rei testes sunt B. de Clarag Prior, R. de Bignan, B. de Golored, G. Dalba-terra, G. Demtalt, A. de Bonafont, A. Mon, F. de Maian Monachi. Laïci G. de Marmont, G. de Sent-sannon, F. Dargentei, V. Monge, & alii multi.

* *f.* Flaraiede

1133.

Servitium quod Bernardus & Eugevivus miserunt pignus beato Petro pro anima matris suæ: hoc est; in villa quæ vocatur Hesquer, est quidam rusticus qui debet uno quoque anno reddere VIII. denarios Morlanensis monetæ, & VI. pro ariete, & unam concam tritici, & alteram annonæ, & IX. sextarios vini, usquedum reddat aliquis eorum XX. solidos Morlanensis monetæ.

Quidam Miles nomine RAIMUNDUS Lupi de Morellis venit ad conversionem in nostro Monasterio, in villa quæ vocatur Canoes, misit pignus quemdam rusticum, qui redderet in anno VI. denarios, & VI. panes, & unam culturam & vineam bonam beato Petro, donec filii ejus solventes redderent L. solidos Morlanensis monetæ. Hujus autem rei fidejussores sunt

Digitized by Google

Ugo de Bileire & R. Donatus de Cano.

Fordat Destampoers, dum esset in captione, clamans ad Deum, intercessione beati Petri à vinculis liberatus est. Quare dedit beato Petro decimam cujusdam terræ, quam habebat liberam, omni tempore vitæ suæ, & post eum omnis posteritas ejusdem idem faceret in perpetuum.

Soror Principis SANCTII nomine TOTA, quamdam possessionem sancti Petri, quæ Tamvilla dicitur, violenter invasit, nec antea dimisit, donec uno caballo, & optimo signo redimeretur ab hujus loci habitatoribus.

Boscus de Molinari dictus, olim ab isto cui debetur Cœnobio fuerat alienatus, & sancto Petro sublatus: hunc Siguinus dato non ignobili equo & viginti solidis redemit à Ramundo Lupi & ejus uxore, à quibus eo tempore detinebatur.

Vir potens & magni honoris, BERNARDUS Arnaldi, de Lansinaco nuncupatus, fratrem nomine Pontium Abbati SIGUINO ad nutriendum & litteris imbuendum commendavit, dans illi sancti Martini, quæ Ticiana dicitur, Ecclesiam cum silva circumquaque posita, & omnibus quæ ad eam pertinent.

Clericus hujus loci qui Lemes dicitur, Garsias nomine, quamdam libertatem sancto Petro moriens donaverat. Hanc Arduinus de Monte dictus violenter invadens, tamdiu tenuit, quoädusque à Siguino Abbate xv. solidos accepit, & ita dimisit.

Alteram libertatem sancti Johannis, vocatam de Guarderas, datis xxx. sol. Guillelmo Comiti, & aliis triginta Raimundo Garsiæ de Santosca, comparavit, qui eam à præfato Comite in beneficio acceperat.

Duo probatissimi Milites, quorum erant nomina Raimundus Sanctius de Sales, & Garsie Sanctius frater ejus, dederunt Ecclesiam sanctæ MARIÆ Dartagnonem Deo & sancto Petro, pro peccatis suis & parentum suorum, cum omnibus appendiciis suis.

Posteritati nostræ scriptum relinqui volumus, quòd

Digitized by Google

RAMUNDUS Dareis instinctu divinæ inspirationis totam terram de Bons cultam & incultam, cum nemore quod circa viciniorem nobis ripam fluminis Oceæ situm est, ab omni servitio liberum, quod ex hereditate matris suæ in possessionem ejus transierat, & xx. denarios servitii, quos Bastard famulus noster pro VII. solidis in pignus habebat, pro redemtione animæ suæ, & parentum suorum & pro suo Monachatu beato P. in manu PEREGRINI Abbatis dedit. Paucis post hoc transactis diebus, ut confidentiùs nemus prænominatum à nobis acciperetur, datis sibi à Camerario G. Dalticias nomine v. solidis pro vestitu suo, donationem ipsam in Claustro coram cunctis Fratribus cum magna devotione affirmavit. Testes hujus rei sunt ipse Abbas Peregrinus, G. Dalticias, & G. de Franlencs, & Bond de Saroca, P. de Samazera, B. de Safaurga Monachi. Laïci verò G. Dargenten, Bastard, P. Baldon, R. de Moirags, G. Durol, S. Fuert de Salnea, qui ejusdem terræ custos & observator erat, & alii multi.

Posteritati nostræ scriptum relinqui volumus, quòd B. de Bons pro se & pro suis dedit beato Petro in perpetuum, locum qui dicitur Laberdesca, & locum qui dicitur Altmont, & locum qui dicitur Lacoma. G. Fuert & molendinarium ejusdem loci, & culturam de Calaosa, & omnia jura sua usque ad terram Montasin de Gualart, pro monachatu suo, & pro redemtione animæ suæ & parentum suorum.

Universis tam præsentibus quàm futuris notum fieri volumus, quòd Miles quidam, Garsias Daluan nuncupatus, sanus & incolumis ad Condomensem Ecclesiam accedens, monasticum ibi suscepit habitum, pro redemtione animæ suæ parentumque suorum, offerens beato Petro Condomensi Fratribusque ejusdem Ecclesiæ, duas partes Ecclesiæ Dalunan, cum omni jure ecclesiastico, & cum Ecclesia juxta eamdem terram circumquaque spatio XXXI. stadiorum, cujus Ecclesiæ tertiam partem Arostais Dalunan beato Petro Condomensi dederat, quando filium suum S. nomine vocitatum,

Monachum fecerat: & ita beatus Petrus donationem totius Ecclesiæ Dalunan cum omnimoda libertate acquisivit. Propterea memoratus G. Dalunam Ecclesiam sancti Gervasii, quæ proxima est Ecclesiæ Daluan, nobis hoc pacto tradidit, quòd tamdiu eam habeamus & possideamus, donec aliquis de consanguinitate ipsius, cui jure hereditario competat, pro præscripta sancti Gervasii Ecclesia c. sol. Morlanensis monetæ nobis persolvat. Hujus rei testes & visores fuere Domnus Abbas R. in cujus manu hæc omnia facta sunt, Arsinus Episcopus Convenarum, A. de Laman Prior, G. Dalticias Cellerarius, B. Alaman, T. de Montfalçon, & omnes alii Fratres Condomenses; G. A. Dalunam qui præfatum donum confirmavit, & alii quamplures.

Præcedentium exemplo admoniti, quæ temporibus nostris beato Petro oblata sunt, scripturæ testimonio commendamus, ne incuria & negligentia nostra posteris nostris sit damnosa. Cunctis igitur liqueat legentibus quòd anno Verbi Incarnati M. C. XCIIII. Miles quidam Arnaldus de Lescura vocitatus, divina miseratione compunctus, in Condomensi Monasterio monachalem suscipiens habitum, dedit beato Petro Condomensi & ejusdem loci habitatoribus tres partes decimationis Ecclesiæ sancti Martini de Lira, cum omnibus ad eam pertinentibus, terras quoque cultas & incultas; necnon & servitia quæ ibidem jure hereditario possidebat, hac interposita conditione, ut Fratres Condomensis Ecclesiæ easdem tres partes Ecclesiæ à creditoribus, scilicet Amigot & A. de Sabera Guarda, quibus præfatus A. de Lescura eas obligaverat de CCCC. solidis Morl. monetæ, redimendo persolverent. quod fecerunt. Hoc autem donum frater ejusdem A. Marsan nomine confirmavit, datis sibi à Fratribus Condomensis Ecclesiæ L. sol. Morlanensis monetæ. Supranominatum donum ambo fratres pariter C. A. & M. & quidam eorum consanguineus, positis manibus super sacrosancta Evangelia, absque omni reservatione in perpetuum concesserunt: hoc tamen addito, quòd si aliquando Marsan monacha-

1194.

Digitized by Google

ri voluerit, in Condomensi Ecclesia admittatur. Hujus autem donationis testes & visores Fr. G. Prior, A. G. Operarius, G. Sacrista, B. Camerarius, R. de Montefalco, C. de Godbes, B. Dastafort, P. Mercer, & omnes Monachi Condomenses. Laïci verò B. de Scatarenes, B. de Montpaion, S. de Luan, A. de Montfalcon, G. Dargenteil, A. de Meca, Corals, & alii quamplures. Actum est hoc CÆLESTINO Papa III. præsidente, PHILIPPO Rege Francorum regnante, RICARDO Rege Anglorum Vasconiam gubernante, B. Agennensi Episcopo existente.

In nomine Domini JESU CHRISTI, laborans in extremis ego VITALIS de Beralt, in Condomensi Ecclesia monasticum sumens habitum, in manu Peregrini Abbatis, dono & concedo beato Petro Condomensi octavam partem Ecclesiæ de Gardera, quam liberè possideo, & in eadem parochia II. concadas de terra liberas. Hoc tamen præcognito quòd prædicta pars Ecclesiæ & terra cum medietate Ecclesiæ de Bilar & servitiis, terris & omnibus aliis quæ ibidem jure hereditario possideo, pro CC. sol. Morlanensis monetæ Bono Amico Davalag obligata est. Super hoc autem in præsentia plurium tale testamentum facio, quòd Fratres Condomensis Ecclesiæ præscriptum pignus cuicumque voluerint solvant, servato tamen usu pignorum solvendorum; & tamdiu teneant, donec aliquis, cui de jure hereditas mea competat, CC. solidos Morlanensis monetæ eisdem reddat, & tunc Ecclesiam de Bilar, & omnia quæ ibidem ad me pertinent, recipiat; Ecclesia verò & terra de Guardera Condomensi Ecclesiæ in perpetuum remaneat. Quòd si etiam aliquando aliquis de consanguinitate mea memoratum pignus solverit, superiùs dictam partem Ecclesiæ de Gardera, & terram Condomenses Fratres obtinebunt. Hujus rei testes invoco Domnum Abbatem Peregrinum, G. Dalticias, F. de Porta, V. Escolier, Gualterium de Beralt, R. Estiu, & alios quamplures.

Item Petrus R. de Gotbes dedit beato Petro Condomensi,

Digitized by Google

domensi, ejusdem loci habitatoribus pro redemtione animæ suæ parentumque suorum, medietatem decimationis prædictæ Ecclesiæ de Guardera, quæ est inter Condomum & locum qui dicitur Analag, & filium suum C. pro Monacho, hac conventione à nobis retenta, & ab ipso P. R. in fine vitæ suæ in manu PEREGRINI Abbatis ore suo affirmata, ut si & filius ejus monachari nollet, Ecclesiam supradictam beatus Petrus, & servi ejus Monachi non minùs hereditario jure possiderent: qui tum postea factus est Monachus. Testes sunt ipse Abbas R. G. Dalticias, G. Daurencs Capellanus hujus villæ, A. Lup de Bileni, Ç. de Ligardas, & alii multi. Hoc & donum postea filii præscripti P. R. scilicet Petrus, R. & Bertrandus, & R. G. positis manibus super altare beati Petri, pro se & successoribus suis in perpetuum nobis concesserunt & affirmaverunt. Hujus autem concessionis seu affirmationis testes sunt A.* Abbas, G. Prior, G. Sacrista, A. G. Operarius, B. Camerarius, G. de Canoas, & Gualardus frater ejus, B. Dastafort, P. Mercer, & ceteri Monachi Condomenses. Milites verò A. Lup de Bila, C. de Ligardas; Burgenses G. Dargenten, Boanug, Davalag, Saubaieg, B. G. Davalag, Gis de Poleiag, P. de Sentyenion, & alii multi.

*R.

Item R. Clasterpuei, qui noster exiterat Monachus, in fine vitæ suæ habitum nostrum quem antè dimiserat, reaccipiens, cum consensu & assensu matris suæ Anrengat & aliorum amicorum suorum, dimisit ac dedit beato Petro Condomensi dimidium quartæ partis sæpedictæ Ecclesiæ sancti Johannis de Guardera jure perpetuo in manu G. Dalticias Cellerarii nostri. Testes & visores hujus fuerunt Anrengat magister Raymundi, P. Galairan Prior de Gazalpoi, S. de Guascoie Capellanus ejusdem loci, C. de Ligardas, & alii multi.

Bernardus Delbois decimationem terræ Delbois beato Petro Condomensi pro se & pro suis totam ex integro liberam, & ab omni servitio, pro redemtione animæ suæ parentumque suorum, in manu Abbatis PE-

REGRINI de Forcas, & AR. Episcopi Convenensis dimisit. Quare facta donatione prædicti Abbas & Episcopus, ut hoc magis ratum haberetur, dederunt supramemorato B. v. solidos Morlanensis monetæ. Hujus rei testes & visores fuere præfati Abbas & Episcopus, & fratres Episcopi ODDO de Cassanona*, & V. RAMUNDUS, R. de Bianan, D. de Sentsennon, Asters, Laïci; Monachi verò G. Dalticias, tunc Cellerarius, S. de Majan, S. de Quinsag, & alii multi.

* Cassanova

ARNALDUS de la Serra Miles divina inspiratione pertactus, à sententia data de illicitis decimatum detentoribus absolvi cupiens, in manu HELIÆ Episcopi Agennensis & R. Abbatis dedit liber beato Petro Condomensi medietatem Ecclesiæ *de la Saira*, sive *de Maiomont*, cum omnibus appendiciis suis. Quod donum filius ejus eodem nomine nuncupatus, super altare beati Petri positis manibus juramento pro se & successoribus suis affirmavit. Rustici etiam sui D. Serbad, & G. & quidam alii, qui pro præscripta Ecclesia jam dicto Arnaldo quolibet anno certam pensionem reddebant, juri suo, si quod videbantur habere, præfatum donum concedentes, penitus juramento interposito abrenunciaverunt. Testes sunt ipse Episcopus & jam dictus Abbas, G. Dalticias, R. de Montfalcon, G. de Lescolt, V. Descalaos, V. Alaman, & ceteri Monachi Condomenses; Laïci verò P. de Canoas, G. Feiran Pinhera.

Associatio totius Ord. Prædicatorum cum Abbate & Monachis Condom. Abbatiæ.

VIRIS religiosis atque devotis & in Christo dilectis, domino M. Abbati Condomensi, totique Conventui nunc existentibus, Frater JOHANNES Dei miseratione Episcopus & Magister Ordinis Fratrum Prædicatorum salutem, & ad vitæ cælestis gaudia continuè suspirare. Vestram ad Fratres nostros & Ordinem universum specialem dilectionem evidentibus devotæ pietatis effectibus cognoscentes, & gratiarum omnium largitori uberes exinde gratiarum actiones affectione debita referentes, oramus & desideranter optamus, ut fructum nobis in ratione nostra Deus tribuat abundan-

Digitized by Google

tem, & per incrementa quotidiana justitiæ messem nobis præparet gloriæ sempiternæ. Et ut nostræ parvitatis devotio ad tam prompta nostræ libertatis obsequia appareat non ingrata, omnium Missarum, orationum, prædicationum, confessionum, jejuniorum, & aliorum bonorum, quæ per Dei gratiam in universo Ordine nostro fiunt vel fient in posterum, vos tenore præsentium participes facimus perpetuò & consortes: concedentes nihilominus, ut cùm alicujus vestrûm obitus nostro generali vel provinciali Capitulo fuerit nuntiatus, idem pro vobis fiat, quod pro Fratribus nostris defunctis communiter fieri consuevit. Datum in Monte Pessulano in Capitulo generali, anno Domini M. CCXLVII. VI. Kalendas Junii.

1247.

Nomina Fratrum qui tunc erant, sunt hæc: Domnus Abbas MONTASINUS, Garsias Prior, Pontius, Guilelmus, Arnaldus, Garsias, Cenebrinus, Bernardus, Bernardus, Andreas, G. Bellus, Ramundus, Ramundus, Augerius, Amalbinus, Fortaverius, P. G. Petrus, Ardus, Geraldus, Ardus, Vitalis, Bernaldus, Seibonus, Pelegrinus.

Nomina Monachorum Condomens.

VIRIS religiosis atque devotis, & in Christo dilectis Domno AUGERIO Dei gratiâ Abbati Monasterii Condomensis, totique Conventui ejusdem nunc & in posterum existentibus, GUALBARDUS permissione divina humilis Abbas Monasterii sanctæ Crucis Burdegalensis, totus ejusque Conventus, salutem & ad vitæ cælestis gaudia continuè aspirare. Vestram ad nos & Monasterium nostrum specialem dilectionem evidentibus effectibus cognoscentes, ac debita affectione vobis condescendentes, oramus & indesinenter optamus, ut fructum optatæ salutis Dominus vobis tribuat abundantem, & per incrementa justitiæ messem præparet gloriæ sempiternæ; & ut nostræ parvitatis denotatio ad tam promptam devotionem, & postulatum instanter desiderium appareat non ingrata, omnium Missarum, orationum, jejuniorum, eleemosynarum, & aliorum bonorum quæ per

Abbatiæ S. Crucis Burdegal associatio cum eisdem.

Digitized by Google

Dei gratiam in nostro Monasterio fiunt vel fient in posterum, vos tenore præsentium participes fecimus pro vobis & successoribus vestris perpetuò & consortes: concedentes nihilominus ut pro animabus Fratrum defunctorum Monasterii Condomensis prædicti, tertia die post Festum omnium Sanctorum, anniversarium annis singulis in Monasterio nostro per nos fiat, adhibita solemnitate quacumque, quam in præcipuis anniversariis consuevimus adhibere: necnon concedentes, ut cùm Domnum Abbatem vel aliquem Fratrem Monachum Monasterii præfati declinare ad Monasterium nostrum seu ad aliqua loca nostra fortasse contigerit, juxta possibilitatem nostram & dictorum locorum, eidem vitæ necessaria ministrentur, ut nobis & Fratribus nostris volumus, vel fieri consuevit. Datum & concessum hoc Burdegalæ in Claustro Monasterii prædicti, præsentibus venerabili Priore Calcedroti Fratre, Raimundo de Andirano, die Martis post Festum Exaltationis sanctæ Crucis. In cujus rei testimonium & obligationis nostræ hujusmodi ac affectatæ & perpetuæ observationis præmissorum, nos Abbas & Conventus prædicti Monasterii sanctæ Crucis Burdegalensis sigilla nostra duximus præsentibus apponenda, annô Domini M. CCLXXXI.

1281.

Grandissylvæ Monasterii Ord. Cist. associatio.

VENERABILIBUS & religiosis viris, ac in Christo sibi dilectis & karissimis Domno ARNALDO Odoni, Dei gratiâ Abbati Monasterii Condomensis, totique Conventui ejusdem Monasterii, nunc & in posterum existentibus seu Professis, Frater BERTRANDUS dictus Abbas Grandissilvæ Monasterii, Cisterciensis Ordinis, Tolosanæ Diœcesis, totusque Conventus ejusdem loci, salutem, & perpetuum ac continuum sanctæ religionis effectum, fructum cælestis gloriæ promereri. Exigente piæ devotionis affectu, quam ad nostrum Ordinem & ad nos ac nostrum Monasterium prædictum ex serie vestrarum litterarum accepimus vos habere, & oblationibus vestrarum orationum & suffragiorum, necnon communicatione bonorum temporalium à vobis, no-

Digitized by Google

bis licèt immeritis vestri gratiâ præsentatis, gratiarum actiones vobis pro nobis & nostris successoribus, quantas cum Deo possumus referentes, concedimus vobis ac vestris successoribus perpetuò plenariam participationem omnium bonorum spiritualium & temporalium quæ fiunt, ac de cetero, Deo favente, fient in nostro prædicto Monasterio Grandiss. & in nostris filiabus Abbatiis, ac tota generatione prædicti nostri Monasterii Grandiss. in vita pariter & in morte, in Missis, orationibus, jejuniis, disciplinis, eleemosynis & ceteris quibuscumque operibus pietatis. Insuper quòd cùm obitus in posterum Domni Abbatis Condomensis ac ceterorum Monachorum & Fratrum ejusdem Monasterii, per rotulum brevem, vel litteram, aut aliàs scripto seu verbo nostro Capitulo fuerit nuntiatus, ibidem sicut unum nostrûm absolvemus, omniumque Missarum & orationum, quas pro Fratribus nostris defunctis injungimus faciendas, efficiemini participes & consortes. Præterea volumus ut die qua præcipimus, ad anniversarium pro nostris Fratribus fieri annuatim], videlicet XII. Kalendas Decembris, nomen vestri Monasterii inscribatur, necnon & personarum, ut indelebili memoria vestri & vestrorum successorum absolutio apud nos & nostros successores in ipso anniversario perpetuò habeatur. Gaudenter vobis nihilominus annuentes, quia cùm Domnum Abbatem Condomensem aut aliquem de Monachis aut Fratribus dicti Monasterii ad nostrum Monasterium, seu loca nostra contigerit declinare, eisdem liberaliter & honorabiliter, sicut uni nostrûm aut meliùs necessaria ministrentur, ut sicut invicem in caritate radicati & fundati, bona temporalia & spiritualia communicantes, in stadio vitæ currendo perseveramus, sicut decet humilitatis omnimodo professores, mereamur in fine feliciter accipere bravium cælestium gaudiorum. In quorum omnium fidem & testimonium, nos prædictus Frater BERTRANDUS Abbas Grandissilvæ sigillum nostrum, quo unito cum prædicto Conventu utimur, pro nobis & dicto Conventu, præsentibus duxi-

Digitized by Google

mus apponendum. Datum Grandiss. & concessimus unanimiter in Capitulo, die Lunæ post festum beati arnabæ Apostoli, anno Domini M. CCCIV.

1304.

Enarrantur donationes Abbatum, ac Monachorum Condom. Abbatiæ, quæ regularem observantiam denotant tunc labefactatam.

QUONIAM bona opera prædecessorum sunt per suos successores memoriter retinenda, ut ipsi successores pro animabus eorumdem prædecessorum velint Dominum JESUM CHRISTUM in suis orationibus exorare, ut perfectis dictis bonis operibus ipsorum prædecessorum ipsi successores studeant similia opera vel meliora exemplo eorum in hoc Monasterio, & locis aliis ejusdem Monasterii facere, & totis suis viribus procurare; ideo quædam bona opera per aliquos venerabiles Abbates, Priores, Administratores, ac aliquos alios Monachos Claustrales hujus Monasterii facta meritò sunt scribenda.

In primis est sciendum quòd Domnus MONTASINUS de Gualardo, venerabilis Abbas hujus Monasterii fecit fieri muros castri de Cassanea. Item aulam & cameram Domni Abbatis hujus Monasterii. Item aulam Prioratus Calcidroti, & multa alia bona. Et post ejus obitum de suis vasis argenteis fuerunt factæ tabula & capsa de argento, cum imaginibus quæ sunt in altari majori beati Petri, in qua capsa sunt plures reliquiæ diversorum Sanctorum. Qui quidem Domnus Montasinus obiit in vigilia beati Matthæi Apostoli, anno Domini M. CCXLVII. Et est sepultus in Prato beatæ Katherinæ retro Capellam beatæ Virginis MARIÆ.

1247.

Item anno eodem Domnus AUGERIUS de Andirano, tunc Prior Neiraci, fuit electus concorditer in Abbatem hujus Monasterii, qui fuit valde religiosus & vitæ laudabilis, ipseque in hoc Monasterio instituit festum beati Johannis Evangelistæ ante Portam Latinam in Albis; pro quo festo emit certos redditus, & eosdem Conventui assignavit, Capellaniam in capella beati Johannis Evangelistæ infra Monasterium, & ibi est sepultus. Item fecit tria anniversaria, unum pro se, & aliud pro Domno Montasino de Gurlardo Abbate prædicto,

Digitized by Google

tertium verò pro animabus parentum suorum. Item fecit unam cappam Chori, & unam infulam cum dalmatica, & tunica de bysso viridi. Item unum vestimentum cum imaginibus paratum. Item fecit fieri domum de Cuz cum Ecclesia. Item Ecclesiam castri de Cassanea. Item domum Infirmariæ testudinatam cum camera eidem contigua hujus Monasterii. Obiit autem dictus Domnus AUGERIUS die III. post festum Assumptionis beatæ MARIÆ, anno Domini M. CCLXXXV.

1285.

Eodem verò anno Domini, videlicet V. die post obitum ejusdem Domni Augerii Abbatis prædicti, Reverendus Pater in Christo Domnus ARNALDUS Odonis de Leomania, tunc Prior Neriaci, fuit electus concorditer in Abbatem hujus Monasterii, qui fuit valde famosus, religiosus & utilis huic Monasterio verbo pariter & exemplo. Nam ipse instituit in hoc Monasterio quinque Festa in Albis, videlicet sancti Antonii Abbatis *; & quòd dies crastina post Festum Assumtionis beatæ MARIÆ solemniter celebretur. Item ordinavit quòd omnibus diebus Sabbatinis totius anni officium Missæ beatæ MARIÆ Virginis perpetuò celebretur, exceptâ Quadragesimâ & Octabâ Nativitatis Domini, Paschæ & Pentecostes, nisi illa die Sabbati occurreret Festum XII. Lectionum, & si contingeret occurrere dicta die Sabbati aliquod Festum XII. Lectionum, quòd in proximiori die præcedenti ejusdem septimanæ dictum officium celebretur. Item instituit unam Capellaniam, & duo anniversaria, unum pro se, & aliud pro animâ dominæ Deauratæ matris suæ; pro quibus omnibus supradictis emit medietatem decimæ sancti Johannis de Carieto prope castrum de Feugaroliis, & proventus & redditus ejusdem medietatis decimæ in quatuor partes dividendos, cum quinque conchis frumenti annui reditus per clavigerum hujus Monasterii, ratione cujusdam terræ emptæ apud Martinum sanctum, per ipsum Domnum Abbatem Conventui persolvendis prædicto crastino Assumtionis ejusdem, Conventui assignavit. Item fecit fieri unum vas de argento pulcherrimè deau-

* *Desunt hæc* quinque festa.

Digitized by Google

ratum, cum duobus angelis argenteis deauratis, tenentibus in manibus suis unum vas de crystallo, in quo sunt pili beatæ MARIÆ Virginis. Item unam crucem argenti deauratam, duo candelabra argentea, unum magnum calicem cum imaginibus deauratum, unum thuribulum argenteum deauratum & subtiliter operatum, unam naviculam, duas canetas, & unum urceum pro aqua benedicta portanda, cum hyssopo de argento. Item fecit fieri duas crossas pulcherrimas de argento deauratas, & duos bassinos magnos de argento. Item fecit fieri duas cappas, & duas infulas cum dalmaticis & tunicis pulcherrimis cum diversis imaginibus de opere brodato: item duas cappas, & duo vestimenta parata, & unam infulam cum dalmatica & tunica de panno deaurato. Item duas cortinas de cendalo rubeo & viridi circa altare beati Petri. Item fecit scribi Flores Sanctorum, Expositionem Regulæ beati Benedicti, Ugutionem & unum Officiarium. Item fecit fieri picturas Claustri conventualis, & turres castri de Cassanea à muro antiquo suprà, excepta turre introïtus dicti castri. Item domum de Retrosingula à superiori solario & suprà cum turribus dicti castri. Item porticum beati Benedicti per quem itur de dormitorio versus Monasterium. Item unum magnum pallium de serico cum imaginibus, & duos pannos pulcros de lana cum diversis signis; & multa alia bona, quæ longum esset per singula enarrare. Qui quidem dictus Domnus ARNALDUS Odonis Abbas prædictus recolendæ memoriæ migravit ad Dominum in Festo Conceptionis beatæ MARIÆ Virginis, anno Domini M. CCCV. & est sepultus intra Monasterium ante altare beati Benedicti. Et ut fertur, ipse Domnus Abbas prædictus in dicto Festo Conceptionis beatæ MARIÆ fuit natus, & tali die recepit habitum monachalem.

1305.

Anno autem quo suprà, videlicet XI. die post obitum Domni ARNALDI Odonis Abbatis prædicti, reverendus Pater in Christo Domnus Ramundus de Gualardo, tunc Prior Agranleti, Tolosanæ Diœcesis, fuit

Digitized by Google

fuit electus concorditer in Abbatem hujus Monasterii. Iste quidem Domnus Abbas, vir religiosus, misericors ac prudentissimus fuit: nam super causa sive controversia, quæ ratione incurrimenti multisque aliis de causis inter ipsum & prædecessores suos ex parte una, & villam Condomii ex altera vertebatur antiquitus, pacem benignissimè reformavit, qui usque in hodiernum diem vivit Domino præeunte multa bona facturus.

Domnus CENEBRIMUS de Gothesio, olim venerabilis Episcopus Consoranensis, dum erat Camerarius hujus Monasterii, acquisivit, ut dicitur, huic Monasterio plures libros Theologiæ, & anniversarium instituit, & in Episcopatu suo religiosè vixit, & multa bona fecit, & docuit verbo pariter & exemplo.

Religiosus vir Pontius de Cotz, Sacrista olim hujus Monasterii, fecit fieri unum brachium argenteum, in quo sunt Reliquiæ; & ferè omnes capsas deauratas fecit fieri, exceptis paucis, & multa alia bona fecit.

Item religiosus vir Bernardus de Comba Boneto, quando erat Sacrista hujus Monasterii, fecit fieri unam cappam chori de cendalo rubeo, & unum vestimentum cum imaginibus paratum cum pulcra stola, & manipulo de serico cum diversis signis deauratis.

Item religiosus vir Arnaldus de Luco, Prior Meriaci, instituit festum Translationis beati Nicolai in Albis, pro quo certos redditus dicto Conventui assignavit, quos redditus claviger hujus Monasterii recipit, & pro ipsis tenetur claviger octo concas frumenti solvere dicto Conventui annuatim, & multa bona alia fecit.

Item religiosus vir Arnaldus de Panlhaco, Operarius olim hujus Monasterii, instituit Festum beati Blasii in Albis, de quo ante dictam institutionem nullum festum in hoc Monasterio fiebat, excepta Commemoratione simplici: pro quo festo celebrando cum voluntate dicti Domni AUGERII Abbatis & Conventus, xx. solidos bonorum Morl. annui redditus in molendino sancti Gervasii prope castrum Liciæ, pertinen-

Digitized by Google

te ad domum de Caplissa, dicto Conventui assignavit, prout in quadam littera sigilli Domni Augerii & Conventus prædictorum plenariè continetur. Item fecit fieri omnes testudines corporis Monasterii ab antiquo opere & suprà, excepta testudine magna quæ est versus portam beati Nicolai. Item fecit fieri apud Caplissam in majori parte domum lapideam cum columbario lapideo & domo lapidea, ubi est coquina; item molendinum Tanafrese cum medietate molendini sancti Gervasii. Item instituit anniversarium pro se, & multa alia bona fecit & procuravit.

Item religiosus vir Geraldus de Borigiis, olim Camerarius hujus Monasterii, fecit fieri lectos dormitorii; item unam cappam chori, & unam infulam de serico cum uno vestimento parato. Item instituit duo anniversaria; unum pro se, & aliud pro parentibus suis.

Item religiosus vir Guillelmus de Neriaco, olim Cellarius hujus Monasterii, fecit fieri clausuram lapideam molendinorum cum molendinis lapideis in baysia; item cellarium lapideum novum hujus Monasterii; item duas domos cum magna borda apud Martinum sanctum. Item incœpit castrum de Guardera in Fezenciaco. Item instituit anniversarium pro se, & plura alia bona fecit & procuravit.

* *suprà* Cenebrimus de Gothesio

Item religiosus vir & famosus Cenebrunus * de Gotbesio, dum erat Sacrista hujus Monasterii, fecit fieri majora duo signa; item unam capellam de panno deaurato. Item instituit duo anniversaria, videlicet unum pro se, & aliud pro Domno Petro Raimundi de Sanbolca, bonæ memoriæ, olim Episcopo Consoranensi. Item factus Prior de Neriaco instituit & ordinavit, quòd crastinum post festum beati Nicolai hiemalis, & festum Translationis beati Martini in Albis perpetuò in hoc Monasterio celebretur, pro quibus certos redditus Conventui assignavit. Item emit pro Prioratu Neriaci medietatem decimæ sancti Johannis de Carieto prope castrum de Faugaroliis. Item fecit fieri unam capellam rubeam cum cappa chori de panno

Digitized by Google

deaurato. Item fecit fieri magna duo Breviaria Prioratus prædicti. Fecit etiam fieri unam pulcram cameram, & emit unam domum lapideam juxta cimiterium dicti Prioratus, & plura bona fecit.

Item religiosus vir Bibianus de Gieres, Prior claustralis hujus Monasterii, instituit anniversarium pro se, & fecit fieri & poni in refectorio & Capitulo tabulas ligneas ad sedes.

Item religiosus vir Petrus de Ripera, Eleemosynarius hujus Monasterii, bonus Religiosus & devotus, instituit anniversarium pro se, & fecit fieri unum vestimentum. Item fecit reparari & meliorari domum Mandati, ubi recipiuntur hospites & pauperes; & procuravit quòd Domnus AUGERIUS Abbas prædictus faceret Ecclesiam de Cassanna, & multa alia bona fecit & procuravit. Item religiosus vir Ramundus de Estussano, Prior Salvitatis, instituit anniversarium pro se. Item Frater Petrus de Salmis, bonus Religiosus & humilis Monachus claustralis, instituit anniversarium pro se, & fecit fieri unum vestimentum aurifrizatum.

Item frater Andreas de Chica, bonus & utilis Monachus claustralis, instituit tria anniversaria, videlicet unum pro se, secundum pro parentibus, tertium verò pro Domno Pontio Decoz, Sacrista hujus Monasterii. Item scripsit manu propria libros Ecclesiasticos, videlicet duo Missalia beati Petri & Dominæ nostræ; item Evangelistarium & Epistolarium; item duos Graduales sive Jornaria, duo prosaria, & unum mixtum. Item fecit fieri duas cappas chori; item tres infulas cum dalmaticis & tunicis, & plura alia Ecclesiastica vestimenta.

Item religiosus vir Petrus de Aguzano, Camerarius hujus Monasterii, fecit unam capellam pulcram de panno de serico ultramarino cum duobus vestimentis. Item emit apud Martinum sanctum terram pro refectione unius pauperis, quam terram tenet ad manum suam Eleemosynarius; & ratione illius terræ ipse Eleemosynarius tenetur uni pauperi qualibet die in come-

Digitized by Google

ſtione providere unà cum aliis pauperibus in Mandato. Item Frater Petrus de Peyrerio, Monachus clauſtralis hujus Monaſterii, fecit anniverſarium pro ſe. Item Frater Petrus de Quercino, Monachus clauſtralis hujus Monaſterii, inſtituit anniverſarium pro ſe. Item Ramundus Denboſquet, Gaſſias del Eſcolt, Arnaldus de Flarano, Guilelmus de Ganrano, Senborius de Bons, Bernardus Bed, Petrus de Graziaco, Donatus de la Caſa, & Geraldus de Altigiis, Monachi olim hujus Monaſterii, quivis iſtorum inſtituit anniverſarium pro ſe.

Item religioſus vir Guilelmus Arnaldi de Biolas Camerarius hujus Monaſterii, inſtituit anniverſarium pro ſe, & fecit fieri duo veſtimenta. Item fecit columbarium terreum apud Martinum ſanctum.

Item religioſis vir Johannes de Polinbaco, Prior Salvitatis, fecit fieri in prædicto Prioratu unum molendinum ad ventum, & unum veſtimentum. Item religioſus vir Geraldus Deurraco, Prior clauſtralis hujus Monaſterii, inſtituit anniverſarium pro ſe, & fecit fieri duo veſtimenta. Item Frater Jacobus de Martello, Monachus clauſtralis hujus Monaſterii, inſtituit anniverſarium pro ſe, & fecit fieri unam cappam chori de ſerico cum foliis liliorum, & unum veſtimentum. Item Frater Johannes Royſſim, Monachus clauſtralis hujus Monaſterii, inſtituit anniverſarium pro ſe, & fecit fieri unum veſtimentum aurifrizatum. Item Frater Bonus-homo de Riperia, Monachus clauſtralis hujus Monaſterii, fecit fieri tria veſtimenta aurificata.

Item religioſus vir Arneus Grinaldi, Prior Calcidroti, inſtituit duas Capellanias, quarum unam uni Monacho hujus Monaſterii, alteram Capellano dicti loci Calcidroti cum certis redditibus aſſignavit. Item fecit fieri unam pulcram cappam chori de ſerico deaurato, cum uno veſtimento parato, & ſtola & manipulo. Item fecit quatuor anniverſaria, unum videlicet pro ſe in Monaſterio, & alium in Prioratu Calcidroti, tertium verò pro religioſo viro Bernardo de Cumba Boneto,

Digitized by Google

Priore quondam Calcidroti, & quartum pro parentibus suis. Item fecit fieri in Prioratu prædicto duas domos lapideas & plures cameras. Item instituit & assignavit quinque solidos Burdegalenses, pro duobus cereis ponendis ante corpus Domini die Jovis Cœnæ, qui continuò ardeant usque in crastinum, dum dictum corpus Domini ad altare fuerit reportatum. Item instituit festum de corpore & sanguine Christi annuatim solemniter & cum processione celebrandum in Monasterio, pro quo festo certos redditus Conventui assignavit.

Item religiosus vir Guallardus de Florenssano, quando erat Cellerarius hujus Monasterii, fecit fieri unam infulam cum tunica & dalmatica de bysso seu cimeto viridi, & tria vestimenta parata. Item idem Guallardus, quando erat Sacrista hujus Monasterii, fecit fieri unum vestimentum paratum cum stola & manipulo imaginatis; item paraturam mappæ altaris beati Petri cum imaginibus de opere brodato; item duo candelabra longa pro cereis portandis; item duas crossas de cupro deauratas. Item assignavit duos pannos deauratos cum imaginibus & historiis ad ornandum altare beati Petri in festis præcipuis; item duas infulas pro Missis celebrandis in altaribus Dominæ nostræ, & beati Benedicti; item unum vas argenteum cum lampadibus, in quo est positus calix lapidis pretiosi, cum quo beatus Petrus Apostolus celebravit primam Missam in Antiochia. Item fecit fieri tres calices argenti, & unum Missale. Item fecit poni in cappa de bysso rubea placas argenti deauratas. Item ipse Guallardus, factus Operarius hujus Monasterii, fecit pavimentari Monasterium, ut apparet, quod primò erat diversis impedimentis ligneis & lapideis impeditum. Item fecit fieri magnum portale sanctæ Crucis hujus Monasterii cum imaginibus & picturis. Item fecit fieri unam testudinem cum picturis, supra quam est chorus hujus Monasterii plus solito elongatus. Item fecit claudi magnas fenestras capitis Monasterii versus portam furni,

Digitized by Google

fissas & dirutas, & reparari & depingi cum vitrea ibi posita, ut apparet. Item fecit fieri vitreas fenestrarum capitis Monasterii in alto & testudinis vestiarii. Item fecit fieri cruces, & imagines & picturas beati Benedicti; item crucem & imagines cum picturis, quæ sunt circa chorum Monasterii cum picturis, quæ sunt in cornu claustri beati Benedicti. Item fecit fieri cortinas de serico rubeo & livido altaris beatæ MARIÆ. Item unam cappam pulcherrimam deauratam cum diversis historiis Sanctorum de opere brodato; item unam cappam de panno deaurato; item tria vestimenta cum serico suta; item unam capsam argenteam & deauratam, in qua sunt reliquiæ beati Blasii, beati Laurentii, beatorum Cosmæ & Damiani, & quorumdam aliorum Sanctorum; item imaginem beati Nicolai argenteam, in qua sunt & apparent duo dentes beatissimi Nicolai.

Religiosus vir Guallardus de Florensano instituit duo festa in Albis, videlicet beatæ Quiteriæ Virginis, & beati Georgii Martyris, de quibus ante dictam institutionem in hoc Monasterio non fiebat festum, nisi simplex trium Lectionum, pro quibus festis annis singulis celebrandis cunctos reditus dicto Conventui assignavit. Item instituit unam Capellaniam pro salute animæ suæ, & parentum & benefactorum suorum, quæ post ejus obitum per Domnum Abbatem vel per alium de mandato suo uni Monacho hujus Monasterii assignetur.

Interim verò dictus Operarius, quamdiu vixerit, de dicta Capellania valeat alicui Monacho dicti Monasterii providere, cui Capellaniæ certos redditus assignaverit. Item instituit quatuor anniversaria, videlicet unum pro se, & duo pro animabus domini Guallardi de Florensano Militis, & dominæ Esquinæ parentum suorum, & quartum pro anima Domni Arnaldi de Podio Carcialardi Militis, avunculi sui: pluraque alia anniversaria & Capellanias dicto Monasterio procuravit.

Item fecit fieri cortinas de tela & supracellum altaris beati Petri. Item fecit fieri duas magnas mensas seu tabulas Refectorii; item porticum juxta Ecclesiam bea-

tæ Katarinæ. Item fecit elevari murum inter domum Sacristariæ, & magnam aulam infirmariæ versus carreriam publicam villæ: nam ante dictam elevationem muri prædicti, de fenestris domorum villæ transeuntes per porticum dormitorii & ante domum Acrimontis poterant videri. Item fecit fieri Ecclesiam de Caplissa, & unam magnam bordam. Item fecit reparari bis clausuras molendinorum dicti loci, & quædam alia & plura opera in domo & molendinis dicti loci, fecit utilia & necessaria. Item fecit fieri carnerium & Ecclesiam sancti Johannis Baptistæ desuper cum porticu & picturis.

Isti fuerunt Abbates hujus Cœnobii, UGO Episcopus Agennensis, PETRUS de Sentas-Puellas, GUILELMUS de Puerletian, SEGUINUS de Calsada, DURANDUS de Sentaler, ODDO de Cazanova, BERGOMUS de Lana, AINERIUS de Caninont, RAMUNDUS Dalbuhon, Garsias Ciz. . . . . PEREGRINUS de Forces, ARNALDUS Oddo de Lomaiha, MONTASIUS de Gualard, AUGERIUS de Andirano, ARNALDUS Oddo de Lomaiha.

Isti fuerunt post Abbates Episcopi. Primò, Domnus RAMUNDUS de Gualardo. Secundus, Domnus PETRUS de Gualardo. Tertius Domnus BERNARDUS Alamandi *.

* Electus an. 1371.

FINIS.

PRÆMONITUM.

Ordinatio isthæc edita quidem est in Tom. XII. Spicilegii nostri pag. 168. sed adeo imperfecta ac mendis fœdata, ut eam expurgatam & completam, ope V. C. D. d'Her.uval, qui illam descripsit, iterata editione exhibere operæpretium putavimus.

ELIGANTUR per consilium Sacerdotum Parochialium, & aliorum virorum religiosorum, necnon & Burgensium, & aliorum proborum virorum de

communi ipsorum, usque ad quadraginta vel triginta boni viri & fideles, vel plures aut pauciores, secundùm quanitatem ipsarum villarum, & illi qui sic electi fuerint, jurabunt super Sancta, quòd ipsi de ipsis vel de aliis probis viris earumdem villarum eligent usque ad duodecim de illis, qui meliores erunt ad illam talliam assidendam: & illi duodecim nominati ab eis jurabunt super Sancta, quòd bene & fideliter assidebunt dictam talliam, nec parcent alicui, nec aliquem gravabunt odio vel amore, pretio vel timore, seu quocumque alio modo; & assidebunt dictam talliam ad libram æqualiter, & valor immobilium appreciabitur ad medietatem mobilium in assisia prædictæ talliæ.

Eligentur etiam simili modo cum prædictis duodecim alii quatuor boni viri, & scribentur nomina eorum, secretò tamen, ita quòd eorum electio non publicetur aliquibus, sed sub secreto habeatur, quousque illi duodecim assiderint, sicut prædictum est, talliam prædictam. Quo facto antequam publicetur tallia, vel aperiatur scriptura facta super tallia prædicta: illi quatuor sic electi juramento ab ipsis præstito, de illis duodecim fideliter talliendis sub forma prædicta assidebunt talliam competentem.

Digitized by Google

INDEX.

RERUM ET VERBORUM

TOMI XIII.

A

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

de

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Evari-

Digitized by Google

F

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

I

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

N

Digitized by Google

O

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ERRATA.

Pagina 14. l. 54. meminerant, *lege* meminerunt.
p. 44. l. 30. culpa conjugii, *lege* copula conjugii.
In nomine Domini, Amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCXIII. Indictione undecima, mensis Octobris die vigesima sexta, Pontificatus Domini Clementis Papæ V. anno octavo in mei Notarii & testium infra scriptorum præsentia personaliter constitutus venerabilis & circonspectus vir dominus Raymundus Bernardi de Duro-Forti Archidiaconus Transligerensis in Ecclesia Andegavensi, fecit, constituit & ordinavit Procuratores suos speciales, discretum virum Magistrum Arnaldum de Boycheto Jurisperitum, dominos Bernardum de Bosco-Giraudi, sanctæ

Digitized by Google

Crucis, ac Geraldum Alacris, sancti Aviti Caturcensis diœcesis Ecclesiarum Rectores, & quemlibet eorum in solidum, ita quòd non sit melior conditio occupantis, ad præstandum in animam suam pro ipso & ejus nomine juramentum homagii ligii, & conservandi corpus & honorem Episcopi & Ecclesiæ Andegavensis, & quòd dabit ei bonum & sanum consilium pro posse, & quòd non revelabit secretum suum postquam sibi revelaverit, & quòd servabit jura sua & Ecclesiæ prælibatæ. Dans & concedens dictus constituens dictis Procuratoribus suis, & eorum cuilibet in solidum plenam & liberam potestatem & mandatum speciale prædicta omnia & singula faciendi & exercendi eo modo quo ipse facere posset, si personaliter in præmissis præsens esset: promittens insuper se ratum, gratum, & firmum perpetuò habiturum quidquid per dictos Procuratores suos, vel ipsorum alterum actum fuerit in præmissis, vel aliquo prædictorum. Et insuper revocavit & revocat tenore hujus publici instrumenti quoscunque alios Procuratores suos, per ipsum constitutos quantum ad præsentandum seu conferendum Beneficia seu Capellanias ad ipsius præsentationem, seu collationem ratione dicti Archidiaconatûs sui seu Præbendæ, quos obtinet in antedicta Ecclesia Andegavensi pertinentia, seu etiam spectantia, vel alio jure quocunque; in aliis verò ipsos voluit in Procuratorum officio remanere, & hoc significari voluit per hoc publicum instrumentum omnibus quorum interest vel interesse poterit in futurum.

Actum apud Montilium Carpentoracensis diœcesis in Hospitio Suiranni Renardi, oppidani dicti loci, anno, Indictione, mense, die & Pontificatu prædictis: præsentibus religioso viro Fratre Arnoldo de Savinhaco Monacho de Soliaco, Prioreque de Bozoliis, & Raymundo de Varrato Clerico Cartacensis diœcesis, Bertrando de Giera de Cuhacé, & domino Raymundo de Brolio, de Pavone & de Castaneda Occitanensis & Agennensis diœcesis Ecclesiarum Rectoribus, testibus vocatis & rogatis. Et ego Raymundus de Ponte Clericus Caturcensis diœcesis, publicus auctoritate Apostolica Notarius, præmissis dum agebantur, unà cum

dictis testibus præsens interfui. Hoc instrumentum publicum inde feci, signumque meum solitum apposui rogatus.

Quo instrumento sic exhibito & perlecto, idem Bernardus de Bosco Giraudi nomine Procuratorio dicti Archidiaconi, & pro ipso supplicavit Reverendo Patri prædicto, quatinus eumdem Procuratorem nomine Domini sui absentis, & in Curia Romana degentis, & pro ipso admittere dignaretur ad faciendum sibi homagium ligium & præstandum juramenta in prædicto instrumento contenta, eidem Reverendo Patri ratione Episcopatûs Andegavensis, ab eodem Archidiacono debita, pro Archidiaconatu prædicto & pertinentiis ejusdem. Cujus Procuratoris supplicationi ob reverentiam dicti D. Archidiaconi, idem Reverendus Pater annuendum duxit de gratia speciali; protestatione imprimis ex parte dicti Reverendi Patris facta, quòd per hoc Episcopatui & Ecclesiæ Andegavensi nullum præjudicium generetur ad hoc quod idem Episcopus, vel ejus successores aliàs teneantur recipere, nisi velint successores dicti Archidiaconi ad faciendum dictum homagium ligium & præstandum juramenta prædicta per Procuratores quantumcumque ad hoc specialiter constitutos, & quin idem Archidiaconus * si & dum ad Ecclesiam Andegavensem personaliter venerit, dictum homagium ligium in propria persona faciat, & corporaliter præstet hujusmodi juramenta : quam protestationem idem procurator admittens incontinenti genibus flexis coram dicto Domino Episcopo, manibusque complosis & junctis inter manus dicti Domini Episcopi eidem fecit nomine procuratorio dicti Archidiaconi homagium ligium de Archidiaconatu prædicto & pertinentiis ejusdem. Et mox manu ad pectus proprium positâ, libro coram ipso aperto, juravit idem Procurator in animam domini sui Archidiaconi prædicti, & nomine ipsius & pro eo, quòd idem dominus Archidiaconus conservabit corpus & honorem dicti D. Episcopi & Ecclesiæ Andegavensis, & quòd idem Archidiaconus dabit eidem Episcopo bonum & sanum consilium pro posse, & quòd non revelabit secretum suum, postquam idem Episcopus eidem Archidiacono il-

* etsi

lud revelaverit, & quòd servabit jura Episcopatûs Ecclesiæ prælibatæ.

Acta sunt hæc in Capella magna Manerii de Esventatt Andegavensis Diœcesis, anno, Indictione, mense, die & Pontificatu prædictis: præsentibus ad præmissa discretis viris Magistro Ægidio Coopertoris Legum Professore, Guillelmo de Brennio Archipresbytero de Ludio, Guillelmo de Souvigné Rectore de B[illegible]nno supra Aution, Matthæo de Tomis Priore de Portu, Guillelmo Grousse, & Guillelmo de Piris, Clericis & pluribus aliis ad hoc specialiter testibus vocatis & rogatis.

Et ego Alexander dictus Moucant Clericus Andegavensis diœcesis auctoritate Apostolica publicus Notarius præmissis omnibus, unà cum testibus prædictis interfui manuque propria scripsi, & in formam publicam redegi, signoque meo consueto signavi rogatus.

De homagio ligio domini Gallardi Archidiaconi Transligerensis.

IN nomine Domini, Amen. Per præsens pateat instrumentum quòd anno Domini MCCCXIV. Indictione XII. mensis Junii die XXIV. Sede Apostolica nunc vacante. In mei Notarii infra scripti & testium subscriptorum præsentia constitutus dominus Bernardus Constantii.

* . . . . ad docendum se esse Procuratorem viri venerabilis & discreti domini Gallardi de Duroforti Canonici & Archidiaconi Transligerensis in Ecclesia Andegavensi ad ea quæ sequuntur, exhibuit coram Reverendo Patre ac D. D. G. Dei gratiâ Episcopo Andegavensi quoddam publicum instrumentum subscriptione & signo Bertrandi de Orto Clerici, auctoritate Apostolicâ publi[illegible]i Notarii Claromontensis Diœcesis munitum, ut prima facie videbatur. Cujus tenor sequitur in hæc verba.

* Videtur hoc spatium fuisse destinatum scribendis titulis dignitatum Bernardi Constantii, &c.

In nomine Domini, Amen. Anno ejusdem M. CCCXV. Indictione XII. Sede Apostolicâ nunc vacante, noverint universi & singuli præsens publicum instrumentum

Digitized by Google

inſpecturi & audituri, quòd venerabilis & diſcretus vir dominus Gallardus de Duro-Forti Canonicus & Archidiaconus Transligerenſis Eccleſiæ Andegavenſis in præſentia diſcreti & venerabilis viri domini Officialis Agenenſis conſtitutus, dicto domino Officiali & in ejuſdem & mei communis Notarii & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum præſentia, ſupplicavit, quòd ad infra ſcripta dominus Officialis prædictus ſuam interponeret auctoritatem judiciariam pariter & decretum. Ad cujus ſupplicationem idem Officialis per ſui decreti interpoſitionem omnibus prædictis ſupplicatis & ſubſequentibus ſuam judiciariam præbuit auctoritatem, qua conceſſa & interpoſita in ipſius Officialis & mei nominandi Notarii & teſtium ſubſcriptorum præſentia, venerabilis & diſcretus vir dominus Gallardus de Duro-Forti prædictus, ſuos veros legitimos ſpeciales ac generales Procuratores & Nuntios fecit, conſtituit, ordinavit & deputavit, videlicet diſcretos viros dominos Bertrandum de Curſonio de Caſtro ſancto, Bernardum Conſtantii de Vallebarre & de Ulmeriis, Bernardum de Boſco-Giraudi ſanctæ Crucis, & Giraldum Alacris ſancti Aviti Caturcenſis & Agennenſis diœceſis Eccleſiarum Rectores abſentes tanquam præſentes exhibitores præſentis inſtrumenti, & eorum quemlibet in ſolidum, ita quòd non ſit melior conditio occupantis, & quòd per ipſorum alterum incœptum attentatúmve fuerit: per alium ſeu alios ipſorum perfici valeat & finiri, ad præſtandum per quemlibet dictorum conſtitutorum in ſolidum, in animam ejuſdem domini Gallardi, & pro eodem domino Gallardo ſolitum juramentum ſuper obedientia & fidelitate obſervanda, & homagio faciendo & promittendo ratione Archidiaconatus ſui Transligerenſis prædicti, & omnia alia & ſingula ſuo nomine jurandi, obligandi & conveniendi pro ipſo domino Gallardo, & in ejus animam & ſe ſupponendi, quæ tam ratione & ex cauſa Archidiaconi Transligerenſis & canonicatus & præbendæ Andegavenſis Eccleſiæ prædictorum, cum juribus & pertinentiis eorumdem, quam & juridictionis prædicti Archidiaconatus ſui Transligerenſis, & eorum cuilibet idem dominus

Digitized by Google

Gallardus jurare, promittere, & obligare & se supponere teneretur, sub eo modo & forma, quibus sui Prædecessores ex consuetudine ipsius Ecclesiæ Andegavensis, nihilo addito nec remoto, jurare & promittere hactenus consueverunt Reverendo Patri in Christo domino Dei gratia Episcopo Andegavensi & Prædecessoribus suis, & tenebitur ejusdem domini Episcopi successoribus canonicè intrantibus promittere, jurare, seu aliàs obligare ratificans, plenè ac perfectè approbans tenorem præsentis instrumenti, idem dominus Gallardus, & confirmans ea omnia & singula supra jurata, promissa & aliàs obligata per dominum Bernardum Constantii prædictum Procuratorem suum, & nomine procuratoris ejusdem prædicto domino Andegavensi Episcopo, in & super præsentatione Litterarum Apostolicarum & processum factorum & habitorum, gratiam specialem sibi factam per Sedem Apostolicam prædictam de Canonicatu & Præbenda & Archidiaconatu Transligerensi Ecclesiæ Andegavensis prædictæ continente, coram prædicto domino Andegavensi Episcopo & alibi ubicumque.

Dans insuper & concedens idem constituens per præsentis instrumenti tenorem plenariam potestatem & mandatum speciale atque generale, cum clausulis ad hoc necessariis cuilibet Procuratorum prædictorum in solidum, computum, & rationem, ac responsionem, & satisfactionem petendi, audiendi, recipiendi, & per juramentum ipsorum constitutorum & constituendorum & ab aliis Procuratoribus constitutis & constituendis ipsius domini Gallardi.

Præterea per dictum dominum Bernardum Constantii, præcipuè à prædictis dominis Bernardo de Bosco-Giraudi & Beraldo Alacris, & quolibet eorumdem per eumdem modum & formam quibus supra computum requirendi, & recipiendi & insuper de habendo & recipiendo ab eisdem & ab aliis quibuscumque constitutis & constituendis, fidelitatis & diligentiæ adhibendæ erga ipsius D. Gallardi negotia, juramentum speciale & quod eo modo quo tutiùs est & commodiùs poterunt, & ad utilitatem pariter, & honorem & laudem divini cultûs & ejusdem domini Gallardi.

lardi ipsorum constitutorum & constituendorum valeat expeditio redundare. Et quòd dicto domino Bernardo Constantii legitimè respondeant de fructibus & proventibus Canonicatus, & Præbendæ & Archidiaconatus Transligerensis Ecclesiæ Andegavensis, prædictorum & cujuslibet eorumdem per dictos dominos Bernardum de Bosco-Giraudi; & Berardum Alacris, seu alios de mandato eorum, vel alterius ipsorum perceptis, & habitis & factis percipi & levari, ut dicitur, à tempore vacationis Canonicatus, Præbendæ & Archidiaconatus prædictorum citra, & omnia alia & singula in præmissis & circa præmissa, & quodlibet præmissorum faciendum & exercendum, quæ idem D. Gallardus faceret, si in præmissis personaliter interesset, & quæ erunt erga præmissa necessaria & de jure opportuna.

Ratum, gratum, firmum, stabile, & irrevocabile promittens, & obligans dictus D. Gallardus sub bonorum suorum omnium & singulorum, obligatione & hypotheca semper & in perpetuum se habiturum prædicto domino Officiali Agennensi, & mihi Notario nominando auctoritate mei publici Officii Notariæ, insimul stipulantibus & recipientibus pro illis omnibus & singulis quorum interest & intererit quoquo modo, quidquid per dictos Procuratores suos & eorum quemlibet in solidum juratum, promissum, obligatum, receptum, quitatum fuerit, vel alio modo quolibet ordinatum, sub eadem obligatione qua supra promittens & efficaciter obligans idem D. Gallardus prædicto domino Officiali, & mihi Notario nominando, stipulantibus & recipientibus, pro illis quos tangit, seu tanget in futurum dictos Procuratores suos, & eorum quemlibet in solidum relevare ab omni onere satisdandi, & desisti judicio & judicato solvendo.

Quæ omnia & singula significat idem constituens D. Episcopo & Capitulo Andegavensi, & quibus pertinere poterit quoquo modo. Prædictus quidem D. Officialis Agennensis in prædictis omnibus & singulis supradictis, ad supplicationem prædicti D. Gallardi auctoritatem suam judiciariam pariter interposuit & decretum. De quibus

omnibus & singulis de mandato prædicti D. Officialis Agennensis idem D. Gallardus sibi petiit fieri præsens publicum instrumentum per manum mei Notarii infra scripti.

Acta, concessa & ordinata fuerunt hæc omnia, & singula in Castro vocato Curtis-Agennensis, prædictæ diœcesis, septimo Kal. Junii sub anno & Indictione quibus supra, & vacante Sede Apostolica supra dicta. Præsentibus Reverendo Patre in Christo D. Dei gratia Pettagoricensi Episcopo, & discretis viris dominis Guillelmo de Favolis Anicien. Petro de Savinaco Carturicensi, Bartholomeo de Curte Lectorensis, Ecclesiarum Canonicis, testibus ad præsentia vocatis.

Et ego Bertrandus de Orto, Clericus Claromontensis diœcesis auctoritate Apostolica publicus Notarius, qui in præmissis una cum prænominatis testibus interfui, & de prædictis omnibus & singulis præsens publicum instrumentum scripsi de præcepto D. Officialis prædicti, & requisitione dicti D. Gallardi, & signo meo solito, quo utor in talibus, signavi unà cum decreto prædicto, in fidem & testimonium præmissorum vocatus & rogatus.

Quo instrumento sic exhibito & perlecto, idem Bernardus Constantii nomine procuratorio dicti Archidiaconi & pro ipso supplicavit Reverendo Patri prædicto, quatenus eundem procuratorem nomine Domini sui absentis & pro ipso, admittere dignaretur ad faciendum sibi homagium ligium, & præstandum juramenta in prædicto instrumento contenta eidem Reverendo Patri, ratione Episcopatus Andegavensis, ab eodem Archidiacono debita pro Archidiaconatu prædicto & pertinentiis ejusdem. Cujus Procuratoris supplicationi ob reverentiam dicti Archidiaconi idem Reverendus Pater annuendum duxit de gratia speciali, protestatione imprimis ex parte dicti Reverendi Patris facta, quòd per hoc Episcopatui & Ecclesiæ Andegavensi nullum præjudicium generetur, ad hoc quod idem Episcopus, vel ejus successores aliàs teneantur recipere, nisi velint successores dicti Archidiaconi, ad faciendum dictum homagium ligium, & præstandum jura-

Digitized by Google

menta prædicta, per Procuratores, quantumcumque ad hoc specialiter constitutos, & quin idem Archidiaconus si & dum ad Ecclesiam Andegavensem personaliter venerit, dictum homagium ligium in propria persona faciat & corporaliter præstet hujusmodi juramenta. Quam protestationem idem Procurator admittens in continenti genibus flexis coram dicto D. Episcopo, manibusque complosis & junctis inter manus dicti D. Episcopi eidem fecit nomine procuratorio dicti Archidiaconi homagium ligium de Archidiaconatu prædicto & pertinentiis ejusdem. Et mox manu ad pectus proprium posita, libro coram ipso aperto juravit, idem Procurator in animam D. sui Archidiaconi prædicti & nomine ipsius, & pro eo quòd idem Archidiaconus conservabit corpus & honorem dicti D. Episcopi & Ecclesiæ Andegavensis, & quòd idem Archidiaconus dabit eidem Episcopo bonum & sanum consilium pro posse, & quòd non revelabit secretum suum, postquam idem Episcopus eidem Archidiacono illud revelaverit, & quod servabit jura Episcopatûs Ecclesiæ prælibatæ.

Acta sunt hæc apud villam Episcopi Andegavensis diœcesis in Manerio dicti D. Episcopi anno, Indictione, mense, die quibus supra, prædicta sede vacante. Præsentibus ad præmissa discretis Magistris Petro Chopin Officiali Andegavensi, Ægidio Coopertoris Legum Professore, Guillelmo de Pinno Archipresbytero de Ludio, Huberto Rectore Ecclesiæ de villa Episcopi prædicta, Guillelmo Grousse, Clericis, & pluribus aliis testibus.

Et ego Alexander dictus Moncaut, Clericus Andegavensis Diœcesis, auctoritate Apostolicâ publicus Notarius, præmissis unà cum testibus prædictis interfui, manuque propria scripsi; & in formam publicam redegi, signoque meo consueto signavi rogatus.

De suspensis latronibus apud Evantart.

NOTANDUM est, quòd cùm anno Domini M CCCXIV. circa festum natalem beati Johannis Baptistæ, Guillermus Dardenne, & Guillotus le Chartier ejus famulus, in

prisione justitiæ temporalis Abbatis & Conventus Monasterii sancti Sergii Andegavensis tenerentur carceri mancipati, pro eo quod sex ciphos argenteos in quadam domo, quæ vocatur Rucha sancti Sergii in feodo dicti Monasterii sita, furati fuerant, dictique Guillelmus Dardenne, & Guillotus ejus famulus per prædictam justitiam dictorum Religiosorum interrogati & examinati tam super dicto furto, quàm super aliis ab eisdem commissis, inter alia confessi fuissent quòd nedum solum furtum prædictum commiserant, quin etiam anteriori tempore quadam nocte muros manerii Episcopi Andegavensis, quod vocatur Esventart, transscendentes, ad cameram portarii dicti loci venerunt, & fracta seu disrupta firmatura ostii dictæ cameræ subintrantes eandem, quoddam forterium ferratum quod invenerunt ibidem, ceperunt & secum asportaverunt; ipsoque effracto plures res ibidem existentes, videlicet bursas sericas, caligas & pecuniam, & alias res ibidem existentes, dimisso forterio in quodam dumo nemoris dicti manerii secum furtivè tulerunt. Qua confessione ad notitiam justitiæ sæcularis Episcopi Andegavensis prælibati, Matthæus le Vignerons jurisdictionem temporalem dicti Episcopi in dicto Manerio de Esventart & pertinentiis ejusdem exercens, justitiarios dicti Monasterii cum instantia requisivit, quòd ipsi prædictos Guillelmum & Guillotum sibi nomine & ratione Episcopatus Andegavensis redderent, pro furto & fractione prædictis in dicto manerio de Esventart eisdem commissis justitiandos. Cujus requisitionis dicti justitiarii Religiosorum prædictorum annuentes, prædictos Guillelmum & Guillotum die Veneris ante festum beatæ Mariæ Magdalenæ anno quo supra, primò per ipsos justitiarios dictorum Abbatis & Conventus pro furto dictorum ciphorum in feodo dicti Monasterii commisso justitiatos, & abscissione auricularum dextrarum punitos, prædicto Matthæo le Vignerons exercenti justitiam temporalem dicti Episcopi in dicto manerio de Esventart, & pertinentiis ejusdem, præsentibus prædicto Matthæo le Vignerons, Johanne & Matthæo ejusdem filiis, Johanne Villico Seneschallo tunc temporis dictorum Ab-

batis & Conventûs, Guillelmo Barbitonsore de porta Andegavensi, Johanne de Mauni, dicto Pinaut, Præposito & protoserviente nostro in villa sancti Maurilli de Esma, protoserviente nostro apud sanctum Alemandum dicto Malapertisore, Matthæo Gauveing, & Thoma Præcone de Chalonne, & pluribus aliis, reddiderunt per justitiam dicti Episcopi temporalem pro dictis furto & fractura in dicto Manerio de Esventart, ut prædictum, commissis justitiandos & secundùm consuetudinem puniendos. Qua die Veneris prædicta dicti Guillelmus & Guillotus per Gentes dicti Episcopi ad manerium prædictum adducti, & ibi de prædicto furto & fractura quæ confessi fuerant per dictum Matthæum le Vignerons, vice & auctoritate justitiæ temporalis dicti Episcopi judicati furca patenti erecta retro dictum manerium in feodo dicti Episcopi, secundùm consuetudinem patenter suspensi fuerunt, præsentibus ad præmissa dicto Matthæo le Vignerons, & prædictis Matthæo & Johanne ejusdem filiis prædictis, Matthæo Gauveing, Luca de Lorifrae, Juliota de Elemosinario, & aliis supra dictis.

Littera compositionis pro Procurationibus habendis in Prioratibus Majoris Monasterii Turonensis.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Guillelmus permissione divina Andegavensis Episcopus, Fulco Archidiaconus Transmeduanensis, & Gaufridus Burgoliensis, ac Johannes de Fixa Archipresbyter, nec non Petrus de Candeyo, Johannes de Camilliaco, & Guito de Magia Decani, ac Fratres, Johannes humilis Abbas permissione eadem Majoris Monasterii Turonensis, totusque ejusdem loci Conventus, Salutem in domino. Noveritis quod cùm inter nos Guillelmum Episcopum Andegavensem, nosque prædictos Archidiaconum, Archipresbyteros & Decanos ex una parte, ac nos Abbatem & Conventum prædictos, & Priores Prioratuum ad nostrum Monasterium spectantium, sitorum & existentium in civitate & diœcesi Andegavensi ex parte alia, verteretur materia quæstio-

Digitized by Google

nis super Procurationibus, quas nos Episcopus, nosque Archid. Archipresbyteri & Decani dicebamus, nobis scilicet Episcopo in diœcesis, & nobis Archidiacono, Archipresbyteris & Decanis in Archidiaconatu, Archipresbyteratibus & Decanatibus nostris, in jam dictis Prioratibus & à Prioribus eorumdem spectantium antedictum Monasterium, tam de jure & de antiqua & approbata consuetudine observata à tempore à quo memoria non existit, quàm per plurimas alias rationes deberi. Dum nos Episcopum in propria persona, vel per alium ex privilegio Sedis Apostolicæ, scilicet in diœcesi Andegavensi, & nos Archidiaconum, Archipresbyteros & Decanos in nostris territoriis Ecclesias parochiales, infra quarum fines situantur & existunt dicti Prioratus, visitare continget causa faciendi ibidem quæ noscuntur ad nostrum cujuslibet officium pertinere; & maximè quia nos in Ecclesia Andegavensi Archidiaconatuque, Archipresbyteratibus & Decanatibus prædictis à tanto tempore, à quo memoria non existit, per Prædecessores nostros fueramus, & eramus, & adhuc sumus in quasi possessione juris habendi & percipiendi in Prioratibus antedictis, & à Prioribus eorumdem Procurationes sibi & nobis debitas à Prioribus & Prioratibus antedictis ratione visitationis dictarum Ecclesiarum Parochialium, infra quarum fines dicti Prioratus situantur, impensarum, per ipsos Prædecessores nostros prout ad quemlibet ipsorum ratione sui officii spectabat.

Nobis Abbate & Conventu prædictis & memoratis Prioribus nostris è contrario dicentibus, & asserentibus, nos & Prioratus nostros ac eorumdem Priores eisdem Episcopo, Archidiacono, Archipresbyteris & Decanis ad procurationem non teneri quoquo modo, & nos hac dictos Prioratus Prioresque nostros & eorum quemlibet per privilegia Romanorum Pontificum fore penitus immunes à præstatione Procurationum ipsarum, & nos specialiter esse in quasi possessione libertatis & immunitatis dictas Procurationes non præstandi, multisque allegationibus inter nos super hoc habitis, & quamplurimis tractatibus prolocutis.

Digitized by Google

Tandem attendentes quòd bonorum hominum est, & præcipuè personarum Ecclesiasticarum lites execrari, volentes obviare periculis, & damnis, incommoditatibus variis, quæ ex hujusmodi contentionibus & controversiis in futurum possent nasci, ac nostram & Ecclesiarum successorumque nostrorum pacem acquirere cupientes, præcipuè cùm inter Ecclesias nostras & personas earumdem retroactis temporibus usque ad tempora contentionis, seu controversiæ prælibatæ, pax & dilectio ac vera caritas viguerunt. Nos Episcopus, Archidiaconus, Archipresbyteri & Decani prædicti, cum Reverendo Patre Domino Gaufrido Dei gratia Archiepiscopo Turonensi, Metropolitano nostro, & cum Capitulo Andegavensi: Nosque Abbas & Conventus prædicti, cum prædictis Prioribus, & cum nostris Sociis, & Fratribus, & aliis nostris Consiliariis, in nostro Capitulo Generali habitis super hoc deliberationibus diligentibus, de proborum virorum consilio ad pacem & concordiam super præmissis contentionibus & controversiis, vnanimiter ad invicem devenimus in hunc modum: videlicet quòd cùm nos Episcopum & successores nostros, quibus pro tempore in propriis personis, vel per alium ex privilegio Sedis Apostolicæ Ecclesias, infra quarum fines Prioratus hujusmodi situantur, in quibus non sunt ab antiquo certæ summæ pro procuratione taxatæ, debitis temporibus visitare continget, quilibet Priorum Prioratuum prædictorum, qui aliàs procurationes integras solvere consuevit, visitatione parochialis Ecclesiæ còmpleta, statim, vel saltem eadem die septem libras bonæ monetæ, videlicet illius monetæ, in qua domini temporales recipient communiter suos reditus, sive census, nobis & nostris successoribus pro tempore, si personaliter, vel Commissario nostro, seu successorum nostrorum pro tempore visitanti, si ex privilegio Sedis Apostolicæ per alios visitemus, aut visitent nostri successores pro tempore, pro expensis nostris dictæ diei, dictorum Successorum nostrorum cujuslibet pro tempore solvere tenebitur: ita tamen quòd nos & successores nostri in dicto Episcopatu taliter tempore nostrarum visitationum in Diœcesi Andegavensi modere-

Digitized by Google

mus, quòd iidem Priores anno quolibet nisi unam procurationem solvere non teneantur.

Prior verò de Carbec quoniam ab antiquo tantam summam tauxatam ex compositione jamdudum habita, scilicet viginti solidos solvere consuevit, eamdem summam in prædicta moneta solvere tenebitur eadem die, qua fiet visitatio in parochiali Ecclesia dicti loci, nobis & successoribus nostris cuilibet pro tempore, si personaliter, vel commissario nostro & successorum nostrorum cujuslibet, pro tempore visitanti , si per alium, ut nos & prædecessores nostri consuevimus, visitemus, aut visitent successores prædicti.

Prior verò de Veru qui tauxatam procurationem integram solvere non consuevit, sed unà cum Rectore de Veru ad procurationem integram, pro duabus partibus conferre & solvere consueverunt; dum nos Episcopum prædictum, vel successores nostros personaliter, vel per alium, ex privilegio Sedis Apostolicæ prædictam Ecclesiam de Veru visitare continget; duas partes dictæ procurationis, prout est superiùs tauxata, & accordata, videlicet quatuor libras, tresdecim solidos, & quatuor denarios pro rata sua in dicta moneta solvere tenebitur dicta die, qua fiet in dicta Ecclesia de Veru visitatio supra dicta.

Dum verò nos, Archidiaconum, Archipresbyteros & Decanos, successoresque nostros in nostris Archidiaconatu, Archipresbyteratibus & Decanatibus, in propriis personis, vel per alios ex privilegio Sedis Apostolicæ visitare continget; Priores Prioratuum sitorum infra fines parochiarum prædictarum, quoties per nos & successores nostros personaliter, vel per alium ex privilegio Sedis Apostolicæ continget visitare, qui aliàs consueverunt procurationes integras solvere, nobis Archidiacono & successoribus nostris triginta solidos monetæ prædictæ, & nobis Archipresbyteris & Decanis, qui Canonici ejusdem Andegavensis Ecclesiæ non sumus ad præsens, & successoribus nostris Canonicis Andegavensibus non existentibus, quilibet pro tempore decem solidos ejusdem monetæ. Illis verò nostrûm Archipresbyterorum & Decanorum prædictorum,

Digitized by Google

ctorum, & successoribus nostris, qui Canonici Andegavenses fuerint, quamdiu Canonicatum & Præbendam prædictos cum Archipresbyteratibus vel Decanatibus supradictis tenebunt, ob reverentiam & honorem Ecclesiæ Cathedralis, cujus membra existunt, quindecim solidos monetæ prædictæ, ratione cujuslibet visitationis parochialis Ecclesiæ eadem die qua fiet visitatio, ibidem vel saltem Andegavis, quantum ad illos qui erunt Canonici, ut præfertur, vel in Ecclesiis Archipresbyterorum & Decanorum non Canonicorum, qui per se, vel per alios, ut prædicitur, visitarint, infra octo dies à tempore visitationis hujusmodi solvere tenebuntur pro omnibus expensis nostris dictæ diei & successorum nostrorum, qui pro tempore fuerint: ita tamen quòd nos Archidiaconus, Archipresbyteri, & Decani & successores nostri in dictis Archidiaconatu, Archipresbyteratibus & Decanatibus taliter tempora visitationum nostrarum moderemus, quòd iidem Priores anno quolibet nisi unam procurationem solvere non teneantur. Qui verò non integras tauxatas nobis solvere consueverant, easdem in moneta prædicta persolvant, prout est hactenus consuetum: ita tamen quòd nos Episcopus, Archidiaconus, Archipresbyter & Decani, successoresque nostri, summis prædictis pro omnibus expensis, quas ratione visitationis dictæ Ecclesiæ, & procurationis debitæ, tam ratione dictæ Ecclesiæ, quàm Prioratus infra fines dictæ Parochiæ consistentis, possemus & possent exigere à dictis Prioribus & habere, contenti erimus & erunt, nec plus pro dicta causa exigere poterimus, aut poterunt ab eisdem Religiosis, vel ab aliquo eorumdem, salvis tamen procurationibus nobis, Archidiacono, Archipresbyteris & Decanis à Rectoribus dictarum Ecclesiarum debitis ab antiquo, nec invitis, renitentibus seu expressè contradicentibus Prioribus, seu Custodibus dictorum Prioratuum, domos ipsorum Prioratuum, grangias, seu bona propria ipsorum poterimus, nec poterunt intrare, accipere seu etiam occupare, & ut prædicti Priores de prædictis summis, dum prædictas Ecclesias per nos Episcopum & successores nostros personaliter, vel per alium

Digitized by Google

ex privilegio Sedis Apostolicæ visitare continget, sibi valeant providere, & nobis promtiùs satisfacere de eisdem.

Nos prædictus Episcopus & successores nostri pro tempore, dum seu quando nostram voluerimus diœcesim visitare, hoc ipsum denuntiare tenebimur Priori S. Ægidii de Vigulto Andogavis, qui est, & pro tempore fuerit, si sit præsens, & sui copiam faciat: alioquin in Prioratu prædicto vel ante portas ejusdem, si de facili ingressus non pateat ad eundem, vocatis ad hoc aliquibus fide dignis: qua denuntiatione sic facta, Ecclesias infra quarum fines Prioratus hujusmodi situantur, quantùm ad effectum percipiendi summas prædictas, non poterimus, nisi demum tribus hebdomadis elapsis à tempore denuntiationis hujusmodi visitare, & eodem modo successores nostri Andegavenses Episcopi facere tenebuntur.

Nos autem prædictus Abbas, qui ex tota animi nostri intentione in pace & concordia vivere cupimus, & in tranquilla devotione domino famulari, ad hoc quòd dicta compositio in futurum valeat firmiùs observari, promittimus bona fide, quòd in nostro proximo Capitulo generali, omnes prædictos Priores nostros & nostri Monasterii in civitate & diœcesi Andegavensi constitutos monebimus una monitione pro omnibus, ut ipsi & eorum quilibet, prædictas summas pecuniarum prædictis Episcopo, Archidiacono, Archipresbyteris, & Decanis indilatè persolvant, & modo quo superiùs continetur, & prædictam compositionem firmiter teneant & observent. Promittimus etiam nos Abbas prædictus, quòd in dictos Priores non observantes compositionem prædictam, cùm non satisfacientes modo & forma prædictis, suspensionis sententiam ex tunc, ut ex tempore quo satisfacere tenebuntur, proferemus. Quam suspensionis sententiam si quis ipsorum per octo dies sustinuerit, in ipsum ex tempore dictorum octo dierum transactorum, excommunicationis sententiam proferemus: quam excommunicationis sententiam si quis per mensem sustinuerit, ipsum sic excommunicatum à sua administratione suspendemus, & ad claustrum revocabimus, vel alibi mittemus eundem sic suspensum ab admi-

Digitized by Google

nistratione dicti Prioratus, ubi videbimus expedire, donec prædictis Prælatis de summis antedictis, modo quo suprà, fuerit satisfactum. Sed ut taliter excommunicato & à sua administratione suspenso, de suæ absolutionis beneficio valeat provideri; volumus & consentimus, & in prædicto nostro generali Capitulo statuere & pronuntiare promittimus, quòd si contingat nos dictum sic excommunicatum à sua administratione absolvere, aliqua de causa, & alii administrationem dicti Prioratus committere, subrogandus in dicta administratione sive Prioratu, nisi infra mensem à tempore provisionis sive commissionis sibi factæ, de administratione sive Prioratu hujusmodi, de prædicta summa satisfaciat, in pœnas supradictas incidat ipso facto.

Et eodem modo quilibet Abbas successor noster in primo Capitulo generali post institutionem suam, similes monitiones, summas & processus per intervalla prædicta facere & pronuntiare tenebitur in futurum.

Promittimus insuper nos Abbas & Conventus prædicti, quòd si dicti Episcopus, Archidiaconus, Archipresbyteri & Decani super præsenti compositione confirmationem à Sede Apostolica voluerint impetrare, quòd nos ad hoc consentiemus & ex nunc in quantum in nobis est, tenore præsentium consentimus, & constituimus nos Abbas & Conventus prædicti Procuratorem specialem ad consentiendum pro nobis in Romana Curia confirmationi compositionis prædictæ, salvo quòd ad impetrationem confirmationis compositionis hujusmodi nihil conferemus, nisi expensas nostri Procuratoris prædicti.

Insuper ut prædicta compositio firmior & validior habeatur, nos Abbas & Conventus prædicti omnia bona dictorum Prioratuum nostrorum ad solutionem hujusmodi faciendam, & ad tenendum & firmiter adimplendum & observandum omnia & singula supradicta, & ad non veniendum contra in futurum aliqua ratione.

Nosque Episcopus Archidiaconus, Archipresbyteri & Decani prædicti, ad prædicta tenenda & observanda, bona dictorum Episcopatus, Archidiaconatus, Archipresby-

teratuum & Decanatuum nostrorum specialiter obligamus. Præterea nos Episcopus prædictus, Archidiaconus, Archypresbyteri & Decani, & nos Abbas & Conventus prædicti Procuratores speciales constituere promittimus, qui prædictam compositionem in animas nostras jurabunt observare, & contra non venire in futurum aliqua ratione. Et eodem modo successores nostrûm Episcopi, Archidiaconi, Archipresbyterorum & Decanorum; necnon nostri Abbatis prædicti in primo Capitulo generali, post institutionem suam simile juramentum per Procuratorem facere tenebuntur. Acto inter nos quòd per præsentem compositionem exemptioni, sive privilegiis & libertatibus dictorum Abbatis & Conventus, & Priorum Prioratuum prædictorum, in aliis non fiat præjudicium, nec fieri valeat in futurum.

In cujus rei testimonium nos Episcopus, Archidiaconus, Archipresbyteri & Decani, Abbasque & Conventus prædicti sigilla nostra unà cum sigillo Capituli Andegavensis his præsentibus litteris duximus apponenda. Nos verò Capitulum Andegavense, Decano nostro absente, huic præsenti compositioni de nostris voluntate & assensu, in quantum in nobis est, ratificamus, laudamus, & etiam approbamus, sigillum nostrum apponi fecimus in testimonium præmissorum.

Datum anno Domini M. CCC. XV. mense Aprilis apud Andegavis, & apud Majus-Monasterium in Capitulo generali.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, frater Johannes, permissione divina Majoris-Monasterii Turonensis Minister humilis, salutem in Domino. Noveritis nos monitiones & processus qui sequuntur, fecisse in modum qui sequitur & in formam.

Nos Johannes divina permissione præsentis Majoris-Monasterii Minister humilis. Compositionem factam inter Reverendos Patres Dominum G. Archiepiscopum Turonensem, Dominos P. Cenomanensem & G. Andegavensem Episcopos, Archidiaconos, & Archipresbyteros ac Decanos Turonensis, Cenomanensis, Andegavensis Ecclesia-

Digitized by Google

rum, ex una parte, & nos & Conventum præsentis Majoris-Monasterii & Priores Prioratuum ad dictum Monasterium spectantium in Turonensi, Cenomanensi & Andegavensi Diœcesi existentium & constitutorum, ex altera, super modo & forma habendi & percipiendi per dictos Archiepiscopum, Episcopos, Archidiaconos, Archipresbyteros & Decanos certas summas pecuniæ à Prioribus dictorum Prioratuum, vobis omnibus in præsenti Capitulo generali publicamus, vosque omnes & singulos Priores dictorum Prioratuum monemus una monitione pro omnibus, vestrosque successores in dictis Prioratibus, prædicta monitione ligari volumus, ut vos omnes tam præsentes quàm futuri prædictam compositionem fideliter & firmiter observetis, dictasque summas pecuniæ, prout taxatæ sunt & declaratæ in dicta compositione, integraliter solvatis modo & forma in dicta compositione contentis; alioquin in omnes non solventes, modo quo suprà dictum est, & quo in dicta compositione continetur, sententias suspensionis, excommunicationis, administrationum amotionis, & ad claustrum revocationis proferimus in his scriptis, prout ex tenore dictæ compositionis tenemur, & apparet nos teneri secundùm formam ejusdem, cui præsentes nostræ litteræ sunt annexæ. In cujus rei testimonium & munimen sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum.

Datum die Veneris post Dominicam, qua cantatur *Cantate*, in nostro generali Capitulo anno Domini M. CCC. XVI.

ANNO Domini M. CCC. XVI. die Veneris post festum beati Michaelis in monte Gargano, in Capella Monasterii nostri de Esventart, frater Petrus Abbas de Buxeria Cisterciensis Ordinis fecit nobis professionem obedientiæ in modum qui sequitur:

Ego Petrus Abbas de Buxeria Cisterciensis Ordinis subjectionem & reverentiam à sanctis Patribus constitutam, secundùm præceptum sancti Benedicti, tibi, Pater Guillelme, tuisque successoribus & sanctæ Sedi Andegavensis Ecclesiæ, salvo Ordine nostro, perpetuò me exhibiturum promitto.

Digitized by Google

Addenda to. II. Spicilegii.

SERMO ET EPISTOLÆ V.

ARNULFI

LEXOVIENSIS EPISCOPI.

Ex MSS. Codicibus Fulcardimontis, Ord. Cisterciensis.

Sermo in Annunciatione beatæ MARIÆ.

Luc. 1. 26.

MIssus *est Gabriel Angelus ad* MARIAM *Virginem desponsatam Joseph.* Quod ab æterno prædestinatum fuerat, quod ab antiquo per multa Prophetarum oracula repromissum, debuit, Fratres carissimi, die ista, divinâ gratiâ opitulante, compleri. Siquidem ab æterno æternus Pater Unigenitum suum in causam redemptionis humanæ decreverat incarnari, ut mysterio incarnationis ejus vetus satanæ solveretur astutia, & humilitatis dignatione potestas ejus ac superbia frangeretur; quod fortassis ab initio nec ipsis etiam fuerat Angelis indicatum, sed intra secretum divinæ bonitatis magnitudo consilii tegebatur abscondita, donec conscius secreti nuntius mitteretur, qui indulgenda generi humano libertatis beneficia nuntiaret. Missus est itaque Angelus Gabriel divinorum factus conscius secretorum, tamquam fidelis divinæ voluntatis interpres, & ut quodammodo proprii nominis interpretationem adimplens, fortitudinem Dei in infirmitate carnis prædiceret affuturam.

Si igitur præmissæ salutationis inspiciamus alloquium, rectè nuntius salutis verba proposuit, qui ad salutem omnium nuntiandam, tollendamque perniciem mittebatur. Virgo autem prima verbum salutis accipit & affectum, quia humilem statim revelatis per Angelum omnibus fidem præstitit & assensum, unde per nuncium ab

Digitized by Google

originali, & ceteris si qua erant actualia, penitus emundata est: ut nulla penes eam peccati corruptio, nulla corruptionis concupiscentia resideret. Talem enim sibi Virginis humanitatem divina magnificentia præparavit, qualem de ipsa disponebat assumere, ut primæ creationis dignitate recepta incorruptæ possit uniri divinitas incorrupta naturæ. Unde etiam rectè *gratia plena* potuit appellari, quæ primò plenitudinem propriæ sanctificationis accepit, & singulari statim privilegio potuit exultare, vt scilicet mater esset & virgo, & in ipsa placabilem contraria sortirentur eventum. Neque enim alibi vel virginitatem fœcunditas, vel fœcunditatem simplicitas virginitatis agnoverat, nullaque invicem communione, nullo fœdere umquam jungebantur: porrò utramque bonam esse, utramque constat esse laudabilem, sed & aliis majus est virginalis privilegium castitatis, in MARIA excellentior est virginitatis fœcunditas, si rectè fœcunditatis fructus & virginitatis merita comparentur. Siquidem fructus iste de jurata David à Domino veritate procedens, supra sedem ejus positus est, super solium scilicet ipsius & regnum jure perpetuo constitutus, ut de Sacramentorum efficacia firmitas & robur de virtutum sanctificatione concrescat. Cujus sanè fructus germen in magnificentiam & gloriam adjunctæ sibi divinitatis excrescens, omni factum est terrena plasmatione sublimius, adeo ut nihil sit vel potestate fortius vel excellentius dignitate.

Inde est quòd in MARIA contrahit fœcunditatis honor de ipsa fructus sui qualitate substantiam, ubi nulla quarumlibet virtutum dispendia, sed argumenta concurrant. Sed in aliis detrimentum virginitatis sobolis beneficio restauratur, & integritatis amissæ gloriam susceptæ prolis gaudia recompensant; in illis enim de proventus qualitate recipiunt præcedentia detrimenta solatium, ubi quæ fœcunda est, præssuræ remedium, & optatæ sobolis percipit incrementum. Virgo autem quæ carnales motus animo & corpore contundit, quantò magis à semetipsa per gratiam continentiæ deficit, tantò magis proficit ad mercedem. Habent igitur fœcundæ quod debeant, habet

virgo quod speret: dum eis in gratiarum actiones virginitatis merita transeunt, & ei semper ad præmium eadem virginitatis merita convalescunt. Virgini autem nostræ nullum intulit partus aut conceptio detrimentum, sed tantò majoris fastigium honoris adepta est, quantò mirabiliore est consecrata conceptu. Occurrunt itaque in ea sibi invicem quasi quibusdam virginitas fœcunditasque complexibus, ut fœcunditatem virginitatis gloria redimat, & virginitatem fœcunditatis fructus attollat. Fœcunditas igitur ipsius multis est veneranda miraculis, multis utilitatibus amplectenda, multis illustrata laudibus, in qua sic humilitati sublimitas Deitatis occurrit, ut nec infirmitas opprimatur à gloria, nec majestas aliqua ex parte propria dignitate privetur. Profectò in aliis tantò major est fœcunditate virginitas, quantò major est integritate corruptio, quia fœcunditatem voluptas quædam improbata præcedit, qua sine culpa esse commercium carnale non patitur, nec affectuosæ corruptarum carnium passiones: unde se conceptum in peccatis Psalmista commemorat, quia in ipso utrobique peccatum de corrupta traducebatur origine, fomitemque peccati procedens de ventris corruptione concupiscentia ministrabat.

At verò in Mariæ fœcunditate sola est operata divinitas, dum virginem virtus obumbrat Altissimi, & superveniens Spiritus carnis & Verbi consecrat unitatem, in quo non potuit de non vitioso vitium provenire, nec auctor virtutum auferre debuit, sed afferre virtutes. Ideoque propositæ castitatis privilegium singulare non abstulit, sed honorem fœcunditatis adjecit. Novam itaque sobolem pudor virginalis agnoscit, carnemque miratur natura Spiritu fœcundari, legemque propagationis humanæ penitus immutatam; cùm ibi sit nec de voluptate conceptio, nec prolis emissio cum dolore. Siquidem Deus de Deo semper non ex commixtione carnis nascebatur ex tempore, ut hominem assumens sola sancti Spiritus operatione formaret. Mirum hoc solique divinæ Majestati possibile, ut quamlibet humanitas & divinitas, caro hæc scilicet & spiritus ille concipiant unitatem, quòd impassibilis

Digitized by Google

bilis passibilem, quòd æternus se nobis exhibeat temporalem, quòd cum corporalibus oculis liceat intueri, cujus excellentiam cælestium civium spirituales oculi non attingunt. Quod sanè fides nostra necesse est ut saniore concipiat intellectu, nec substantiarum quidem, sed personæ prædicet unitatem, nec alteram in alteram transiisse facta quolibet modo confusione vel commixtione credamus. Verbum enim in æterna semper propriæ divinitatis simplicitate consistens, nec alterius est admixtione compositum, nec in aliud sui abolitione transfusum, sed substantiis in se permanentibus & naturis, Christus ut gigas, incomparabili scilicet virtute præcellens, gratuita viam nostræ mortalitatis alacritate cucurrit.

Igitur ad propositum divinæ prædestinationis effectui mancipandum Angelus destinatur ad Virginem, qui dilatum usque adhuc divinæ voluntatis hodie patefecit arcanum. Quod sicut æternaliter à tota Trinitate provisum est, ita nihilominus à tota Trinitate nuntiat adimplendum. ait enim: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Luc. 1. Itaque vim verborum & ordinem studiosa consideratione pensemus, quòd scilicet primò Spiritus sanctus superventurus nuntiatur in Virginem, eademque postmodum Altissimi, id est, Patris virtute proponitur obumbranda: ut ita Virginis præparato conceptu, segregata ex utero ejus, sed in utero carne, ineffabilis novissimè Filii generatio proveniret. Vides hîc Angelum manifestè totius Trinitatis expressisse præsentiam, dum superventuræ Spiritus Altissimi obumbrat, Filius verò dicitur incarnari Liquet igitur totius Trinitatis opus esse quod factum est, licèt unus tantùm fuerit incarnatus, tota Trinitate scilicet unus tantùm totius ad id divinitatis exhibuit substantiam, uno tamen propositum redemptionis humanæ ministerium personaliter exhibente. Igitur æternæ generationi generatio temporalis accessit, & æternæ nativitati nihilominus temporalis est adjecta nativitas; ut quòd æternum est, in sua consisteret æternitate perfectum; quod verò temporale est, perfectionis suæ statum, non tam de na-

tura, quàm de miraculo sortiretur. Siquidem persona hominis ex duorum hominum commixtione provenire necesse est, hic verò unius hominis tantùm simplici præcedente substantia nova soboles proficiscitur & formatur; qua scilicet humanitate percepta, sic humilitati nostræ excellentia divinæ majestatis infusa est, ut præeunte mirabili carnis Verbi commercio totum dicatur homo, totum dicatur Deus, alterumque de altero nova quadam enunciationis specie prædicetur; siquidem enunciatio hæc unionem, non essentiam prædicat aut naturam, nec alterutrum in altero, vel substantiam in substantia consistere ratio, vel natura consentit; sed personalem ineffabilis quædam quasi consolidatio conficit unitatem. Neque enim carnis essentia in Verbi transivit essentiam, neque Verbum carnis passiones assumpsit; sed utique proprietates suas semper attribuit impermixtarum discretio naturarum.

Si igitur Verbum carnem factum esse evangelica tibi dictat auctoritas, factum nihil aliud intelligas, quàm unitum: neque hanc tibi confusio, vel permixtio constituat unitatem; sed singulas semper in se consistentes debita æstimatione venerare substantias, unamque tibi ipsamque singularem proponas de tam diversorum pluralitate personam. Unde si de Christo, Deo scilicet & homine, modò humanum, modò divinum aliquid audias, prædicari intelligas, non ex eadem causa procedere, sed ad diversas utrumque prædicamentum respicere rationes. Quod enim modò Omnipotens, modò Creator omnium dicitur, modò unigenitus Patris Filius ab æterno, id eum ex divinitatis constat habere substantia; quòd verò natus ex muliere, factus sub lege, quòd ignominiam crucis, quòd amaritudinem sustulit passionis; id ex humanitatis processisse natura, nullus est qui dubitet. Porò si personæ utramque substantiam complectenti, quod specialiter unius est, toti personæ videris attributum, scias ratione assumptionis, toti convenire personæ, nec tamen passiones corporis divinitati, vel humanitati divinam tribuas majestatem. Quippe quod de virgine nasciturum dicit Angelus, Filium Dei nuntiat appellandum, quamvis ei ex eo quod de virgine

est, non possit hæc appellatio convenire: sed divina bonitas non voluit nominis detrahere dignitatem, cui communicandam destinaverat ejusdem substantiæ veritatem.

Ad quod sanè post multa tempora novissimè consummandum ad expertem omnis concupiscentiæ destinatur, cujus denuntiatione votum perpetuæ virginitatis firmatum est potiùs quàm sublatum, cùm virum ejus Angelus ad similem formasset assensum. Nullaque hinc vel inde carnalis commercii residet affectio, sed ad custodiam & obsequium virginitatis & virginis se congaudet fidelis viri devotio præelectam. Igitur ad præparatum sibi prudenter à Spiritu sancto conjugium, secura voti Virgo sancta procedit, & sacri animorum potiùs quàm corporum fœderantur amplexus. Sanè in contrahendis ab initio sponsalibus alia viri fuerat fortassis intentio; sed edoctus ab Angelo, statim totus ad perfectæ continentiæ transivit affectum, ut animi eorum pari invicem similitudine responderent, ne quasi dissidium facere videretur diversarum dissensio voluntatum. Nemo itaque dixerit sublata, sed subsecuto conjugio consummata sponsalia: nec aliquid sacramento propositi sanctitate detractum est, sed eos ad maritalem copulam individua vitæ consuetudo condixit. Porro si nec opus intercessit carnalis commercii, nec voluntas, nihilominus tamen constat esse conjugium, quia contractus ille non trahit de carnis commixtione substantiam, sed de sola legitimè consentientium voluntate.

Si igitur ad hoc neque concupiscentia, neque carnales requiruntur amplexus, atque intercessisse constat quidquid ad conjugii desideratur effectum; manifestum est veros conjuges extitisse, ut ille rectè & illa conjux debeat appellari. Quòd si dicatur non posse matrimonium contrahi nisi communicato copulæ carnalis assensu, ne requisitum alter alteri negare possit accessum: verùm quidem si ea conveniunt voluntate, & præoptata futuræ sobolis pignora contemplantur. Si verò conditioni huic renuntiare vel amore castitatis, vel impotentia qualibet obsistente decreverint, legemque matrimonii in aliis omnibus con-

Digitized by Google

stituant observare, individua vitæ consuetudo & dispositum alternæ potestatis obsequium affectati contractus format substantiam, perpetuamque firmat sacri consortii fides & gratia veritatem. Quæ etenim ratio assensum hunc commodare compellebat invitò, cui perpetua virginis complacebat integritas, votumque erat ipsius, quod in ea natura erat, perpetuæ continentiæ sanctimonia venerari? Quòd si à minoribus ad majora trahatur exemplum, aliquid fortassis expressæ similitudinis in Cecilia virgine poterit inveniri, quæ cùm familiari voto perpetuæ virginitatis munus velut holocaustum quoddam Domino consecrasset, cum Tiburtio tamen amicorum interventu contrahere minimè recusavit, fiduciam habens in Domino, quòd divina devotum in ea pudicitiam sapientia conservaret, & humiliter parentum desideriis adquievisse Cecilia videretur. Cantantibus organis igitur dum juvenis prædestinatus ad vitam, ad nuptiales festinat amplexus, & ad optatum thori virginalis anhelat ascensum, illa procedentibus de conscientia voti suspiriis & precibus implorabat à Domino, ne ad confusionem spiritus & corporis ipsius macula quælibet concupiscentiæ carnalis obreperet, sed corpus prorsus intactum sincero Spiritui conservaret. Cum eo itaque quasi transactione quadam virgo prudens sic amicabili compositione convenit, ut ipsum asseruerit sibi in eamdem conservandæ pudicitiæ voluntatem, & purificatum aqua baptismatis postmodum perduxerit ad lauream gloriosi martyrii triumphalem. Quis ergo dicat non intercessisse conjugium, si eis à carnali placuit abstinere contactu, cùm multos usu frequenti videamus in matrimonio convenire, quibus vel nimia senectus, vel debilitas aliqua commercii illius spem omnem abstulit & effectum. Certum est autem de rei substantia non esse, quod velut accidentale aliquid & adesse potest pariter & abesse, sanctiusque & sincerius observatur conjugium absque eo quod sine culpa esse non potest, nisi per bonum conjugii fuerit excusatum. Profectò cur non saltem simile casus & voluntatis privilegium erit, ut eodem fungi concedantur effectu, cùm necessitate impotentiæ constringantur inviti,

Digitized by Google

voluntatem verò devotionis affectio & zelus sanctitatis informet. Quibus omnibus manifestum est Angelum rectè virginem appellare potuisse, conjugemque Joseph, nullam prorsus voto virginitatis viro volenti vim vel injuriam irrogante: sed studium semper cum omni diligentia sedulus impendebat, ut suscepti ministerii munus laudabiliter similis & devotus impleret, docente eum frequenti Angelorum commonitione, & omne opus sanctæ sedulitatis dirigente semper in bonum Spiritu sancto, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

I.

Epistola ad dominum Papam ALEXANDRUM.

PETITIONES à nobis tertiò factas & à majestate vestra semper benigniùs exauditas, quartò nunc iterare compellimur, quia delegatorum novissimè judicum multitudo cognitionis impedivit eventum Siquidem Bajocensium & Ebroïcensium Decanorum diutina & frequens absentia tertium collegam, dominum scilicet Abrinc. à negotiorum executione suspendit, quia nihil ei fuerat sine alterius eorum vel utriusque præsenti cooperatione commissum. Et ego quidem miratus sum, quòd standi necessitatem Sacerdoti ipsique Episcopo coram Diaconis, seu coram adolescentibus vestra majestas indixerit, cùm potiùs minores à majoribus, inferiores à superioribus, juniores à senioribus debeant judicari. Paratus tamen eram cum omni reverentia qualibet judicum vestrorum imperata recipere; sed adversæ partis astutia in eorum de quibus agitur possessione consistens nunc & ab antiquo semper dies & tempore redemit, & me semper ad diem & locum judicibus occurrente, nec semel adhuc in judicio dignata est comparere: siquidem quandoque nobis sicut hactenus semper violentia potentiæ sæcularis opponitur, quandoque redemptus judicum favor quaslibet adversum nos, manifestissimè etiam frustatorias dilationes admittit. Cùm verò reclamante semper Ecclesia nostra parochiales Ecclesias & decimationes emptionibus aut quibusdam illicitis

Digitized by Google

modis de manu laïca sacrilegâ temeritate Monachi præsumpserint occupare, sæculari semper potestate defensi sunt, ut malè parta possessio malo nihilominus præsidio servaretur. Tempus autem violentiæ hujus ad præscriptionem longi temporis nituntur opponere, cùm ad præscriptionem proficere non possit violentia, vel interpellata possessio; ubi scilicet nec experiendi copia, neque dies utilis indulgetur auctori. Rogamus igitur ut labori nostro, cui jam triginta annis inefficaciter institimus, bonitas vestra finem curet imponere, dominoque Abrinc. quem vestra judicem nobis assignavit electio, quem volueritis, adjungatis: quem certum sit zelum Dei habere & peritiam judicandi, qui ejus sit ætatis & ordinis, ut nec ordini nostro irrogari videatur injuria, nec confusio senectuti. Petitiones autem nostras lator præsentium HUGO Archidiaconus & nepos noster majestati tuæ pleniùs indidicabit, quia eas præsentibus litteris non duximus inserendas, ne fortè prolixitas epistolæ in tædium verteretur.

II.

Ad dominos ALBERTUM *&* THEODINUM *Ecclesiæ Romanæ Cardinales Legatos pro viro venerabili* REGINALDO *Bathoniensi electo.*

CAUSAM venerabilis fratris nostri REGINALDI Bathoniensis Electi audivimus ab Apostolica Sede vestræ experientiæ commendatam. Gavisi sumus quòd veritatis amatoribus est commissa cognitio, apud quos nec justitia periculum incurrere poterit, nec innocentia detrimentum: in quo si personam respicitis, vir est cujus prudentia, cujus honestas, cujus virtus & industria publicè multis ipsisque probabilibus innotuit argumentis. Si factum electionis inquiritur, omnium ad quos pertinet in personam ejus unanimi concordia vota concurrunt, statumque Ecclesiæ multis labefactatum temporibus certissimè confidunt ipsius magnificentiâ reparandum.

De eo autem quòd ei ab his ad quos non pertinet,

Digitized by Google

tam mendaciter quàm impudenter objectum est, certis probationibus constabit vobis nihil esse nisi odii & invidiæ quæstionem. Nos verò quibus de proximo certiùs & faciliùs veritas potuit apparere, de multorum quibus fides adhibenda creditur, testimonio & publica assertione didicimus. Nativitatem hujus de qua queritur, sacros patris ordines præcessisse, ipsumque patrem eo tempore, licitè, si peroptasset, militare, vel matrimonium contrahere potuisse. Agite itaque, & calumniam hanc quam non aliunde quàm de zelo malitiæ deprehendetis exortam, secundùm datum vobis à Deo spiritum & potestatem media ratione discutite, nec vota Ecclesiæ ludificari diutiùs dilatione aliqua permittatis. Sed munere huic debitæ benedictionis titulo, ipsum quàm citiùs ad Ecclesiam destinate, ut ex hoc nunc in spem meliorem attritæ diutiùs Ecclesiæ desideria convalescant, seque populus ille optatæ consolationis subsidia gaudeat assecutum.

III.

Ad ROBERTUM *Rotomagensem Archiepiscopum.*

MONACHUS ille G. olim Cormeliensis, pro quo sanctitatem vestram rescriptum Apostolicum scribitis accepisse, de Monasterio illo tertiò egressus est, & tertiò misericorditer est receptus, egressus quartò cùm ipsum Abbas & Fratres pro commissis in Ecclesia sacrilegiis & furtis pluribus intra officinas, multisque flagitiis quæ etiam verecundia prohibet recitare, duplici etiam sobole de meretricibus ante fores Monasterii suscepta, suscipere recusarent; in præsentia nostra & Abbatis Pratellensis Fratrumque nostrorum publicè de omnibus tam convictus quàm confessus, ab Abbate litteras dimissorias impetravit, abjurato ad totam vitam Abbatis Monasterio, & tota banleva Monasterii, quia se ignem missurum publicè comminatus abscessit. Porro cùm ipse hoc postmodum ad notitiam WILLERMI de Papia Cardinalis me & Abbate præsentibus retulisset, recensita veritate ab ipso, auctoritate Apostolicæ Sedis repulsus est & damnatus. Exinde per-

Digitized by Google

lustratis terris, rejecto prorsus habitu monastico, factus apostata, ut parciùs dicam, omni se dissolutioni publicè mancipavit. Novissimè si majestatem Apostolicam, cui hæc nota esse non poterant, circumvenire mendaciis attentavit, apud vos veritati & justitiæ præjudicare non debet, cui nos eorum quæ dicimus, manifestam faciemus per omnia veritatem. Scitis autem prudentiam Apostolicam in rebus dubiis nihil præcipere diffinitum: sed omnia mandata ejus conditionem habent implicitam, scilicet si preces veritate nitantur: eisque quibus hujusmodi mandata mittuntur, in omnem causam partes judicis, cognitio scilicet & pronuntiatio, reservantur. Quieti itaque Monasterii & claustrali disciplinæ sanctitas vestra provideat, ne reducto auctore iniquitatis, ceterorum qui per pœnam istius correcti sunt, reviviscat audacia, & exemplo veniæ remissioris, ipsorum denuo convalescat.

IV.

Universis Fidelibus.

CAUSAS quæ sive ex ordinaria jurisdictione nostra, sive ex superiori delegatione ad nostram evidentiam perferuntur, sicut media ratione decidere, sic decisas oportet veritatis testimonio communire, ne ad revocandum vetus litigium qualibet audacia quæstio rediviva consurgat. Causam igitur, quæ inter venerabilem fratrem nostrum Simonem Abbatem sancti Andreæ & Fratres Hospitalis Jerosolymitani, super testamento illustris viri HUGONIS de Pinu vertebatur, ex Apostolica delegatione suscepimus sine appellationis obstaculo terminandam. Auditis itaque utriusque partis allegationibus, cùm meticulosa judicii necessitas videretur instare, nostro se pars utraque commisit arbitrio, & litigium omne per nos amicabili compositione sopitum est. Siquidem pecuniam quæ apud prædictum Abbatem à nominato illustri viro dicebatur fuisse in deposito constituta, in necessarias & pias causas secundùm tenorem testamenti censuimus dividendam, sicut nobis eorum qui à Fratribus Hospitalis producti sunt, testi-

Digitized by Google

testimonio factum est manifestum. Unde assignata creditoribus & necessariis personis, ipsique Abbati, aliisque diversis pauperibus congrua portione, ipsis nimirum Fratribus Hospitalis intuitu religionis & paupertatis eorum plurimam assignavimus portionem, adhibito in omnibus eorum consensu, ipsorum utilitatibus conferendam, ipsumque Abbatem duximus super hac quæstione penitus absolvendum.

V.

Ad HENRICUM *Regem Anglorum Seniorem.*

EST in Episcopatu Lexoviensi quædam parochialis Ecclesia apud Wassecium, quam ego in manu mea possessam diutiùs Canonicis Regularibus sancti Victoris, priusquam ad eos demigrassem, donavi, ut sumptibus meis aliqua ex parte proficere posset: cùm ego ad Ecclesiam illam pertransissem, res modica est, sed ego non habebam in quo ampliùs possem pauperibus Fratribus subvenire. Verùm in eadem Parochia quædam Præbenda est Lexoviensis Ecclesiæ, quam ego HUGONI de Nonant nepoti meo donavi, sicut ei consueveram, quidquid ferè possem profusa liberalitate donare, neque quidquam ejusmodi posset in regione illa ei gratius obvenire. Lætatus est ille, & ego nihilominus exultavi, sperans de liberalitate mea præsertim apud nepotem meum mihi fructum in tempore subvenire: sed me quidem debuerant præcedentium temporum satis experimenta docuisse, nisi me indulgentiæ gratia & tam proximæ cognationis compassio seduxisset.

Ego enim ex sorore natum parvulum educavi, erudiri feci diligentiùs, redditibus ampliavi, mihi ad conferendum ei omnis ultro copia respondebat; donavi siquidem ei in Episcopatu Lexoviensi v. Ecclesias circiter centum librarum, Præbendam in Ecclesia Lexoviensi nihilominus L. librarum, Archidiaconatum centum librarum, & eo ampliùs, quantum poterant perficere, tam rapinæ quàm injuriæ subditorum. Nec me à largitionibus hujusmodi frequens ipsius ingratitudo poterat cohibere; sed super

Digitized by Google

caput ejus carbones inutiles semper omni studio aggerebam. Prætereo quòd de jure Archidiaconatus hominio mihi & fideligia tenebatur obnoxius, quam ipse mihi utinam fideliore memoria conservassem! Expertus sum quòd fidem in eo non creat affectio, sed cupiditas aut superioris reverentia majestatis utimini eo securè, quia majestatem vestram fallere non audebit: sed ad omnem executionem beneplaciti vestri se prosequente, metu, non devotione vel fide prompta semper ratione procedet.

Speraveram quòd saltem novissima mea propitiante vellet oculo contemplari, & super senectute & debilitate mea & paupertate spontanea moveretur, adeo ut etiam sua mihi liberaliter in omni opportunitate exhiberet, meæque saltem de iis quæ ego contuleram ei, misericorditer in tempore vellet inopiæ subvenire. Sed ipse partem beneficii quod ego pauperibus Canonicis contuleram, immo quasi conservaveram mihi, absque omni judicio violenter usurpat, licèt prædicti Fratres aliquibus annis & prædecessores eorum ab antiquo pacificè possedissent. Requisivi eum instantiùs, ut justitiam Dei & pauperis Ecclesiæ, meamque consideraret inopiam: sed in nullo proficere potui, cùm manus audaces semper præsumeret extendere, & jus pauperum impudentiùs usurpare. Est etiam in Parochia illa Capellula quædam nullos parochianos, nullos prorsus redditus habens, ad jus nimirum parochialis Ecclesiæ pertinens ab antiquo, quam omni ferè servitio & ædificio destitutam Sacerdos ejusdem Parochiæ solus, cùm vellet, devotionis intuitu visitabat; nec divina ibi honestè poterant officia celebrari: quam Fulco Decanus ad quem tunc Parochia pertinebat, jure parochiæ reædificavit attentiùs, & in cimiteriolo veteri, quod ibi adjacet, domos suas construxit usu sepulturæ, sicut voluit, transformari; de qua quidem Capella Hugo de Nonant Sacerdotem arreptis clavibus & sacerdotalibus indumentis amovit, cùm Sacerdos ad Romanam Ecclesiam postea provocasset, & in ipso facto nihilominus insisteret appellare; ibique postmodum continuè fecit divina Sacerdotem suum in anathemate celebrare; & parochianos à ma-

Digitized by Google

nu Sacerdotis quam semper cognoverant, amovet & amovit, scilicet ut si veniret ad causam, hac arte fungi possessoris commodo videretur.

Ad vos itaque spectat tantæ enormitatis correptio: neque ego spero aliquod aliunde remedium, quia longinquum & sumptuosum est pauperibus Ecclesiæ Romanæ subsidium; licèt nos de ipsius non oporteat auxilio desperare. Apponite itaque regiam manum vestram, & effrenatam hominis avaritiam cohibete, & Fratres illos Ecclesiam illam cum Capella in antiqua integritate sua faciatis possidere pacificè, sicut antecessores eorum constiterit longo tempore possedisse, & ipsi duobus aut tribus annis ultimis possederunt, fructusque perceptos eum nihilominus restituere faciatis.

Reminiscatur, obsecro, Dominus meus, quomodo in novissimo discessu meo apud Gisortium lætificavit animam meam, & me de copia magnificentiæ suæ dimiserit affluentem; adjuncto siquidem verbo regiæ promissionis, quòd me in omni opportunitate mea deinceps adjuvaret, sicut umquam liberiùs fecerat, & omnem à me molestiam propulsaret. Nihil autem mihi constat esse molestius, quàm quòd is qui stare mecum per omnia debuisset, id in quo Fratres lætificare speraveram, convertit potiùs in mœrorem: & quietem animi mei, quam quæsisse deposita omni sæcularitate speraveram, implacabili malignitate perturbat, & usque in sepulcrum prosequi indefessa cupiditate non cessat, neque se perturbare juris ordinem reveretur, cùm hi qui possidebant, non debuerint absque judicio spoliari. Primò itaque restituendi sunt cum fructibus scilicet & expensis, & pœna ei pro excessu arbitrio judicis infligenda. Reddat itaque me mihi Dominus meus, & speratam requiem misericordi bonitate restituat, ut de his quæ ad Dominum sunt, liceat mihi sine molestia cogitare. Nihil autem est quod magis regiæ majestati conveniat, quàm audaciam reprimere superborum, & suam justis ac simplicibus justitiam virtute regia conservare.

Addenda to. VI. Spicilegii.

EPISTOLÆ XV.
HILDEBERTI
CENOMANENSIS EPISCOPI, deinde Archiepiſcopi Turonenſis.

Ex MS. Codice Abbatiæ Fulcardimontis. Ord. Ciſtercienſis.

Agit gratias Epiſcopo, qui ſuos tempeſtate jactatos benignè exceperat.

I.

PUERIS noſtris quibus navigaturis tempeſtas mare clauſerat, cùm ventorum gratia deeſſet, veſtra non defuit. Qui tandem ingreſſi navem, cùm jam prope curſum peregiſſent, à portu jam proximo temporis perfidiâ retrorſum jactati, portum in pectore Pontificis invenerunt. Ibi quies fatigatis, ibi ſupplementum quæ defecerant expenſarum. Attriverat eos diuturnior ſerenitatis expectatio, ſed vos ratem ad utendum ventis & ad expectandum ventos eis neceſſaria providiſtis. Pulcrum ſanè atque prædicandum beneficium nullis redditum eſt meritis, nulla collatum triſtitia, nullis ſupplicationibus comparatum, nihil in eo fuit quod beneficii minuerit majeſtatem, ad nomen amicorum, non ad preces venit.

II.

Scribit Regi Anglorum ſuam ægritudinem nondum plenè expulſam: congratulatur ei quòd bene ſit cum Comite genero ſuo, ac tandem mandat pacem Eccleſiæ ſuæ ſub certis conditionibus ſat moleſtis redditam.*

* Henrico.

DEI gratiâ excellentiſſimo Regi Anglorum, omnique gloria & honore ſublimando, HILDEBERTUS hu-

milis Turonorum Archiepiscopus, suis semper devotus obsequiis salutem. Expectans expectavi misericordiam Domini JESU CHRISTI, siquando in lecto ægritudinis suum visitaret servum, & usque ad hoc meam leniret infirmitatem, ut possem videre faciem vestram, & consolari in verbis vestris & in consilio vestro. Ceterum nondum ei placuit, ut omnino manus sua super me requiesceret, quam tamen ingenti misericordia tantùm retraxit, ut frigus quod talem comitatur infirmitatem, non sentiam; calor autem & brevis sit, & vestræ præstet in sanitatem converti.

Porro de his de quibus quid sentirem, vobis scripsi, quia finem acceperunt, ex vestro completa sunt consilio, scribere supersedi. Audivi autem relatione quorumdam, quòd in infirmitate mea mihi cessit ad gaudium, scilicet vos bene cum vestro Comite esse, eumque se totum vestro commisisse consilio: ita ut in omnibus quæ ad vestram respiciunt filiam, vestram sit secuturus voluntatem. Veritatem autem hujus rei per præsentem nuntium, seu per litteras vestras mihi precor aperiri. Nolo autem vestram latere majestatem, Ecclesiæ nostræ pacem Regis redditam, Clericos invicem pacificatos, nos in gratiam Regis gravamine ingenti redisse, atque præposituram quam Ecclesiæ nostræ abstulerat, & per quatuor annos tenuerat, quæ etiam meum cruciabat spiritum, non tam nobis redditam, quàm redemptam à nobis. Non enim ea aliter potuit matri Ecclesiæ restitui, donec certum & taxatum obsequium nobis benignum Regem exhibuit. In hac igitur necessitate spes mea, serenissime Rex, ad vos spectat, clamat post vos spiritus meus, ne in præsentibus angustiis vestrum mihi desit auxilium; & quidem cùm non egerem, nec aliquid postularem, nisi diligi à vobis, & meum dignari obsequium; vos tamen servo vestro gratuitas & uberes impendistis benedictiones.

III.

Respondet cuidam qui eum interrogaverat de adultera à CHRISTO *dimissa.*

NOTUM te mihi significasti, atque à me doceri velle, unde habuerim quòd Dominus noster dum illi à Judæis adultera præsentaretur judicanda, digito in terra scripsit: *Terra, terra, scribe hos viros abdicatos*. Rogasti etiam quòd Salvator bis idem scripsit, aut etiam aliud quod ad meam pervenisset notitiam, tibi, dulcissime frater, scribere non gravarer. Ego sanè nihil aliud inde didici, quàm quod de epistolis Ambrosii diligens Lector facilè potest eliquare. Quod igitur de his parvitati meæ innotuerit, tibi perstringere curavi. Manifestum est ad accusationem adulteræ Dominum caput inclinasse, & in terra scripsisse. Quid autem scripserit, aut si idem scripserit, seu quid primò scripserit aut secundò, nihil certum nobis Evangelista dereliquit. Ambrosius autem ad Studiosum* scribens ait: Cùm adulteram reperissent Judæi, obtulerunt eam Salvatori, captantes ut si absolveret eam, videretur legem solvere, qui dixerat: *Non veni legem solvere, sed adimplere*. Si damnaret, videretur adversum finem venisse propositi sui. Hoc igitur prævidens Dominus JESUS inclinato capite scribebat in terra. Quid scribebat? nisi illud propheticum: *Terra terra, scribe hos viros abdicatos.* quod legitur in Jeremia Propheta. Idem ad Irenæum * scribens de eadem muliere ait: Oblata erat à Scribis & Pharisæis Domino JESU adulterii rea, & hac oblata fraude, ut si eam absolveret, legem solvere videretur: sin verò damnaret, propositum sui evitaret adventûs, quia peccata omnium remissurus advenit. Denique suprà ait: *Ego non judico quemquam.* Offerentes ergo eam dixerunt: Hanc mulierem invenimus publicè mœchantem. Scriptum est enim in lege Moysi, *omnem mœcham lapidari*. Tu ergo quid dicis de te? Quæ cùm dicerent, JESUS inclinato capite digito scribebat in terra; & cùm expectarent, ut audirent eum, erigens caput, dixit: *Qui sine peccato est, prior lapidet eam.* Quid tam divinum quàm ista sententia, ut is peccata puniat, qui expers peccati sit?

Ierem. 22.

* *al.* Studium *Epist* 58. *lib.* 7.

* *seu potiùs* ad Studium *Epist* 76. *lib.* 9.

Iohan. 7.

Levit.

Digitized by Google

Quomodo enim feras alieni ultorem, & proprii criminis defensorem? Nonne se magis ipse condemnat, qui in alio damnat quod ipse committit? Hoc dixit, & scribebat in terra. Quid? utique dicens nisi: *Festucam quæ in oculo fratris tui est, vides; trabem autem quæ in oculo tuo est, non vides.* Libido enim velut festuca est, citò accenditur, & properè consumitur.

Porro sicut Evangelistæ testimonio prudentia tua didicit, peracta scriptione prima, cùm Christus erexisset caput, Judæis expectantibus responsum illius, dixit: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam mittat lapidem.* Post secundam verò scriptionem, elevato interim capite, mulieri legitur dixisse: *Mulier, ubi sunt qui te accusabant?* Qua respondente: *Nemo, Domine*; ipse subjunxit: *Nec ego te condemnabo, vade, & ampliùs jam noli peccare.* Sanè cùm Johannes hoc ita digessisset, quid tamen Dominus scripserit, scribere supersedit. Ex verbis etiam Ambrosii, quid ipse scripserit, habemus; quid tamen primò scripserit aut secundò, non habemus. Vale, frater, & si de his aliud aliquid autenticum inveneris, doceri quæro tuarum obsequio litterarum.

IV.

Consolatur Abbatissam, quam suis Moniales affligebant malis & dissolutis moribus.

CELEBRE solatium est, cùm Christus est in causa, in ea persecutionem sustinere: unde nequaquam decet absorberi à tristitia filiam Christi, cui & conscientia cedit ad gloriam, & tribulatio ad coronam: cui & conscientia Apostoli gloria est, quia ipse mirabiliter confortatus inter ærumnas & persecutiones, inter famis cruciatus & sitis, inter innumeras falsorum fratrum injurias, bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit. In hujusmodi conscientia sacræ virgines & viduæ calcato sexu & mundo, corpora sua, suum obsequium rationabile facientes. Hinc est quòd inter ignes Agnes gratias agit, in tortura mamillarum suarum Agatha Deum laudat, aliæque

Digitized by Google

virgines sacræ sponsum proprio sanguine quærunt, eligentes potiùs Agnum sequi, quocumque ierit, quàm hominem quo malè vadit. Tales universis adversitatibus mundi puram præferunt conscientiam, scientes non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Earum exemplis assume solatium, gratias Domino Deo agens, quòd à filiabus procul es ad tempus, quarum studium est reverentiæ derogare pariter & continentiæ votis & instantis disciplinæ: tu tamen confortare, & esto robusta in Domino, sciens quòd non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum.

Expectamus autem INNOCENTIUM Papam, in cujus audientia nos & innocentiam tuam & querimoniam nostram digesturi, de utraque finem amicum justitiæ expectemus. Tu interim igitur esto memor mei, ceterisque filiabus, quæ tecum Domino serviunt, nomine meo suggerens, ut in orationibus suis vel aliquam mentionem mei faciant. Porrò post primam Quadragesimæ septimanam tuum nobis nuntium destinabis, per quem & tuam nobis voluntatem, & tu nostrum possis agnoscere responsum.

V.

Congratulatur & compatitur amico, cui ait se afflictum febribus quartanis.

SI bene tibi est, congratulor: si secus, quod absit, compatior, quippe litteratura & conversatione amplectendus, in pectore meo perennem invenisti mansionem unde licèt remotus à me, memoria tamen totus es apud me. Scias autem quòd à festivitate sancti Laurentii febribus quartanis afflictus, omnino curas deposui, sustinens quod placet Domino meo me sustinere. Noveris autem me tuæ voluntati devotum & obsequiis.

VI.

Digitized by Google

VI.

Narrat Episcopo cuidam causam indignationis Regis Francorum in se, & eum rogat, ut collaboret Regi prædicto sibi propitiando.

AD vestrum, beatissime Præsul, in Franciam ingressum, gaudio magno gavisus est spiritus meus, jucunditatem induens & exultationem: in eo siquidem mihi suscitata est, præcellentissimi Francorum Regis indignationem circa me lenire posse, cujus, dum zelor legem Domini, gratiam amisi. Cùm enim ex præcepto Romani Pontificis de Episcopatu ad Turonicam Metropolim transiissem, Archidiaconatum in ea atque Decaniam personis vacantes inveni. Deinde peracto ferè in eadem Metropoli anno, Regi litteras accepi, continentes Regem præscriptas dedisse dignitates, atque mihi præcipere quòd personas quibus eas ipse dederat, in sedibus earum dignitatum mittere non differrem. Quo audito nolui in causa Dei contra Dominum parere potestati, sciens melius esse Deo quàm hominibus obedire: attendens tamen oportere conveniri Regem, atque ut ab ejusmodi temperaret, admoneri, ad eum profectus sum. Ceterum inexorabilem inveni Christum Domini, inveni eum plusquam Christum Domini deceret, obduratum. Denique nec bonam spem mecum ab eo reportans, agendi cum eo diem suscepi, affui statuto die & loco in audientia eorum qui convenerant, paratus respondere objectis, & canonicum subire judicium. Dehinc audita utriusque partis causa, cùm ego adhuc debitum expectarem judicium, Rex mihi per seipsum prohibuit, ne quidquam de prædictarum redditibus dignitatum aut præsumerem, aut ordinarem. Frustra preces attuli, frustra protuli plurima, quibus in manifestis etiam injuriis iratam deceret mitescere potestatem. Arguar mendacii, nisi venerabilis Andegavorum Episcopus, necnon plures cum eo Sacerdotes mihi testimonium perhibuerint, quòd paratus fuerim justitiam exequi, quod eorum subdidi judicio, qui de me non habebant judicare.

Digitized by Google

Denique sic regressum à Rege secutus est nuntius qui diceret dixisse Regem, ne fructus possessionum Turonensis Ecclesiæ quos Regis potestas attingit, ad præfatam deferretur Ecclesiam, sed fisco deinceps adscriptus regiis usibus deserviret; quod ita factum est. Terra quoque ipsius mihi ita suspecta est, ut eam ingredi non audeam. Nec tamen hæc loquor tamquam vobis clamorem super Christo Domini deponens, tamquam postulans ecclesiasticæ rigorem disciplinæ; subvenire Ecclesiæ & mihi per vestrum deprecor interventum, & Regi ex caritate suggeri, ne sagittas suas in sene compleat Sacerdote, ne contra sanctorum Patrum sanciones insurgat, ne persequatur cineres Ecclesiæ jam sepultæ, cineres in quibus ego panem doloris manduco, in quibus bibo calicem luctus, de quibus vocari à Domino votis omnibus exopto, precibus Dominum interpello.

Et quidem desiderio desideravi vestræ sanctitati occurrere: sed ira Regis meum impedivit desiderium. Sicut autem mihi significatum est, vobis in Angliam necesse est transfretare, & prudentiæ vestræ injunctam exequi legationem. Quod si ita est, de quibusdam negotiis à Romana mihi impositis Ecclesia, vobiscum locuturus, in Normannia vobis occurrere disposui, si diem & locum mihi significare dignemini. Eapropter exoro ut & hoc mihi sigillatis designetis litteris, & Regis indignationem quam pro tuenda justitia incurri, circa meam innocentiam mitigare satagatis.

VII.

Sic MS. Cod.

Scribit, ut opinor, Henrico Anglorum Regi, ut Abbatissæ cuidam, quæ sibi bonum nomen ex moribus comparaverat, favere velit.

SUo benefactori & Domino. Quantum liberalitati vestræ simus obnoxii, quantasque beneficiis vestris debeamus gratias, nec explicare lingua sufficimus, nec opere promereri: in quantum nobis tamen desuper datum est, æquè pro vestra incolumitate & salute orationes Domino multiplicabimus, quemadmodum & pro nobis. Quia verò for-

Digitized by Google

tassis, quod sine lacrymis dicere non possum, faciem vestram ulteriùs visuri non sumus, quod ad salutem vestram pertinet, vestræ providentiæ duximus suggerendum. Est Obedientia* quædam in terra vestra, ubi Sanctimoniales boni testimonii & probati Domino servire noscuntur: unde & vestram rogamus sublimitatem, quatenus pro salute animæ vestræ parentumque vestrorum Obedientiam illam manutenere dignemini, præfatique loci Abbatissam quæ sibi nomen bonum religione & vita promeruit, & pro tuitione memoratæ Obedientiæ fatigatam usque ad vos exaudire velitis, Christum in illa, sicut credimus, suscepturi. Denique transfretaturum vos audivimus, & à nobis longè recessurum. Sed hoc certum habeatis, quòd *aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem*, qua vos amplectimur, qua Dominum deprecamur, ut Angelus pacis iter vestrum comitetur.

* id est, Prioratus

VIII.

Ad amicum de gratitudine.

CANITIEM & ætatem sensu pariter & consilio superare eos qui obsequiorum sunt immemores, bruta etiam accusant, quæ benefactores suos devotiùs sequi manifestum est, & velut in gratiarum actionem eis assistere & blandiri; quæ profectò te imitari, Domino Deo gratias ago: cujus consilio providisti, ne beneficia vel obsequia illius apud te irremunerata remanerent; quod ego & laudo, & tibi gratias ago, fidem mecum gerens, quòd in futurum etiam majora providebis. De quo quid ipse pleniùs tibi indicabit, utpote qui preces meas & consilium ad illos vidit in litteris meis, legit & intellexit.

IX.

Scribit summo Pontifici, cui se excusat, quòd ei de beneficiis acceptis gratias non egerit; deinde postulat ut pallium, soli Metropoli Turonico debitum, Episcopo Dolensi negetur: denique pro Andegav. Episcopo precatur.

JUSTUM est eum spem de reliquis amittere beneficiis, qui gratiarum actione nec primum prosequitur, nec secundum. Unde & ego quia vobis quas debui gratias, non egi

Digitized by Google

de præteritis, minùs spero de futuris. Ut autem sperare debeam, vestra facit benignitas, cui solemne est benefacere, vel ingratis. Præterea vestram non latet prudentiam, venialiter eum esse ingratum, qui cùm ex impossibilitate benefactori vicem non reddit, habet plenam reddendi voluntatem. Licèt igitur ingratitudinis verear argui, tamen adhuc post Christum Domini clamo, post Patrem Turonensis Ecclesiæ sic lacrymis expono. BANDRICUS* Dolensis Ecclesiæ discessit, eum indebitè pallium habuisse Occidentalis Ecclesia nequaquam ignorat. Docet hoc etiam Pontificalium catalogus Ecclesiarum, nullam omnino faciens de Dolensi Ecclesia mentionem. Unde diligentiùs intuenti manifestum est totam Britanniam limites Turonensis Ecclesiæ contineri. Nec ego tamen super hac re, quasi discutiendam suscito querelam, quam dudum in Romana decisam Ecclesia religiosæ noverunt & testantur personæ. Testantur idipsum, venerabilis Papæ URBANI privilegium Turonico Metropolitano collatum, in quo qui legit, totam intelligit Britanniam ei tamquam suæ Metropoli subjectam, palliumque non Dolensi Ecclesiæ prærogatum, sed personæ. Quapropter ego cum tota Turonensi Ecclesia vos exoro, quatenus ad debitum præfatæ Metropolis respiciatis, eique suam reformare dignemini dignitatem: in quo bene nos cognoscemus exauditos, si ei, qui in præfata sede est Episcopus eligendus, usum pallii vel omnino negetis, vel nobis & illi diem ad agendum statuatis.

* Baldricus

Præterea præfatis precibus addendum decrevi, quatenus Andegavensis Episcopus homo Dei & exemplar Christianæ religionis in causa sua vos benignum inveniat, in qua credimus eum non aliena quærere, sed Ecclesiæ quod suum est, vendicare. De cetero nolumus sanctitatem vestram ignorare, STEPHANUM de Monteforello præsentem exuisse vitam; RADULPHUM tamen Decanum, cui ad agendum cum præfato Stephano vestra sublimitas diem dederat, ad Apostolorum limina fatigandum, nisi misericordia vestra ei parcendum, & laborem transalpinandi relaxandum decreverit. Super hac igitur petitione quid sanctitati vestræ placuerit, nobis & ei tanquam humillimo filio vestro vestris litteris significare dignemini.

Digitized by Google

X.

Eidem de Canonico Turonensi graviter mutilato.

NON dubitamus contumeliam de abscissione membrorum Canonico nostro illatam, ad aures vestras usque pervenisse, de qua videlicet contumelia cùm ipse demembratus adversus quosdam nobis querelam deposuisset, dicens præfatam injuriam eorum consilio & machinamento sibi illatam. Nos illis diem dedimus; affuerunt simul uterque, accusator & accusatus. Ceterum nolente accusatore judicium suscipere, sed moratoriam quærente dilationem, nos cum accusatis, nisi priùs de nostra & totius Ecclesiæ purgarentur contumelia, communicare nolentes, purgationem utriusque sub septima manu legitimarum suscepimus personarum.

De cetero vestra noverit sublimitas, de illis qui in Canonicum manus injicere & demembrare præsumpserunt, nos gravissimam exercere justitiam, Comitemque multipliciter exorare, quatenus de illis rectitudinem capiamus, cui nos responsum reddere distulimus, donec inde vestrum haberemus consilium. Res enim gravissima est, & ut alii à similibus absterreantur, cautissimè providendum. Sunt autem qui dicunt, quòd ipsi demembrato adversus malefactores incumbat suam probare injuriam. Qui autem ita sentiunt, illi adhærent judicio, quod Carnotense Concilium auctoritate litterarum Calixti Papæ de Cenomaniæ Comite & LISIARDO promulgavit, quo judicatum est ipsum Vicecomitem proclamantem, quòd homines Lisiardi de maceria cujusdam Ecclesiæ, cui ipse Vicecomes egressus de captione confugiens ad Ecclesiam, inhæserat, debere contactu ferri calidi probare se violentia hominum Lisiardi à maceria abstractum.

Digitized by Google

XI.

Eidem conqueritur, quòd alicui à se excommunicato, Sedes Apostolica officium Sacerdotii & beneficium absque satisfactione prævia restituerit.

SICUT de carissimo patre filius, sic apud vos de vobis in aure conqueror, quoniam pro obedientia vestra adversariis meis factus sum tota die in derisum, & insultationi eorum expositus ita confundor, tamquam omnino qui amiserim disponendi de commissa mihi Ecclesia facultatem. Quod profectò emerserit ex eo quòd corrigendi enormitatem capellaniæ meæ, canonicam & traditam omnibus Episcopis potestatem abstulistis. Accessit etiam ad hoc, quod ego satis stupeo, quòd vehementiùs, quicumque audiant, admirantur, scilicet vos præcepisse excommunicatis meis, non solùm Ecclesiæ beneficium quod pro sua amiserant culpa, reddi: verùm etiam communionem Altaris & Sacerdotii officium sine satisfactione, sine audientia, sine absolutione restitui. Ego autem licèt gravatus, vestris tamen sum obsecutus præceptis, minùs attendens illud Apostolicum: *Quæ conventio Christi ad Belial? aut quis consensus templo Dei cum idolis.* Vestram itaque paternitatem lacrymis & precibus exoro, tamquam pedibus Apostolicis provolutus deposco, ne corporis mei infirmitatem mentis anxietate gravetis; sed dignemini tunc præcipere, ut disponendi canonicè de capellania mea, integram habeam potestatem.

XII.

Eidem de controversia mota inter Episcopum Carnotensem & Abbatem Majoris-Monasterii.

INTER Carnotensem Episcopum & Abbatem Majoris-Monasterii negotium emersit, concordia, non judicio decidendum: de quo cùm idem Episcopus & THEOBALDUS Comes postularent, ut Abbas de domo concordiæ in

Digitized by Google

eorum se mitteret consilio, assensum eis etiam Monachi dederunt. Fertur autem Episcopum & Comitem in intuitu & dispositione suum posituros consilium. Sicut itaque decet religiosum & sapientem virum, ita circumspectè studeas agere, ne Majus-Monasterium in præsenti damnum sustineat, vel in futuro dedecus cum damno patiatur. Quod ego summissus exoro, licèt credam vel ipsum sine precibus acturum. Interim valete.

XIII.

Afflictus HILDEBERTUS *luget mortem cujusdam sibi ex inimico amicissimi.*

PLERUMQUE humanis obrepit mentibus, ut aliqua perstricti levi assensione, si non illis cedant pro studio voluntaria, officio destituant. Quod in alio genere hominum tolerabile, in his verò qui rei divinæ intendunt, plenum doloris est. Silentium meum rumpit sermo clementiæ tuæ: doleo, fateor, dolore acerbo, qui hucusque silentio latueram super illius obitu qui tantam devotionem erga Dominum induerat, atque tanto in me incubuerat affectu: ut quem antè persequebatur, nunc diligeret; quem antè ut adversarium repellebat, nunc ut parentem putaret.

XIV.

Scribit RANULFO *Dunelmensi Episcopo in gratiam Roberti cujusdam.*

RANULFO Dei gratia Dunelmensi Episcopo omni honore & gratia sublimando ALDEBERTUS humilis Cenomanorum Sacerdos, salutem & orationes in Christo. Credidi me peccaturum in plures, si quos debes pluribus oculos, prolixiore pagina detinerem. Ut igitur me totum paucis agnoscas, totum hoc tuum in me quidquid alterius potest esse de me. Unde & mihi vice rependes, si & diligas me, & ores pro me. Præterea ut præsentium latorem filium vestrum & fratrem Robertum in sacrarium tuæ fa-

Digitized by Google

miliaritatis susciperes, humiliter implorarem, nisi crederem eum tam tibi notum sibique sufficere, qui gratiam tuam possit sine interventu alterius promereri. Precor tamen ut cui benefacturum te credo pro se, melius sibi sentiat esse pro me. Vale.

XV.

ALGARO *Priori sancti Cuthberti commendat eumdem Robertum.*

HILDEBERTUS Cenomanensis humilis minister ALGARO Priori, totique Conventui beati Cuthberti, salutem & orationes. Benedictus Dominus Deus Israël, qui secundùm magnam misericordiam suam bonas facit vias vestras & studia vestra. Ex ejus gratia panditur nobis ab Aquilone bonum, & per ollam succensam incensa sanctæ conversationis vestræ relationibus adventantium odoramus. Reficitur inde spiritus noster, Domino Deo gratias agens, & congaudens eis, quos audit cantare canticum graduum, & ascensiones in corde disponere suo. Unde & nos tanto confidentiùs vestrarum suffragia deprecamur orationum, quantùm novimus vos velut à foribus supernam respicere Jerusalem, & jam videre Dominum sanctorum in Syon. Nos quoque si quid peccatoris, sed Sacerdotis potest oratio, ibi pro vobis fratribus nostris agemus, ubi Patri Filius immolatur. De cetero fratrem nostrum & filium Robertum vestræ sanctitati commendantes, ut apud vos nostra ei prosit gratia, humiliter imploramus. Vale.

FINIS.

PARISIIS, Excudebat GABRIEL MARTINUS, viâ Jacobæâ, sub Sole aureo.

M. DC. LXXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Go